






BERKELEY
LIBRARY
CALIF

THEOLOGIA

PRACTICA.

VESONTIONE, EX TYPIS MARQUISET.

p. C

THEOLOGIA
PRACTICA
SUB TITULIS SACRAMENTORUM.

ORDINE NOVO CONCISÈ REDEGIT

J.-B.-T. VERNIER,

EX OUVANS,


RECTOR SODALITII SACERDOTUM MISSIONIS DE BELLO-PRATO,
BISONTINÆ DIŒCESIS,
PAROCHUS OLIM ET S. THEOLOGIÆ PROFESSOR.

NOVA EDITIO, AB IPSO AUCTORE REVISA ET EMENDATA.

TOMUS SECUNDUS,

MATERIAS COMPLECTENS VII ET VIII DECALOGI PRÆCEPTORUM,
ECCLESIÆ PRÆCEPTORUM,
CENSURARUM ET IRREGULARITATUM, MODI CONFESSIONES AUDIENDI,
SACRAMENTORUM EXTREMÆ-UNCTIONIS, ORDINIS ET MATRIMONII,
TANDEM MISSÆ SACRIFICII ET CULTUS DIVINI.





VESONTIONE,

APUD MARQUISET, BIBLIOPOLAM.

1839.

INDEX

TITULORUM, CAPITUM, ETC.

SEPTIMI DECALOGI PRÆCEPTI

PARS I.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO PROUT INJUSTITIAM PROHIBENTE.

SEPTIMI DECALOGI PRÆCEPTI

PARS II.

DE VII DECAL. PRÆCEPTO PROUT INJUSTITIAM IN BONIS FORTUNÆ REPARARE PRÆCIPIENTE, SEU DE RESTITUTIONE.

OCTAVUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

PARS I.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO UT NEGATIVO.

PARS II.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO PROUT AFFIRMATIVO.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ ET PECCATA ILLIS ADVERSANTIA.

SECUNDUM ET TERTIUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

QUINTUM ET SEXTUM ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

APPENDIX DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

PARS I.

De censuris et irregularitatibus in genere.

PARS II.

De censuris et irregularitatibus in particulari:

PRÆMITTENDA DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARIORUM.

Monita Generalia.

PRÆNOTANDA

Casus præcipui S. P. reservati.

Censuræ præcipuæ Episcopis jure vel consuetudine reservatæ.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

TITULUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

TITULUS ADDITUS.

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

FINIS INDICIS.

THEOLOGIA
PRACTICA.

SEPTIMI
DECALOGI PRÆCEPTI
PARS PRIMA.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO PROUT INJUSTITIAM PROHIBENTE.

INJUSTITIA in bonis fortunæ vel aliquid affert illam committenti, et tunc furtum est, vel ad furtum revocatur; vel nihil affert committenti et tunc damnificatio appellatur (*a*).

Injustitia committi potest vel extrà contractum, vel in contractibus.

(*a*) De damnificatione simplici nihil in particulari dicendum, quia quæ de furto, damnificationi sunt applicanda.

Attamen furtum et damnificatio simplex sunt in confessione distinguenda.

CAPUT PRIMUM.

DE INJUSTITIA EXTRA CONTRACTUM, SEU DE FURTO.

SECTIO I.

De naturà furti.

412. FURTUM est occulta rei alienæ acceptio injusta, seu facta domino rationabiliter invito (*a*).

In dubio dominus præsumitur invitus.

Si acceptio fiat præsente domino, quamvis reclamare non audente, rapina est; specie, ob injuriam personæ illatam, à furto diversa, et iisdem pœnis subjecta, quia totam furti malitiam retinet.

Si res fisci auferatur, *peculatus;*

Si animalia, *abigeatus;*

Si mancipium à domino, filius-familiâs à parentibus, *plagiatus;*

Si res sacra, aut res in loco sacro saltem deposita, *sacrilegium* est.

Quæ circumstantiæ furtum faciunt *qualificatum*, enormius, specialiterque bono communi adversum.

Cæterùm furti rei sunt qui debitis bonâ fide contractis non satisfaciunt, aut satisfacere sine justâ causâ differunt.

A fortiori qui debita negant, et dolo minisve utuntur, ut ex parte remittantur;

Et qui integrum recipiunt salarium, etsi totam operam non præstiterint;

Et qui fictâ paupertate extorquent eleemosynas.

(*a*) Per acceptionem intelligitur et detentio; at per dominum, quilibet justus detento

---

COROLLARIUM I.

413. Ergo furtum faciunt pauperes qui alienum arripiunt in necessitate communi;

Et qui in necessitate præcisè gravi (*a*); quia dominus in his casibus est rationabiliter invitus[235].

Secus qui alienum accipiunt ad subveniendum necessitati extremæ sive suî, sive suorum, sive proximi cujusvis, cùm de suis non possunt illi subvenire; modò tamen is cujus bonum accipitur, indè in necessitatem similem non conjiciatur (*b*).

Ratio est quòd homo habeat à naturâ quòd vitam conservet.

Quin si obstaret dominus, repelli posset ut injustus invasor.

Sed venialiter peccaret arripiens tunc, si, potens petere, non peteret (*c*).

Quòd si duo in necessitate extremâ constituti rem eamdem alienam acceperint, debent eam, si divisibilis sit dividere;

aut sin, sorte jacere, nisi unus præ alio reipublicæ necessarius sit aut multùm utilis.

(a) Damnata est enim ab Innocentio XI hæc propositio : *Permissum est furari non solùm in necessitate extremâ, sed etiam in gravi.* Si autem necessitas sit gravissima et tanta, ut nisi, ipsi subveniatur, incidere quispiam debeat in extremam; multi contrà multos censent licere tunc alienum accipere; et crederem, si casus proximus sit, et cadens prudenter judicetur ab extremâ necessitate non exiturus, quia talis necessitas extremæ ferè æquivalet. Si autem indigens in incommodum soli morti inferius cadere tantùm debeat, videtur iterùm posse eum alienum accipere, si spes prudens sit eum, saltem non multò post, redditurum illud æquivalenti.

(b) Si is, cujus res in necessitate extremâ accepta est, in extremam posteà, non ob hoc, sed ex aliâ causâ incidat, putant aliqui accipientem posse re alienâ uti pro tempore et modo suæ necessitatis, quia jus ad eam acquisivit, et possidet ut suam. Casus est rarior quàm ut dicam mihi contrà videri, eo ipso quod supponitur rem domino esse necessariam.

(c) Qui haberet apud se rem alienam furto ablatam antè necessitatem, videtur et posse illam ad subveniendum necessitati suæ extremæ accipere. Eadem ratio militat.

---

414. Transactâ necessitate, res accepta adhuc existens, vel pars ejus nondum consumpta reddenda est, quia non nisi sub hâc conditione accipi potuit.

Item si accipiens non erat simpliciter pauper, sed habebat actu potentiam et spem proximè sibi comparandi rem quâ indigebat, ut si bona alibi habuerit (*a*).

Nota : A fortiori, in extremâ necessitate non extinguitur, sed solùm suspenditur debitum ex delicto aut contractu, ut si rei, in extremâ necessitate consumptæ, jam acquisitum erat dominium.

(a) Secùs, juxtà Collet, Billuart et partem majorem theologorum, restituere non tenetur, et si ad meliorem deveniat fortunam; quia, inquiunt, dominus debuisset dare, et quia in necessitate extremâ omnia bona sunt communia.

Si agatur de re parvi momenti, nulla difficultas; eleemosyna censetur. Sed si res accepta et consumpta notabilis sit, probabilior forsàn est ab intrinseco sententia contraria; accipiens enim in necessitate extremâ non videtur habere jus accipiendi plus quàm ad consulendum suæ necessitati necesse sit, et ipsi æquè consulit mutuo quàm absolutè accipiendo.

Nota : Rustici quorum jumenta tempore belli indifferenter comedunt de pascuis alienis ob necessitatem, cùm nempè ad munitiones ducendas angariantur, aut requiruntur, restituere non tenentur, si in terris hostium : ast si in patriâ, quamvis non peccent, juxtà aliquos, debent solvere; juxtà alios verò probabiliùs non tenentur ob conventionem generalem in eo fun-

datam quòd ii ad quos pascua pertinent, similiter facerent. Adderem, quòd ubi talis est usus, hoc incommodum videatur vectigal terris illis impositum. Sed talisne est usus apud nos? Non puto, nec id adverti in invasione Fœderatorum. Jam sat patiuntur ii per quorum fines exercitus transeunt, aut in quorum finibus immorantur.

COROLLARIUM II.

*415. Et furtum est compensatio occulta, omnibus ad ejus justitiam requisitis conditionibus, ut sæpissimè non munita.

Imò et illicita sæpè, quamvis justa; ac proindè nunquàm ferè consuli potest.

Per compensationem autem non intelligitur hic adæquatio unius debiti per aliud. Quotidiè fit licitè, cùm debita sunt utrobique certa.

Nec acceptio rei suæ apud detentorem injustum existentis in individuo. Justa est, imò licita, si judicialiter repeti res nequeat, viteturque, quantùm debet, scandalum, et iterata restitutio ut dicetur infrà. Quin et moderata vis detentori inferri potest.

Sed intelligitur actio per quam dominus aut creditor, propriâ auctoritate, tantùm accipit de bonis furis debitorisve quantùm æstimat sibi deberi ab illo.

416. Conditiones autem ut non injusta sit compensatio, quæque non sibi compensantis, sed alterius prudentis judicio adsint, sunt:

1° Ut debitum certum sit et liquidum. *In dubio enim melior est conditio possidentis*, et via aliter furtis aperiretur (*a*).

2° Ut debitum sit ex justitiâ strictâ, alioquin compensatio fieret contrà jus alterius (*b*).

3° Ut sit actu debitum.

Si tamen periculum morale sit ne debitor tempore non solvat, nihilque ex anticipatâ compensatione damni patiatur, anticipare potest creditor cum voluntate reddendi, si alter solvat.

4° Ut nihil ampliùs accipiatur quàm debitum sit, occur-

raturque periculo iteratæ solutionis, delendo chirographum, monendo hæredes ut solutionem non accipiant, etc. (c)

5° Ut accipiatur res creditoris et quidem, quantùm fieri potest, in eâdem specie quæ debetur. Jus enim habet debitor ut non fiat permutatio, restituendumque ipsi foret, si ex permutatione damnum esset passus, cùm aliter compensatio fieri poterat (d).

6° Ut vitetur id omne ex quo per se et ex naturâ rei sequeretur damnum alterius (e).

(a) Cùm ergò locum non habet hæc regula, *in dubio melior est*, etc., videtur fieri posse compensationem pro ratione dubii. Potest enim fieri compensatio in eo quòd alter certò debet. Atqui, in dicto casu, certò debet aliquid pro ratione dubii, et hìc dici posse videtur : *Debitum incertum majus reducitur in debitum certum minus.* Suppono, v. g., quòd certus de possessione alicujus rei, dubitem an me ergà alterum, ob hanc rem, ad aliquid obligaverim, debeo ipsi pro ratione dubii, etc. Sed hoc plenum periculi.

Nota : Ob hanc primam justæ compensationis conditionem, damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : *Famuli et famulæ domesticæ possunt occultè heris surripere ad compensandam suam operam quam majorem judicant salario*, etc.

A fortiori non possunt famuli sibi compensare sub prætextu quòd ex necessitate pretio leviori conducti sint. Necessitas enim communis auget vel minuit rerum pretium. Undè cùm merces ultroneæ vilescant, item et ultroneæ operæ. Aliter esset, si necessitas fuerit particularis. Sed non facilè verbis credatur.

Eadem dic de operariis, artificibus, sartoribus, etc., qui, sub prætextu compensationis, reliquias sibi retinent; nisi tales sint ut eas non curent domini, aut aliud jus habeant, fortè, v. g. temporis jacturam in emendis mercibus.

Quamvis dominorum magis quàm famulorum judicio credendum sit; attamen, si laboribus extraordinariis, ad quos sese non obligassent, famuli gravarentur, hoc excessu heris repræsentato, si hi salarium augere nolint, famuli exeant; et si exire nequeant sine gravi incommodo, juxtà multos non peccant sibi compensando. Sed hìc cautè procedendum. Nec famuli sint sui judices.

(b) Hinc qui officia gratuitò præstare visus est, non potest pro iis sibi compensare, nisi præ metu gravi aut timore reverentiali metui gravi æquivalenti, petere nihil ausus sit, nec officia recusare, et grave tamen in his præstandis damnum passus sit ob temporis jacturam, etc.

(c) Imò monendo, si possibile moraliter, ipsum debitorem debitum esse extinctum aut condonatum; sed solùm ex charitate ad id tenetur creditor, inquit Molina; quia, si iteratam solutionèm accipiat inscius, id eveniet per accidens. In contrarium inclinat Delugo, fatendo tamen parvum esse periculum iteratæ solutionis. Quidquid sit, saltem ex charitate monendus. Vide mox dicenda, N° 417, *a*.

(d) Fieri potest compensatio in re ad alterum in donum aut in solutionem missâ, nisi hìc sit creditor qui debeat antè aut ex æquo accipere, et qui

non posset aliundè debitum recuperare. Sed moneatur debitor rem ad destinatum non pervenisse.

Item fieri potest compensatio adversùs debitorem debitoris qui jus suum concesserit.

Ast potestne fieri in re depositâ aut commodatâ? Neutiquàm, si contraria facta sit promissio, maximè si cum juramento, aut si sint creditores privilegiati. Secùs controvertitur pro foro saltem interno. Nam in foro externo, *contrà depositum compensationi non est locus.* Cap. 2 de deposito. Et « la compensation a lieu..., excepté dans le cas...; 2° de la demande en restitution d'un dépôt et du prêt à usage. » (1293.) Vide totam sectionem IV, cap. V, tit. 3, lib. 3. Pro foro interno probabilitate forsan majori non carere videtur sententia affirmans; quia non videtur tacitam promissionem non se compensandi comitari necessario depositum aut commodatum. Sed in praxi malè honestatem saltem sonat talis compensatio, et deponens jus suum in foro externo prosequeretur ad recuperandam rem suam. Raró ergò casus hic confessarium torquebit. Si eveniat, securiùs legibus se conformabit pœnitens. Res commodata retineri potest donec solvatur debitum, inquit P. Thomas.

(*e*) V. g. fraude vel dolo non adhibeatur tertia persona cum periculo ne deprehendatur.

---

417. Conditiones verò ad licitatem compensationis insuper requisitæ, sunt

Una : ut aliâ viâ, v. g., recursu ad judicem, debitum recuperari nequeat, saltem sine gravi nocumento, odio v. g., litibus, periculo honoris. Servandus enim, quantùm fieri potest, ordo juris.

Altera : ut sibi compensans vitet, quantùm poterit, damnum quodvis suî aut suorum, debitoris, alteriusve (*a*).

Ex hucusque dictis conclude contrà justitiam peccare judicem damnantem eum qui, nullâ ex omnibus ad justitiam licitatemque compensationis conditionibus deficiente, sibi compensasset.

Et qui accusaret eum.

Nec sic damnatus teneretur in foro conscientiæ stare sententiæ judicis, vel bonâ fide latæ; utpotè quæ in falsâ præsumptione facti fundata supponatur.

Benè verò, si in mulctam, ob omissam aliquam ad licitatem compensationis conditionem.

(*a*) Talia infamatio, deprehensio, scandalum, etc. Monendi ergò, si absquè gravi incommodo fieri possit, debitor ejusque hæredes de extinctâ obligatione, tùm ut iterùm non solvant, tùm ut pravum deponant affectum. Et curandum ut tertia persona furti non accusetur. Hoc enim exigit charitas.

Nota : Compensationes manifestæ ab aliquibus permittuntur. Hoc aliis

scandalosum meritò apparet. Aliundè sic sibi compensans non fit dominus rei quam accipit, nisi sit res sua adhùc existens in individuo; in quo casu potest esse adhùc in compensatione levis saltem inordinatio.

SECTIO II.

De malitiâ furti.

418. Furtum potest esse mortale ab intrinseco, cùm nempè materia furto ablata gravis est in se.

Et ab extrinseco, tùm ratione damni extrinseci quod ablatio rei in se levis inferret, tùm ratione doloris, odii, blasphemiarum, scandali, etc.

Et hìc sedulò notandum rusticos plures, et præsertim parvulos, mortalia ex errore conscientiæ sæpè reputare furta in se levia, et ea in confessione non raro reticere (*a*).

In genere materia furti gravis censetur cujus ablatio dissolutiva est pacis et amicitiæ inter homines, seu de quâ dominus rationabiliter et graviter invitus est ob notabilem utilitatem quâ eum privat; et hoc solum ut certum tradi potest ac in catechesibus exponi; non enim fidelibus exponendæ variæ circà quantitatem materiæ furti ad mortale requisitam Theologorum opiniones (*b*).

(*a*) Regulariter insuper confessarius inquirat à fure, 1° quantitatem; 2° intentionem plus furandi, si habita fuerit, et quantùm; 3° damnum extrinsecum, seu lucrum cessans, aut damnum emergens ex furto; 4° durationem et renovamen intentionis furandi aut retinendi alienum.

(*b*) Multi, qui quantitatem gravem ad varios hominum status relativam putant, non attendunt damnum furtò intrinsecum esse pro omnibus idem; et qui summam aliquam arithmeticam ut gravem determinant, errant, vel ex eo quòd summæ varient pro locis et temporibus, ità ut quæ hìc et nunc leves sunt, olìm fuerint, et sint forsan alibi graves. Sat probabilis est sententia summam ut gravem habens quæ correspondet valori laboris unius diei operarii mediocris tempore ordinario corporaliter laborantis. Qui enim portavit pondus diei et æstûs, meritò esset graviter invitus, quòd sibi salarium auferretur. Sed et hoc moraliter accipiendum. Undè qui furatur quantitatem huic valori approximantem, ut moraliter reus habendus est.

Nota solùm : 1° dari posse casus particulares in quibus talis summæ ablatio non esset mortalis, quia nempè dominus non esset graviter invitus.

2° Dominum posse esse graviter invitum de modo quo res ipsi ablata est, et leviter solùm de re ipsâ. Sic aliquandò viri ergà furta uxorum, etc. Tunc peccatum non esset mortale, saltem ratione furti. Non tamen necesse quòd dominus de facto indignationem gravem concipiat.

419. Plura furta levia unum mortale sæpè efficiunt, sive affectivè, ex intentione nempè sic ditescendi, aut quid notabile habendi, etc. [198, b]; sive effectivè, cùm scilicet moraliter uniuntur (a) et tandem perveniunt ad materiam gravem (b).

Nec refert quòd furta levia pluribus fiant vel uni; societatem enim contrà furem faciunt ii quorum jura læduntur, habentque eum ut hostem communem (c).

(a) Unionem moralem definire nemo potest. Alii medium annum, alii mensem solum sufficere volunt ut sat sit inter furta propinquitatis, graveque efficiant. Intentio ditescendi confert multùm ad unionem furtorum. In dubio contrà furem præsumitur.

(b) Juxtà multos, fur, qui per levia furta tandem pervenit ad quantitatem gravem, mortaliter peccat denuò per quodlibet furtum leve, quamvis non possit actu restituere, si materiæ præteritæ moraliter uniantur et adsit sufficiens advertentia ad furta præcedentia, quia retentio est continuata acceptio. Alii volunt novam requiri furtorum levium congestionem, si fuerit moralis interruptio. Certè peccat mortaliter denuò per affectum quem habet summam gravem retinendi, si habeat. Si autem nedum habeat hunc affectum, pœniteat eum furtorum præcedentium, quod forsan difficilè supponi potest, sitque dispositus ea restituere, durum videtur quòd per leve furtum iterùm commissum sine intentione ultrà progrediendi, peccet mortaliter.

(c) Attamen quandò pluribus fiunt, multi paulò majorem quantitatem, alii duplum requirunt ad peccatum mortale. De hoc judicandum ex majoribus vel minoribus inter furta intervallis, et ex majori vel minori multitudine eorum quibus fiunt. Multi minùs quàm unus censentur inviti, præsertìm si sint diversarum regionum, nec ullo societatis specialis vinculo conjungantur.

Nota : Idem cum proportione dicendum de furtis levibus uni personæ successivè factis per intervalla, et eò major quantitas ad mortale requiri videtur quò majora sunt intervalla. Secùs si quasi continuò furta fiant.

---

420. Cùm plures communi conspiratione gravem uni vel pluribus per levia furta quantitatem subripiunt, ità ut quid leve solùm singuli accipiant, peccant singuli leviter peccato furti, et mortaliter peccato damnificationis.

Si autem absque communi conspiratione, ità ut nullus influat in furta aliorum (a), nullus peccat mortaliter, licèt sciat damnum grave aut jam illatum, aut actu inferri, aut posteà inferendum domino.

Sententia contraria antiquata est et meritò, cognitio enim hæc non est damnosa domino.

(a) Difficilè nullus movet alios. Exemplum enim æquè sæpè loquitur ac lingua. P. G. *Ant.*, P. *Ant. à Goritiâ.*

APPENDIX

DE RE EX FURTO REDACTA.

421. CIRCA obtrusam hanc materiam hæc sola, consultis etiam jurisperitis, tradere possum :

1° « Quod ex re furtivâ redigitur, furtivum non esse nemini » dubium est. Nummus ergò qui redactus est ex pretio rei » furtivæ non est furtivus. » L. 49, § de furtis (*a*).

2° La vente de la chose volée est nulle (1598) (*b*).

3° « Pour payer valablement, il faut être propriétaire de » la chose donnée en paiement, et capable de l'aliéner. » Néanmoins le paiement d'une somme en argent, ou autre » chose qui se consume par l'usage, ne peut être répété contre » le créancier qui l'a consumée de bonne foi, quoique le » paiement en ait été fait par celui qui n'étoit pas proprié» taire, ou qui n'étoit pas capable de l'aliéner (1238).

(*a*) Hæc juxtà jus romanum, sed cùm ex jure hodierno venditio rei alienæ nulla sit, videtur emptorem non intendere transferre proprietatem pecuniæ suæ, sicut ad ipsum non transfertur proprietas rei, nisi, ut videtur, sciat rem quam emit esse alienam. Attamen verum remanet pretium ex re alienâ redactum non esse furtivum, in hoc sensu quòd non subrogetur rei furtivæ, sed furtivum esse in sensu quòd qui illud dedit, possit illud repetere, nisi, etc., ut in tertio casu; fuit enim per errorem datum. Sic ferè jam Col. Andeg. contrà P. Gab. Ant. et P. Ant. à Goritià. Hæc tamen non dico nisi dubitanter aut saltem hæsitanter. Multùm enim placeret et in praxi commodior, si juri novo dici posset conformis P. Gab. Ant., etc., sententia, ex quâ sequeretur sine restrictione, vendentem aliquid pro pecuniâ ex furto redactâ, posse eam retinere (sed posset in pluribus casibus injustus esse ut cooperator). Aliundè parùm refert ad dominum pecuniæ quòd hæc ipsa aut alia restituatur, si fur habeat undè restituat.

(*b*) Attamen emens pecuniis alienis videtur acquirere dominium rei emptæ, quia valida est venditio. Solummodò pretium non est solutum. Vendens non tenetur tunc rem tradere (1612), nec acquireret proprietatem pecuniæ alienæ, nisi foret in casu tertio.

CAPUT II.

DE INJUSTITIA IN CONTRACTIBUS.

NOTIONES GENERALES

Circà naturam, varias species, causam efficientem, objectum, effectus, interpretationem et extinctionem obligationis contractuum.

§ I.

De naturâ contractûs.

422. CONTRACTUS est pactum duorum vel plurium, obligationem justitiæ pariens.

Non spem ergò tantùm, sed securitatem præstat contractus.

Obligatio autem justitiæ, ex contractu resultans, est

Vel naturalis tantùm, cùm nempè contractus, etsi validus, non dat actionem in foro externo;

Vel civilis tantùm, cùm contractus, in conscientiâ non obligans, dat tamen actionem in foro externo, ob aliquam præsumptionem falsam, seu suspicionem;

Vel naturalis simul et civilis, cùm et in conscientiâ obligat contractus et dat in foro externo actionem.

Et hìc nota eum cui, ob falsam præsumptionem facti, datur ex contractu actio in foro externo, non posse eâ uti in conscientiâ, ni illa actio justum alium supponat titulum.

---

423. Non solùm contractui in conscientiâ obliganti, seu naturaliter valido, actionem in foro externo lex recusare potest, sed et eum irritare, ità ut ne naturalis quidem ex ipso exsurgat obligatio, nec ullum jus, ac sit sicut si non esset; quia voluntates et bona subditorum potestati legitimæ, ut gubernatrici, subjiciuntur, id exigente bono communi (*a*).

Imò quandò contractus aut irritatur, aut rescindibilis declaratur à lege immediatè et principaliter intuitu boni communis, nullum ipsi robur adderet juramentum, quia

juramentum non est ligamen iniquitatis (*b*)[318]. Sed possent leges statuere juramentum esse legibus quibusdam adminiculum; imò declarare contractum alioquin nullum, etiam in conscientiâ, valere si juramento firmatus sit.

(*a*) De lege ecclesiasticâ id certum est, cùm de facto irritet matrimonium si certæ desint conditiones. Sed et de lege civili, quoàd actus civiles, idem videtur dicendum, licèt contrarium existimârint veteres. Cur enim principi non subjicerentur, quoàd civilia, subditorum voluntates, sicut quoàd spiritualia subjiciuntur Ecclesiæ? Nonnè id æquè exigit bonum commune?

Ast lex civilis, nostra præsertìm hodierna, irritatne de facto in conscientiâ aliquos contractus, ob defectum, v. g., quarumdam formalitatum à se præscriptarum; et quinam ut taliter irritati habendi sint: decidere hoc opus, hic labor est; et tamen quæstio praxis est quotidianæ.

Formalitates autem seu modi contractuum sunt:

Aliæ essentiales; sine quibus contractus esse nequit, ut capacitas. Sunt potiùs natura contractuum quàm eorum modi. Aliæ substantiales sine quibus contractus aut nullus declaratur aut irritandus dicitur [440, *a*.]

Et aliæ accidentales, quæ præcipiuntur equidem, sed non sub tali pœnâ. Ipsa curia rescissionis (la cour de cassation), post doctores, hanc distinctionem admittit, inquit D. Toullier.

Porrò conveniunt omnes legem non irritare contractum, eò quòd illum, sine tali formà c lebratum, prohibeat præcisè. *Multa enim fieri prohibentur quæ facta tenent.*

Item legem non irritare, si simpliciter dicat contractum, sine tali formâ celebratum, fore irritandum [152]; sed è contrà illum hucusque valere [153].

Et hìc notandum contractus apud nos valentes usque ad eorum rescissionem per sententiam judicis, ut qui metu gravi facti sunt, multùm differre à contractibus à lege irritis. Hos sententia judicis non rescindit, sed est eorum nullitatis simpliciter declaratoria.

Attamen et in istis contractibus discretioni judicis multa necessariò relinquuntur, cùm lex omnes casus prævidere nequeat. Tunc ex tribunalium, et præsertìm ex curiæ supremæ rescissionis judiciis, quasi jus novum exurgit quod jurisprudentia vocatur.

Tandem conveniunt omnes teneri per se neminem servare contractuum formalitates in suî solius favorem præscriptas, sed solùm aliquandò per accidens ad vitandas lites, etc.

Quæstio est ergò an contractus celebrati absque formalitatibus substantialibus sub pœnâ actualis nullitatis præscriptis, valeant in conscientiâ? Circà quod in quatuor partes, omnes probabiles, abeunt theologi. Alii, præsertìm veteres et recentissimi, quibus addenda videtur major et fortè longè major pars jurisperitorum, affirmant; quia, aiunt quidam, lex civilis derogaret legi naturali; quia leges irritantes fundantur in præsumptione fraudis, ac proindè non obligant ubi non est fraus; quia in solum instrumentum actùs cadit nullitas; et quia solutum consequenter ad illos actus repeti nequit, dùm tamen repeti posset si non fuisset debitum (1235). Undè inferunt plures non posse obtineri horum actuum rescissionem, seu potiùs eorum nullitatis declarationem.

Alii, præsertim recentes, quorum sententia videtur multò communior, post Suarez, Sylvium, Delugo, negant; quia, inquiunt, negari nequit posse civilem etiam potestatem irritare actus in foro interno, si id expediat ad bonum commune propter periculum fraudum et ad vitandas lites, etc. Si autem possit, cur non faceret cùm sua lex id exprimit? Cur ad forum externum restringeretur ejus intentio, cùm id non dicat? Aliundè, positâ solùm in foro externo irritatione, lex parùm censeretur utilis, imò faveret iniquitati, laqueum injiceret conscientiis, et judices cogerentur ad obediendum injustæ petitioni eorum qui contractus coràm Deo validos, pro invalidis haberi vellent. Ergò ad bonum commune, maximè spirituale, magis expedit contractum vel non annullari ullatenùs vel annullari certò pro utroque foro. Una debet esse justitia, addit Comitolus, quando constat de facto. Cur divideretur in justitiam fori interni et justitiam fori externi? Cur decisiones confessariorum essent hìc in perpetuo conflictu cum sententiis judicum?

Alii cum Cabassutio, sed multò minùs communiter, medium tenent, dicentes contractum formalitatibus substantialibus destitutum valere ad hoc ut possessor possit retinere donec per sententiam condemnetur. Ratio eorum est quòd in dubio melior sit conditio possidentis, et quòd hìc dubium sit, cùm tot sint auctores pro utràque parte. Aliundè, addit Soto, talis videtur esse intentio legislatoris. Taliter videtur leges usu proborum esse receptas.

Eamdem fere mediam viam laboriosè tentat Billuart.

Tandem alii, Molina, Lessius, Lacroix, distinguunt inter contractus ultimæ voluntatis et alios. Illos valere volunt in foro interno, si in conscientiâ constet de voluntate defuncti; non istos. Fundantur pro illis, variis utriusque juris textibus, et communi, inquiunt, doctorum sententiâ.

Solus legislator nodum hìc solvere potest. Prima sententia videtur ex parte legisperitorum ab extrinseco longè probabilior. Secunda è contrà ex parte theologorum, ab extrinseco, et vi rationum ab intrinseco item multò probabilior. Saltem non videntur inquietandi qui judicium reclamant; aut qui certi quòd, rem dicendo sicuti est, sententiam favorabilem obtinerent, nequidem ad judicem recurrunt; nec, (sed minus tranquillè dico) qui, è contrà, cum titulo legibus irrito, quietâ conscientiâ possident. Addo posse in his fieri sæpè compositionem amicabilem, maximè si lex nullitatem omnimodam clarè non pronunciet; quin strictè tunc interpretanda.

Quoàd compensationem hìc nimis frequentem, vide numero 415.

Nota : Cognoscitur legem clarè contractum omnimodè irritare 1° Ex ipsius tenore. 2° Ex ipsius fine, cùm nempè boni communis et morum interest ut contractus omninò irritus sit. 3° Ex communi doctorum et interpretum sensu. 4° Ex consuetudine, praxi et stylo curiarum præsertìm supremæ.

(*b*) Si autem contractus irritetur aut rescindibilis sit jure positivo (ob aliam causam quam vis aut dolus) propter utilitatem privatam contrahentis, communiùs docent juramentum illi addere vim, modò cum lex non irritet in conscientiâ, etiam quatenùs juramento firmatum; quia potest unusquisque renunciare legi sibi faventi, et hìc consonant jus civile et canonicum. Ast alii negant juramentum dare contractui vim justitiæ quam non haberet; quia non potest adimere vim legis irritantis, et quia promissio in juramento inclusa ipsa nulla est, utpotè quæ sit contractus suprà primum reflexivus et ejus subeat naturam, quod confirmant per legem *non dubium* quintam cod. de legibus imperatorum : *Secundùm itaque prædictam regulam, quâ ubicumque non servari pactum, lege prohibente, censuimus, certum est nec*

stipulationem hujusmodi tenere.... Nec sacramentum admitti. Et per legem 7 ff. de pactis : *Generaliter quoties pactum à jure communi remotum est, servari hoc non oportet, nec jusjurandum.*

Si juramentum cadat in contractus de quibus dictum est quòd obligationem naturalem pariant, illos firmat. Si in omninò irritos, probabilius videtur eos non firmare in genere justitiæ; benè verò, et omnes fatentur, illis imponere obligationem religionis, nisi sit contrà legem prohibentem aut sub culpâ præcipientem.

---

424. Contractus intrinsecè constituitur ex mutuo circà obligationem justitiæ sibi imponendam contrahentium consensu.

Qui verus sit, seu internus (*a*).

Plenè deliberatus.

Manifestatus.

Acceptatus (saltem tacitè in contractibus gratuitis).

Et expers erroris substantialis (*b*) dolive errorem substantialem inducentis, metûsque libertatem ad præbendum consensum plenè deliberatum sufficientem non relinquentis, quamvis, absente metu hoc, æquè factus fuisset contractus.

In casu tamen doli errorem substantialem non inducentis, aut metûs gravis libertatem ad consensum relinquentis, contractus, si sit solubilis, rescindi saltem potest, si dolus aut metus ipsi causam dederint injustè (*c*).

Quòd si dolus tunc à tertio venerit, non participe contrahente, jus non dat locum rescissioni contractûs (*d*), benè verò, etsi à tertio, violentia aut metus (1111). Lege totam sectionem ubi videbis exceptionem effectibus metûs ordinarii, quòd nempè locum ejus non teneat, in præsenti casu, timor reverentialis (1114) (*e*).

Hic nota 1° reparanda esse damna ex dolo aut metu evenientia, etsi contractus non esset rescindibilis, ut non esset (attento saltem foro externo), si factus fuisset solùm ex metu levi.

2° Si deceptus aut metum passus stare velit contractui, alter non potest, saltem plerùmque, resilire.

3° Metum rationis usum relinquentem reddere tamen contractum jure naturæ invalidum, cùm objectum ejus est liberatio ab vexatione aut metu injusto, etsi metus non incu-

teretur ad extorquendum consensum, modò, in hoc casu, contractus fiat cum metum incutiente; quia deest materia contractûs validi (*f*).

(*a*) Ergò non contraheret qui nequidem implicitè cognosceret se obligationem aut onus aliquod suscipere; nec qui cum semiplenâ deliberatione. Improbat enim recta ratio quòd quis obligetur ut homo per actum quem non fecit nisi ut semi-homo.

Ast requiriturne intentio interna se obligandi? Videtur; et in dubio utrùm voluntas contrahendi (quæ sanè sufficeret) prævaluerit intentioni se non obligandi, contractus videtur dubius; et nullus si utraque voluntas fuerit æqualis; quia voluntas contrahendi essentialis est contractui. Sed in praxi controversia hæc nihil aut parùm refert, cùm fictè consentiens debeat posteà verum præbere consensum, ad reparandam injuriam illatam, vel, si non possit, aliter damna reparare. Nec emptor, v. g., tenetur credere venditori dicenti se fictè vendidisse.

Magìs refert scire an contractus scripturâ perficiatur, nec anteà obliget [400]. In genere antè valet. Attamen antè scripturam, si fieri debeat, possunt à contractu venditionis resilire, aiunt Col. Andeg., Rituale Teloniense et Bailly. Sic est, inquit D. Dens, cui libenter assentior, quandò talis est voluntas contrahentium, aut consuetudo, aut dispositio juris sic requirentis, et aliter factum irritum reddentis, vel concedentis tempus resiliendi seu pœnitendi.

Undè sepositâ hâc consuetudine aut juris dispositione (cui renunciari potest ubi in favorem particularium tantùm sancita est) à voluntate seu mente contrahentium res pendet. Si ergò noluerint concludere contractum nisi scripturâ muniatur, antequàm scriptus sit, resilire licet. Secùs si scripturam intenderint solùm ut instrumentum quo contractus probari possit in foro externo.

Hæc autem mens dignoscitur vel ex ipsâ contrahentium declaratione, vel ex circumstantiis, vel ex usu.

Consensus manifestatur variis præter scripturam signis. Aliquandò, sola verba sufficiunt, ut in donationibus de manu ad manum, conductionibus, etc. Aliquandò, in mutuo, v. g., commodato, etc., requiritur traditio rei. Alioquin mera mutui aut commodati promissio foret.

Scriptum et quidem authenticum necessariò requiritur in hypothecâ.

(*b*) Nàm ex axiomate, *nullus est errantis consensus*. Intelligitur de errore in substantialibus. Substantialia autem censentur in contractibus ea ad quæ ex usu communi vel legum dispositione intentio contrahentium implicitè saltem et virtualiter censetur restricta; undè error potest esse substantialis circà aliquod accidentale, ut in casu in quo quis intendit emere vaccam plenam quæ tamen vacua est, vinum Burgundiæ, et venditur Comitatûs.

In praxi facile est cognoscere quandonam error sit circà substantiam ipsam, naturam nempè contractûs aut materiæ ejus, excepto tamen in contractu emptionis-venditionis in quo difficilè discernitur quandonam una res sit substantialiter diversa ab aliâ: in his magìs attendi debet species moralis, prout servit humanis usibus, quàm species physica. Et hinc vendi aliquandò posset validè una res physicè distincta ab illâ quam intendit emptor, si eumdem omninò usum habeat, eosdemque producat effectus, et de cætero pretium justum observetur. *Dens*, post Daelman Facile est abuti hâc decisione.

Sed difficilè noscitur quandonam error versetur circà causam finalem seu motivum principale contractûs; et difficiliùs adhùc quandonam circà accidentalia de quibus mox, et quæ dicuntur in substantiam redundantia.

Quoàd motivum principale : ex solo errante dignosci potest. Quòd si plures sint causæ contractûs, ut si quis det Petro et quia eum credit pauperem tùm quia credit consanguineum, videndum an ad omnes fines consensum restrinxerit tanquàm unum principalem coadunatim efficientes, quo partìm deficiente, non dedisset, quia non sufficiens habuisset motivum; et tunc uno deficiente, contractus ex errore nullus est. Item si ex pluribus, uno finali, aliis impulsivis, desit finale motivum. Validus autem si error versetur solùm circà causam merè impulsivam, et finem secundarium. Sic valet donatio facta faciliùs pauperi quia creditur probus.

Quoàd accidentalia; ut cognoscatur an sint primariò et principaliter intenta, non sufficit, inquit Billuart, quòd errans sit ità habitualiter dispositus, ut si errorem adverteret, non contraheret; id enim contingere potest circà accidens minùs principaliter intentum; et alias plerique contractus forent invalidi. Sed requiritur ut apponatur inferiùs ut conditio limitans consensum. V. g., emo vinum, si sit Burgundiæ, aliàs non. Vel saltem ut conditio apponatur virtualiter et implicitè limitans, ut plerumque contingit quandò qualitas accidentalis, circà quam versatur error, est notabilis, ità ut oppositum constituat rem, de quà contrahitur, longè diversam ab eà quam cogitat et intendit contrahens. Tunc enim qualitas accidentalis plerùmque censetur principaliter intenta, et transit in substantiam rei.

Dico autem *plerumque*, quia attendenda est natura contractûs; in contractibus enim facilè solubilibus, ut in promissionibus et donationibus gratuitis, minor error aut deceptio quàm in aliis sufficit ut errans censeatur ad aliquid accidentale limitare consensum. Unusquisque enim judicatur prudenter secundùm naturam et conditionem contractûs consentire. Hinc in contractu matrimoniali omnium firmissimo, nemo censetur, nisi de contrarià ejus voluntate constet, consensum restrinxisse ad qualitatem accidentalem.

Hæc dicenda de dolo errorem inducente.

Non videtur ergò admittenda, ob suam universalitatem, sententia multorum qui contractum ut nullum habent, quandò error circà qualitatem accidentalem ipsi causam dedit. Potest enim error dare causam contractui, quin ad qualitatem circà quam errat contrahens, suum restringat consensum.

Nota : error circa pretium substantialis est. Nulla ergò est emptio in quâ quis credit se emere pro 50 quod alter credit se vendere pro 100. Secùs error circà majorem vel minorem valorem rei ob quem majus vel minus solutum sit pretium : sufficit tunc reponere æqualitatem, si pretium non sit justum.

(c) Ob metum levem non datur actio, quia non præsumitur metum levem dedisse causam contractui; si tamen dederit, contractus est rescindibilis in foro interno, quia alter tenetur restituere metum passum in statu in quo erat anteà, nec potest aliter injuriam reparare. A fortiori si metus reputatus levis fuerit de facto gravis. Ità multi.

Dixi in positione principii contractus ex metu, etc., rescindi *saltem* posse; hocque 1° intelligitur : antè sententiam judicis. Quia, de jure naturæ, metum passus debet reponi in suo statu libertatis, nec aliter reparari potest injuria ipsi illata. Aliud foret, si à tertià personà, contrahente non participe, metus fuisset incussus, tunc requireretur sententia judicis.

Et eam pro aliis casibus requirit jus novum Galliæ. Nam (1117) « la con- » vention contractée par erreur, violence ou dol, n'est point nulle de plein » droit; elle donne seulement lieu à une action en nullité ou en rescision.» Sed hæc pro foro externo, observanda tamen.

Dixi : *Saltem posse rescindi.* 2° Quia non conveniunt auctores utrùm illi contractus sint jure naturali validi. Videtur, quia metus supponitur libertatis usum sufficientem relinquere.

Nota : si metus non fuerit incussus in ordine ad extorquendum consensum, alii contrà alios dicunt contractum non esse rescindibilem. Sic ex jure videtur, quia in consensum vim cadere codex supponit : « Si le con- » sentement a été extorqué par violence (1109). » Aliter videtur in foro interno, si metus causam dederit contractui.

(*d*) Sed potestne rescindi in conscientià? Affirmant theologi, si agatur de contractibus omninò gratuitis. Addunt alii : et de sponsalibus, quia in his subauditur conditio : nisi notabilis sit error aut mutatio. Imò si contractus sit onerosus, deceptus, inquit theol. Pict. non tenetur implere eum, si res sit adhùc integra. Sed si non, deceptus non habet actionem nisi adversùs deceptorem. Videtur hìc ratiocinandum sicut suprà de contractu facto ex errore circa qualitates accidentales. Dolus enim in casu præsenti in contractum non influit nisi quatenus errorem inducit.

(*e*) Quæ tamen extorta sunt per timorem reverentialem, aliquandò restituenda sunt, quandò extorta sunt ei qui dedit invitè, ne sibi offensam redderet personam metum incutientem, modò is qui dedit invitus, adhùc invitus maneat et credatur optare sibi fieri restitutionem. *Theol. Pict.* Hoc saltem æquum est; at non videtur strictè intelligendum nisi in casibus in quibus timor reverentialis injustè incussus esset, minis, verbis asperis, etc. Quia tunc metui et vi æquipararetur, non verè quandò simpliciter est reverentialis et à naturà inditus.

(*f*) Vexans enim ex sua parte nihil aliud confert quàm liberationem seu cessationem ab injustà vexatione quæ sanè vendibilis non est. Et id verum, quamvis metus sit levis. Nam est ibi donatio, quæ liberalis et gratuita ex naturâ suâ est, sed contractus innominatus *do ut facias* quod jam debes ex justitià strictâ, nempè ut non vexes me. Ità multi.

---

425. Nota circà metum : Qui justè metum incussit, potest promissa ex hoc metu exigere, vel data retinere, si jus quod habebat metum incutiendi sit pretio æstimabile, et promissum aut datum juri huic proportionatum sit, modò saltem sine fictione, dolo aut mendacio metum incusserit (*a*).

(*a*) Aliter enim minæ facerent ut ex dolo contractus fieret, quia essent minæ dolosæ. Ità videtur meritò cardinali Delugo post Molinam et Bonacinam, contrà Sanchez, Lessium, Dianam, etc.

§ II.

De variis contractuum speciebus.

426. Contractus alius est formalis et expressus, cùm nempè pactum est explicitum;

Et alius qui dicitur quasi-contractus, cùm scilicet pactum est solùm implicitum, ut in susceptione muneris.

Alius perfectus, qui et onerosus seu ad titulum onerosum vel simpliciter contractus appellatur, quem synallagmaticum seu bilateralem vocant juristæ, quique ex utrâque parte parit obligationem justitiæ;

Et alius imperfectus, qui et semi-contractus seu contractus gratuitus vocatur, quem unilateralem appellant, quique ex unâ parte tantùm obligationem parit. Vide cætera cap. 1, tit. 3, lib. 3 cod. civil.

Alius nominatus, qui nomen habet in jure;

Et alius innominatus qui proprio nomine caret, quadruplexque est, *do ut des; do ut facias; facio ut des; facio ut facias*. Ordinariè actionem non dat in foro externo, quia rarò vestitur, et id proprium habere dicitur quòd, jure civili saltem, possit resilire pars prior contrahens, quandiù altera contractum non implevit, nec fecit impensas; v. g., repetere pecuniam datam ad aliquod iter, si nondùm factum sit. Quin et hoc certò licitum in foro conscientiæ, si talis intentio fuerit. Sed altera pars indemnis præstetur si damnum ob errorem passa sit (*a*).

De hâc contractûs specie nulla in codice expressa seu distincta mentio.

Et olim distinguebant contractum purum, cui nullum; et non purum, cui aliquod adjicitur accidens, nempè dies, modus, causa, demonstratio (*b*), conditio, terminus, disjunctio.

Codex civ. tractat de contractu cum conditione, termino et disjunctione, quibus adjungit contractum cum solidaritate, divisibilitate vel indivisibilitate et clausulis pœnalibus. De his hic solùm.

(*a*) Difficilè sæpè cognoscitur hæc intentio. Tunc compositio amicabilis facienda. Lucrum quod ex contractu factum fuisset, non videtur damnum, ait Delugo.

(*b*) Quamvis contractus, sive habeant, sive non habeant denominationem propriam, subjecti sint generalibus et particularibus regulis (1107), nec ullas inveniam in codice civili sub nomine contractuum *ad diem, ad modum, ad causam et ad demonstrationem;* has, quas olim dabant, habeto.

Contractus *ad diem* incertam resolvitur in contractum conditionalem; ad diem verò certam, statim inducit obligationem, sed non pro statim, quia eum implere non tenetur contrahens antè præfinitam diem. Idem videtur ac contractus ad terminum.

Contractus *ad modum* non suspenditur nec cessat, modo non impleto; quia modus est gravamen adjectum contractui absoluto et substantialiter completo, ad quem se habet ut accessorium ad principale. V. g., do talem summam sub tali onere. Possum solùm urgere oneris impletionem, et qui modum non implet, tenetur mihi restituere, non quidem quod accepit, sed valorem oneris.

Si tamen de contrariè contrahentis voluntate constaret, contractus esset conditionalis, qualis est sæpè contractus ad modum utrinque onerosus, aut qui cedit in utilitatem dantis. E contrà si modus sit onus et in utilitatem accipientis.

Sæpè in praxi difficilè determinatur intentio contrahentis ad modum. Ex circumstantiis judicanda est à viro prudente. Hinc *ad modum* simpliciter reputatur munusculum novi anni, *modò benè studeas;* restituereque munusculum non tenetur adolescens, si non benè studeat. Quin sæpè nec ex justitià tenetur benè studere, quia modus munusculo apponi non solet nisi ad instar monitionis.

Contractus *ad causam* non obligat, si desit causa finalis: benè verò si desit solùm causa impulsiva et secundaria, quamvis sine eâ factus non fuisset contractus. Non obstat enim quòd absolutè non fuerit factus.

Valet ergò eleemosyna facta pauperi, quia pauper, si reverà pauper sit. Secùs non valet; quia paupertas est causa finalis eleemosynæ. E contrà valet ob causam quòd sit pius, etsi non sit, quia ordinariè pietas non est nisi causa impulsiva. Et sic generaliter validæ sunt promissiones et donationes liberè et absolutè factæ, ideò principaliter ut alterius animus et gratia concilientur, licèt reipsà non obtineantur.

Excipitur semper si de contrarià mente constet. In dubio autem causa præsumitur merè impulsiva, quandò disponens intendebat favere illi in cujus gratiam disponebat.

Contractus *ad demonstrationem* non obligat quandò error in demonstratione substantialis est, vel quandò qualitas, falsò demonstrata, causa est finalis aut conditio contractûs. Secùs valet.

Hinc non valet legatum summæ in tali arcâ repositæ, si nulla summa in eà sit. Si legata sint 50 in tali arcâ reposita et sint solùm 20, valet quoad 20. Si verò legata sint 50 et 100 reperiantur, valet pro 100, si demonstratio sit solùm ad demonstrandum locum, et pro 50 si ad taxandam summam.

Porrò demonstratio est indicativa solùm, cùm incipit à re; taxativa verò seu restrictiva, si à numero vel mensurâ incipiat.

PUNCTUM I.

De contractu cum adjectâ conditione.

Apponi potest contractui conditio vel de præterito, vel de præsenti, vel de futuro contingenti aut necessario.

Si de futuro contingenti; vel conditio nullatenùs est in potestate contrahentium, et tunc casualis dicitur;

Vel ab unius aut alterius contrahentium potestate pendet, et tunc potestativa appellatur;

Vel pendet simul à voluntate unius contrahentium et à voluntate tertii, et tunc mixta.

Conditio insuper alia suspensiva et alia resolutiva obligationis.

Alia tandem repugnans substantiæ contractûs, alia impossibilis, alia turpis.

---

427. Cùm conditio est de præterito vel præsenti, valet vel non valet contractus prout posita vel non posita est conditio.

Idem dic de contractibus sub conditione de futuro necessario, nisi intentio fuerit obligationem hucusque suspendendi; qualiter evenire posset, si bonâ fide ignoraretur futurum illud necessarium esse. Nam « toute condition doit » être accomplie de la manière que les parties ont vraisemblablement voulu et entendu qu'elle le fût (1175). »

Cùm verò conditio est de futuro contingenti, suspensiva est obligationis.

Item si jam posita sit, sed ignorata à partibus (*a*). Tunc valet vel non valet contractus, prout, etc.

Cum hâc differentiâ tamen quòd in priori casu « l'obligation » ne peut être exécutée qu'après l'événement. » In posteriori verò « elle a son effet du jour où elle a été contractée » (1181). » Vide ibidem quid juris cùm res, manente conditione suspensivâ, periit aut deterior facta est. Vide item (1176 et 1177) quod spectat ad tempus eventûs determinatum vel non determinatum.

Solùm nota : « La condition est réputée accomplie lorsque

» c'est le débiteur obligé sous cette condition qui en a em-
» pêché l'accomplissement (1178) » (*b*). Et « la condition
» accomplie a un effet rétroactif au jour où l'engagement a
» été contracté (1179). »

(*a*) Si consensus fuisset antè eventum revocatus, contractus in absolutum non transiret, eveniente conditione. Ità communius. Sed injustè consensus revocaretur, ac proindè de damnis esset obligatio. Imò eveniente conditione contractus valet. *Col Andeg.*

(*b*) Si autem conditio non fuerit certò impedita, cùm nempè ignoratur an evenisset, fraudulenter impediens restituat saltem tunc secundùm eventùs verisimilitudinem.

Quoàd conditionem potestativam, adimpleta censetur cùm per eum ad quem pertinet non stat quominùs impleatur, sed per alterum contrahentem. *Bouvier.*

Quin etiam aliquandò, juxtà theologos, conditio impletur in æquivalenti, v. g., si legatum factum sit in favorem juvenis sub conditione quòd talem puellam ducat; valet legatum, inquiunt, si puella recuset.

Nota : Fieri potest (sed rarum) ut contrahentes velint valere contractum ex ipso, quo fit, tempore; ità ut conditio non sit suspensiva. Tunc enim, non valor contractus, sed ejus valoris notitia penderet à conditionis eventu. V., g. ex tunc vendo tibi equum, si pater meus, cùm redierit, consentiat. Ex tunc obligatio suum habet effectum.

Nota iterùm : Conditio resolutiva (*résolùtoire*) ea est quæ impleta, revocationem obligationis operatur, resque in eodem statu reponit ac si non extitisset obligatio; ac proindè hanc non suspendit. Hæc conditio semper subintelligitur in contractibus synallagmaticis pro casu in quo una pars non satisfacit suæ obligationi, sed « la résolution n'est point de plein droit....; » elle doit être demandée en justice, et il peut-être accordé un délai au dé- » fendeur, selon les circonstances (1184). » Vide totum § III. cap. 4, lib. 3, tit. 3 Cod. civil.

4:8. Conditio repugnans substantiæ contractûs illum annullat; quia contrahens vult simul et non vult.

Item conditio impossibilis, ut talis ab eam apponente cognita; quia vult jocari. Si autem non cognoscat ejus impossibilitatem, errat circà substantiam contractûs; et tunc adest ex conscientiâ erroneâ obligatio usquè dùm cognoscatur conditionis impossibilitas.

Item adhùc conditio turpis de futuro et intenta; quia nemo potest se obligare ad illicitum (*a*), et quia conditio turpis censetur moraliter impossibilis (1172).

Quæ dicta sint de contractibus quorum causa illicita est vel nulla aut falsa (1131).

Sed si conditio turpis sit de præterito vel præsenti, aut

de futuro quidem, sed non intenta, contractum non annullat.

Nota : « Dans toutes dispositions entre vifs ou testamen-
» taires, les conditions impossibles, celles qui seront con-
» traires aux lois et aux mœurs, seront réputées non écrites
» (900). » Ità etiam jus canonicum pro matrimonio. Supponunt enim jura hominem tunc non seriò agere.

Attamen ubi agitur de matrimonio, cùm nihil in eo possit supplere consensum, nullum foret, si reverà ad has conditiones contrahens suum restrinxisset.

(a) Turpis est conditio 1° quæ peccatum continet; 2° quæ nihil boni continet et aliquod aliud bonum impedit; 3° quæ licèt boni speciem contineat, in jure rejicitur ut turpis. Vocatur tunc civiliter turpis; hoc ultimum imò et secundum, difficillimè aliquandò discernuntur in praxi.

Hæc conditio : *Si nubas*, non videtur rejicienda ut turpis, quia per se et directè tendit ad statum honestum, licèt per accidens excludat perfectiorem. *Billuart.*

Sed si puella, cui, sub nubendi conditione, factum est legatum, religionem ingrediatur, debetur ei legatum, quia inhonestum est retrahere à statu perfectiori. *Collet, Bailly.* Quid tunc judicarent tribunalia, nescio.

Sed grandis controversia est an contractus initus sub conditione turpi obliget impletà conditione. Communior est opinio D. Antonini, Sylvii, P. Gab. Ant., Billuart, Theol. Pictav., etc., qui autumant datum sub tali conditione tunc retineri posse, ex lege quartà, ff. de condictis, ubi dicitur : « Quod meretrici datur repeti non potest. Licèt enim turpiter faciat quòd » sit meretrix, non tamen turpiter accepit quòd sit meretrix. » Ratio quam affert P. Gab. Ant. est quòd in illis pactis interveniat duplex promissio, una absoluta, faciendi rem illicitam, et hæc nequit obligare; altera conditionalis, et ex suppositione conditionis positæ. Hæc, ni leges irritent eam, valet, quamvis non valeat promissio facta sub conditione ponendà. Leges solùm decernunt ut talia pacta antè opus patratum habeantur ut invalida, et ut, patrato crimine, non oriatur obligatio civilis. Peccat equidem qui solvit quia patratum est crimen; sed non, si præcisè ad fidem datam servandam. Hinc ex lege secundà cod. de condict. ob turpem causam, res ob eam accepta, ei qui accepit relinquitur; et in lege octavà eodem titulo dicitur solutum ob turpem causam non posse repeti.

Gravi tamen ratione fundatur sententia negans, videturque speculativè probabilior. Dicunt enim ejus patroni quòd ad illicitum se obligaret qui promitteret se repensurum mercedem peccato; se soluturum, vi promissionis, summam pro eo patrando promissam. Aliundè jura tales contractus nullos declarant. Ergò, etiam positâ conditione, nulla est obligatio; quia non firmatur per conditionis impletionem quòd ab initio vi hujus promissionis non subsistit. Et juvari posset hæc sententia articulo 1123 cod. civ. Sed vel loquitur pro foro externo, vel ante patratum crimen. Sic enim accipiebatur lex romana quam renovat. Nunc nullus daretur locus repetitioni, inquit D. Delvincourt. *Bouvier.*

Sed cum multis exceptionibus hæc accipienda.

1° Fieri potest ut pro non adjectâ habeatur conditio turpis, ut in sponsalibus, juxtà multos; aut quòd injuria non possit aliter reparari quàm exequendo promissum. 2° Promissarius forsan non consensit in crimen nisi quia bonâ fide credens promittentem obligari, periculo pretio æstimabili se forsan exposuit, aut rem pretio æstimabilem præstitit; tuncque est emptio et venditio. Aliundè promissio potest esse absoluta, conditioque ipsi apposita non esse vera conditio, sed merum incitamen ad crimen, ut sæpè cùm sub promissione matrimonii virgo defloratur. Tandem frequenter rei invalidè promissæ fit post crimen donatio liberalis. Undè nisi leges tales contractus clarè invalidos reddant, aut accipientem inhabilem, sæpissimè saltem ipsis standum, et eò sæpiùs quòd vix sint qui promissa non exequantur aut data repetant.

Undè in praxi sæpissimè et forsan ordinariè qui hujusmodi promissa aut data acceperunt, sunt solùm obligandi ad totum vel partem in pios usus ex pœnitentiâ impendendum, ni ad victum, qualiter sæpè, toto indigeant, ut ordinariè quæ meretricio se dederunt.

Notare inutile est standum esse contractui, si promissio cadat in rem vendibilem, non in ejus circumstantiam malam, v. g., si sartori pretium fuerit promissum ut vestem die dominicâ conficeret; opus enim in se pretio dignum est.

Item acceptum reddendum esse danti antè patratum crimen. Sed si post crimen reddendum sit, v. g., pretium simoniæ, non potest restitui ei qui dedit, juxta D. Thomam, 2. 2 q. 62, art. 4, ad 2, sed in pios usus impendendum. Ità etiam D. Dens et alii passim. Quo autem jure? Juxtà alios positivo, juxtà alios jure gentium. Non sanè jure naturæ, quamvis debilem hujus juris afferant rationem, nempè quòd restitutio facta in pias causas possit censeri quandòque facta ei qui ad opus malum dedit, quandò nempè spes affulgeret eum, exemplo donatarii, à malo revocandum.

---

429. Et nulli sunt contractus sub conditione quam alter jam tenetur ponere, sub conditione nempè aliquid illicitum omittendi aut præceptum faciendi. Æquitati enim contrarium est aliquid pro hoc stipulare. *Si ob maleficium, ne fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hâc conventione.* Lib. 7, § III, ff. de pactis.

Restituat ergò qui aliquid accepit ut faceret vel omitteret quæ facere vel omittere ex justitiâ tenebatur, quia vendidit quod suum non erat (*a*).

Item si facere debebat aut omittere ex charitate: nisi tamen res præstita sit pretio æstimabilis; tunc enim solùm contrà charitatem commissum fuisset peccatum, quod non reddendo continuaretur.

Supponitur quòd opus ex charitate debitum cedat in utilitatem aliquid ad illud obtinendum dantis aut suorum; si

enim cedat solùm in commodum accipientis aut in honorem Dei, potest datum retineri (*b*).

(*a*) Excipe munus oblatum merè gratuitò, etsi, inquiunt aliqui, eo intuitu datum esset ut accipiens promptiori et alacriori animo faceret quod aliundè facere tenebatur. Sed injusta sæpè est ipsa morositas, et promptitudo ex justitiâ præcepta.

(*b*) Ergò quis retinere potest quod accepit ut fieret christianus.

PUNCTUM II.

De contractu disjunctivo.

430. QUANDO disjunctio cadit in personas, v.° g., lego Petro vel Paulo, res dividenda.

Si in res : Per traditionem alterutrius rei debitor liberatur, nisi creditori data expressè fuerit optio (1889).

Absoluta evenit obligatio disjunctiva, cùm una è promissis res perit, nec ampliùs tradi potest, etiam culpâ debitoris. Debet ergò eam quæ remanet, nec liberatur dando pretium illius quæ periit (1193).

Sed si optio creditori fuerit concessa, unâ re pereunte sine culpâ debitoris, alteram habere debet creditor. Si verò debitor sit in culpâ, creditor optionem habet aut quæ restat sibi vindicandi, aut pretium ejus quæ periit (1194). Vide sect. 3, cap. 4, tituli 3, lib. 3, cod. civ. Conforme in hoc juri antiquo jus novum.

PUNCTUM III.

De contractibus ad terminum, cum obligatione solidariâ, divisibili aut indivisibili, et cum clausulâ pœnali.

431. IN hoc terminus à conditione suspensivâ differt, quod hæc obligationem ipsam suspendat, terminus verò solam ejus executionem.

« Le débiteur ne peut plus réclamer le bénéfice du terme » lorsqu'il a fait faillite, ou lorsque par son fait il a di» minué les sûretés qu'il avoit données par le contrat à son » créancier (1188). » Vide sect. 2, cap. 4, tit. 3, lib. 3 cod. civ.

432. Obligatio est solidaria, vel inter creditores, cùm nempè ex titulo conventionis vel obligationis unusquisque rem integram exigere potest,

Vel ex parte debitorum, cùm ad eamdem rem ità obligati sunt ut quilibet possit cogi ad totum.

Igitur solutio facta uni ex creditoribus solidariis, ergà alios liberat; et facta ab uno ex solidariis debitoribus, alios ergà creditores eximit.

Sed nota 1° : « La remise qui n'est faite que par un des » créanciers solidaires ne libère le débiteur que pour la part » de ce créancier (1198). »

Nota 2° : « La solidarité ne se présume point; il faut » qu'elle soit expressément stipulée (1202). »

Excipiuntur casus ubi est pleno jure, vel ex dispositione legis.

Nota 3° : « Le codébiteur d'une dette solidaire, qui l'a » payée en entier, ne peut répéter contre les autres que la » part et portion de chacun d'eux : si l'un des deux se trouve » insolvable, la perte qu'occasione son insolvabilité se ré- » partit par contribution entre tous les autres codébiteurs » solvables et celui qui a fait le paiement (1214). » Quoique « l'obligation contractée solidairement envers le créancier » se divise de plein droit entre les débiteurs qui n'en sont » tenus entre eux que chacun pour sa part et portion (1213). »

Nota 4° : « Dans le cas où le créancier a renoncé à l'action » solidaire envers l'un des débiteurs, si l'un ou plusieurs » des codébiteurs deviennent insolvables, la portion des in- » solvables sera contributoirement répartie entre tous les » débiteurs, même entre ceux précédemment déchargés de » la solidarité par le créancier (1215). » Vide totam sect. 4, cap. 4, tit. 3, lib. 3.

---

433. Obligatio est divisibilis cùm objectum ejus, res sit vel factum, traditione aut executione dividi potest, sive materialiter, sive intellectualiter.

Si è contrà, indivisibilis est (1217). Vide sect. 5, cap. 4, tit. 3, lib. 3.

434. Contractus cum clausulâ pœnali ille est in quo debitor ad aliquid se obligat si conventioni desit.

Nota : « La nullité de l'obligation principale entraîne celle » de la clause pénale. La nullité de celle-ci n'entraîne point » celle de l'obligation principale » (1227).

« La clause pénale est la compensation des dommages et » intérêts que le créancier souffre de l'inexécution de l'obli- » gation principale.

» Il ne peut demander en même temps le principal et la » peine, à moins qu'elle n'ait été stipulée pour le simple re- » tard (1229).

» (Elle) n'est encourue que lorsque celui qui s'est ob- » ligé..... est en demeure (1230). » Vide sect. 6, cap. 4, tit. 3, lib. 3.

Ex articulo 1229 sequi videtur quòd si nihil ex inexecutione obligationis patiatur creditor, pœnæ solutio injustè exigeretur.

Atque hæc de variis contractuum speciebus dicta, in foro conscientiæ obligant, quippè quæ et à lege sancita, et rationi consentanea, nedùm contraria sint.

§ III.

De causâ efficiente contractûs.

435. « On ne peut en général s'engager ou stipuler en son » propre nom que pour soi-même (1119).

» Néanmoins on peut se porter fort pour un tiers, en pro- » mettant le fait de celui-ci, sauf l'indemnité contre celui qui » s'est porté fort, ou qui a promis de faire ratifier, si le » tiers refuse de tenir l'engagement (1120).

» On peut également stipuler au profit d'un autre, lorsque » telle est la condition d'une stipulation que l'on fait pour » soi-même ou d'une donation que l'on fait à un autre. » Celui qui a fait cette stipulation ne peut plus la révoquer, » si le tiers a déclaré vouloir en profiter (1121).

» Toute personne peut contracter si elle n'est pas déclarée » inhabile par la loi (1123).

» Les incapables de contracter sont les mineurs, les interdits, les femmes mariées dans les cas exprimés par la » loi, et généralement tous ceux à qui la loi interdit certains » contrats (1124).

» Les mineurs, l'interdit et la femme mariée ne peuvent » attaquer, pour cause d'incapacité, leurs engagements que » dans les cas prévus par la loi.

» Les personnes capables de s'engager ne peuvent opposer l'incapacité du mineur, de l'interdit ou de la femme » mariée avec qui ils ont contracté (1225).

» Le mineur est l'individu de l'un ou l'autre sexe qui n'a » pas encore l'âge de 21 ans accomplis (388). »

Minor emancipatus facere potest contractus plures quos faceret major, ut bona sua locare, non ultrà tamen novem annos, facereque omnes actus puræ administrationis; non tamen in mutuum accipere sine, etc. Vide cap. 3, tit. 10, lib. 1. Hìc solùm dictum sit minorem pleno jure emancipari per matrimonium (476), et minorem emancipatum, qui facit commercium, majorem in hoc reputari (487), sed ex codice commercii minor non censetur emancipatus ad commercium; « s'il n'a été préalablement autorisé par son père » ou par sa mère au cas de decès, interdiction ou absence » du père; ou à défaut du père et de la mère, par une dé» libération du conseil de famille, homologuée par le tri» bunal civil; 2° si en outre l'acte d'autorisation n'a été en» registré et affiché au tribunal de commerce du lieu où le » mineur veut établir son domicile » (code de commerce, art. 2).

Vide adhuc pro tutela cap. 2 ejusdem lib. (*a*).

(*a*) Hæc est differentia inter contractus a minore sine auctoritate tutoris et contractus cum eâ celebratos, quòd priores nulli sint, posteriores verò sint ob læsionem rescindibiles. *D. Toullier*. Et reverà hanc differentiam innuunt articuli 1304, 1311 et 1312. Contrà tamen quoàd prius membrum sentit D. Bouvier, quia de verâ et absolutâ nullitate horum contractuum nunquàm fit mentio.

Juxtà Billuart est in contractibus minorum obligatio naturalis, non tamen firma et quòad omnes effectus suos, quia minor potest opponere exceptionem ex beneficio legis non compellentis ipsum ad solutionem et tribuentis ipsi jus repetendi solutum. Obligatur ergò et non obligatur, sed sub diversâ

ratione; obligatur inefficaciter, non efficaciter, ità ut alter possit tutâ conscientiâ et accipere et retinere donec minor beneficio legis utatur.

Pro praxi parùm inserviret decisio quæstionis, cùm per rescissionem elidi posset obligatio naturalis, saltem si notabilis sit læsio. Nota solùm quòd minores « ..... ne peuvent attaquer pour cause d'incapacité leurs engagemens, » que dans les cas prévus par la loi (1225); » quòd teneantur de damno ex delicto aut quasi delicto; quòd minor « n'est plus recevable à revenir con- » tre l'engagement qu'il avoit souscrit en minorité, lorsqu'il l'a souscrit en » majorité, soit que cet engagement fût nul en sa forme, soit qu'il fût seu- » lement sujet à restitution (1311). » Undè, ait D. Toullier, obligationes minorum non sunt nisi conditionales, si voluntatem non mutent, si perseverent in eâdem voluntate cùm majores erunt. Cum Billuart ferè coincidit.

Nota iterum minorem ob læsionem restitutum teneri reddere pretium quod acceperat.

Juxtà P. Ant. à Goritiâ et D. Bouvier, minor non potest rescissionem petere nisi contractus sit sibi damnificativus; quod verum est in casibus in quibus non restituitur nisi ut læsus. Sed si sint casus in quibus restituatur, quia erat inhabilis ad contrahendum, non video cur rescissionem petere nequiret.

Sed nec ob læsionem potest minor uti beneficio restitutionis, si læsio veniat ex casu impræviso (1306); nec, ait idem D. Bouvier post Pothier, si ex culpâ suâ contractus in sui detrimentum vergat, idque prævidere non potuerit alter contrahens.

An autem vigeat nunc apud nos senatus-consultum macedonianum, vi cujus mutuo acceptam pecuniam et in vanos usus insumptam minores reddere non tenentur, non dicit codex civilis noster. Ast ex eo quòd dicat articulo 1312 : « Lorsque les mineurs, les interdits ou les femmes mariées sont ad- » mises en ces qualités à se faire restituer contre leurs engagemens, le » remboursement de ce qui auroit été payé, en conséquence de ces engage- » mens pendant la minorité, etc., ne peut en être exigé, à moins qu'il ne » soit prouvé que ce qui a été payé a tourné à leur profit, » videtur posse concludi minorem non teneri restituere quæ mutuo accepit. Saltem non tenetur nisi obligatione naturali *secundùm quid* et inefficaci, quia uti potest beneficio legis. Excipe 1° si ob mutuum rebus suis pepercerit et in quantùm pepercerit; 2° si mutuator vanos usus prævidere non debuerit, quod rarum; 3° si tempore mutui liberam alicujus peculii dispositionem habuerit; 4° si mutuum acceptum sit causâ negotiationis cui filius à patre vel ab alio præpositus fuerit; 5° si consensus patris præsumptus fuerit, ut si sciente eo et non contradicente. In his enim casibus aut beneficium legis non concederetur, aut eo uti non posset minor.

Quæ de pecuniâ mutuo acceptâ hìc dicimus, eadem dicunt si in fraudem legis minor mutuo accepisset fructus ex quibus pecuniam sibi comparasset.

Hinc minor non tenetur solvere quod perdidit in ludo; quia si solveret, posset major factus repetere, et hìc opus non est circulo. *Collet.*

In his tamen observat idem post Comitolum, minorem qui cum rustico legum ignaro de re aliquâ contraxit, teneri pactum justè pretium solvere, etiamsi res emptæ perierint jam, quia indè non videtur invocari posse legis beneficium. Quòd si in rigore juris non sit verum, tamen adeò æquitati consentaneum est, ut ad minùs videatur esse casus mutui bonâ fide dati.

436. Quæ de minorum dicta, de interdictorum contractibus dicenda sunt (*a*).

Et de contractibus uxorum in casibus à lege expressis.

Isti autem casus ii sunt in quibus indigent auctoritate maritorum.

Porrò eâ indigent, si excipias quandò agitur de administratione et usufructu bonorum paraphernalium (quæ tamen sine auctoritate mariti alienare nequeunt), aut si publicum exercent privatìm commercium, etc. Vide cap. 6, tit. 5, lib. 1 cod. civ.

« Tous les biens de la femme qui n'ont pas été constitués » en dot sont paraphernaux (1574). »

Sed in casu separationis bonorum, absentiæ aut inhabilitatis mariti, circà plura uxores contrahere possunt. Vide totum titulum.

(*a*) Excepto, ait D. Bouvier, quòd actus interdictorum absolutè rescindi possunt, minorum verò solùm propter læsionem. Inter minorum et uxorum contractus idem discrimen forsan poneret.

§ IV.

De objecto contractuum.

437. « Tout contrat a pour objet une chose qu'une partie » s'oblige à donner....., à faire ou à ne pas faire (1126).

» Il n'y a que les choses qui sont dans le commerce qui » puissent être l'objet des conventions (1128).

» Il faut que l'obligation ait pour objet une chose au » moins déterminée quant à son espèce.

» La quotité de la chose peut être incertaine, pourvu » qu'elle puisse être déterminée (1129). » Cætera vide ibidem.

§ V.

De effectibus contractuum.

438. « Les conventions légalement formées tiennent lieu » de loi à ceux qui les ont faites.

» Elles ne peuvent être révoquées que de leur consente-
» ment mutuel, ou pour les causes que la loi autorise.
» Elles doivent être exécutées de bonne foi (1134).
» Les conventions obligent non seulement à ce qui est
» exprimé, mais encore à toutes les suites que l'équité, l'u-
» sage ou la loi donnent à l'obligation d'après sa nature
» (1135). » Vide sect. 2, 3 et 4, cap. 3, tit. 3, lib. 3
cod. civ.

§ VI.

De interpretatione contractuum.

439. « On doit, dans les conventions, rechercher quelle
» a été la commune intention des parties contractantes,
» plutôt que de s'arrêter au sens littéral des termes (1156).
» Ce qui est ambigu s'interprète par ce qui est d'usage
» dans le pays, etc. (1159). »
« On doit suppléer dans le contrat les clauses qui y sont
» d'usage, quoiqu'elles n'y soient pas exprimées (1160). »
Vide sect. 5, cap. 3, tit. 3, lib. 3.

De extinctione obligationis contractuum.

440. « Les obligations s'éteignent par le paiement, par la
» novation, par la remise volontaire, par la compensation,
» par la confusion, par la perte de la chose, par la nullité
» ou la rescision, etc. » Vide totum caput 5, tit. 3, lib. 3.
Observa præcipuè

Ergà solutionem 1° : « Le paiement fait de bonne foi à
» celui qui est en possession de la créance, est valable, en-
» core que le possesseur en soit par la suite évincé (1240).

2° » Le paiement fait au créancier n'est point valable,
» s'il étoit incapable de le recevoir, à moins que le débiteur
» ne prouve que la chose payée a tourné au profit du créan-
» cier (1241).

3° » Si la dette est d'une chose qui ne soit déterminée

» que par son espèce, le débiteur ne sera pas tenu, pour » être libéré, de la donner de la meilleure espèce; mais il ne » pourra l'offrir de la plus mauvaise (1246).

4° » La cession judiciaire ne libère le débiteur que jus- » qu'à concurrence des biens abandonnés, etc. (1270).

» La cession volontaire n'a d'effet que celui résultant des » stipulations même du contrat passé entre (les créanciers) » et le débiteur (1267). »

Erga novationem : Substitutio debitoris loco alterius debet acceptari à creditore, etc. (1275).

Ergò « La simple indication faite par le débiteur d'une » personne qui doit payer à sa place, n'opère point nova- » tion (1277). »

Item pro creditore.

Hic multùm errant sæpè hæredes qui se liberos credunt à restitutionis aut solutionis saltem parte sibi adveniente, cum cohæredem de eâ onerârunt, licèt iste non satisfaciat.

Ergà nullitatem vel rescissionem : Nullitas duplex : alia pleni juris, alia actionis, seu rescissionis vel restitutionis. Lex enim annullat contractus vel immediatè per se ipsam, antè pronunciando nullitatem in certis casibus præfinitis, vel per ministerium judicis cui permittit aut jubet nullitatem declarare in quibusdam circumstantiis quas examinare debet. Tunc est rescissio.

Cùm conventio nulla est, nullum parit vinculum, ità ut pro utroque contrahente sit, etiam antè sententiam judicis, sicut si non esset, neuterque contrà alium, etiam juris sui ignarum, eâ uti possit, quia non habet titulum.

Cùm autem contractus est tantùm rescindibilis, valet usquedùm per judicem rescindatur, et tunc obligatio ex illò resultans extinguitur in utroque foro (*a*) (1117).

(*a*) Hæc habeto, ad majorem jam dictorum, saltem pro foro externo, explanationem [423, *a*]. Cum nullitates à lege veniunt, nulla difficultas ubi lex clarè se explicat, dicendo, v. g., *sera nul, non valable, sans effet*; sed cùm solùm imperat aut prohibet, magna difficultas. Videtur enim voluntatem particularium non posse prævalere contrà potentiam legis [422]; sed experientià certum est intentionem legislatoris non semper fuisse annullandi actus prohibitos, vel in quibus omissæ sunt aliquæ formalitates. Potuit

enim solùm velle dare jussum, aut jus actui oppositionem faciendi, vel contrahentem obligandi de damnis ergà eos quos lædit ipsius actio aut omissio. Legislator ergò debet clarè manifestare suam voluntatem aut irritandi aut simpliciter prohibendi. Sic lex de notariatu expressè distinguit articulos observandos sub pœnâ nullitatis.

Si autem non clarè eam manifestaverit, sequentes sint regulæ :

1ª Non supplendæ sunt pro arbitrio nullitates quæ non sunt in lege, nec valet apud nos lex *sancimus* 5 cod. de legibus, ubi vult Justinianus facta contrà legem prohibentem tantùm, pro infectis habenda.

2ª Cùm formalitas præscripta fundatur in æquitate naturali, substantialis est, et ejus omissio actûs nullitatem importat. Sed si non agatur de æquitate rigorosâ, lex debet addere clausulam nullitatis.

Omissio autem formalitatis non importat nullitatem actûs, cùm formalitas fundatur solùm in dispositione arbitrariâ et variabili.

3ª Cùm lex præscribit formalitates actûs novæ institutionis, quem partes non poterant anteà facere, substantiales sunt. E contrà, si antiquæ institutionis. Ratio est quia qui dat potestatem faciendi actum tali modo, non censetur illam dare nisi sub conditione quòd observentur formæ præscriptæ.

Ergò si circà contractûs (nam antè legum existentiam poterant homines contrahere; hoc fundatur in jure naturæ) formæ præscribantur sine clausulâ nullitatis, non sunt substantiales. Sic verbo aut scripto privato vel publico seu authentico contrahi potest, ni lex clarè (ut lex notariatûs 25 *ventôse*) nullitatem apponat.

Sed hæc regula defectuosa est, nam actui antiquæ institutionis, ut testamento, lex addidit formalitates substantiales.

Hæc omnia ex D. Toullier (in caput 5, tit. 3. lib. 3 cod. civil.) qui addit : quandò lex formalitatem præscribit ad perveniendum ad acquisitionem alicujus juris, omissio absoluta hujus formalitatis importat pleno jure hujus juris diminutionem (*la déchéance*); resumitque dicendo omnem actum qui non continet quod necessarium est ut impleatur finis ejus institutionis, imperfectum et nullum esse.

CAPITIS II

PARS I.

DE INJUSTITIA IN SEMICONTRACTIBUS, SEU CONTRACTIBUS BENEFICENTIÆ.

SECTIO I.

De injustitiâ in promissione gratuitâ.

441. Promissio gratuita est semicontractus quo quis liberaliter se obligat in gratiam alterius acceptantis.

Si fiat certâ verborum formulâ quâ unus rogat et alter promittit, vocatur stipulatio ;

Pollicitatio verò si non sit acceptata, et usquè hùc revocari potest (*a*) sine injustitiâ.

Ergò necesse est ut promittens sciat saltem implicitè quid sit promittere, se obligationem justitiæ suscipere, et hoc intendat (*b*).

Valeret tamen promissio sine intentione se obligandi, si, quod rarum, prævaleret intentio verè promittendi [424, *a*].

Nota : Promissio, etiam facti alieni obligat ad curandum quòd factum ponatur, et si sit facti proprii quod indigeat alterius licentiâ, ad hanc postulandam.

Promissio alia strictè dicta, quæ hìc definita est, et quæ dat securitatem ;

Alia meræ fidelitatis in verbis, aut honestatis moralis, quæ sat ordinaria est, et quæ spem solùm;

Et alia urbanitatis, quam et aulicam vocant, quæ est simplex propositum alteri manifestatum, vixque levem fiduciam ordinariè parit ; nec verba *promitto, esto securus,* ejus naturam mutant ordinariè.

Nota : Nulla est promissio rei jam alteri promissæ, aut de re illicitâ. Imò et irritæ essent, saltem in foro externo, promissiones quibus adimeretur potestas disponendi de rebus suis, quia forent contrà bonos mores civiles (*c*).

(*a*) Acceptatio enim necessaria est in omni contractu, et promissarius ad gratitudinem implicitè saltem se obligat. Sed probabilius ad acceptationem sufficit promissarii præsentis silentium, si promissio nullum pro eo impertet onus nisi gratitudinis, quia ex regula juris in 6° in gratiosis, qui tacet consentire videtur. Ità multi.

Indè concludit Collet quòd si absit promittens (qui tunc, inquit, debuit per litteras aut internuncium promissum mittere, nec enim sufficit quòd alius promissionis conscius eam referat) non satis sit quòd promissarius acceptet coràm aliis qui promittentem non repræsentarent. Cæterùm potest post intervallum acceptari promissio, si non sit revocata.

Juxtà D. Dens, validè acceptat pro alio ille qui est sub ejus potestate, aut ipsi dominatur, ut filius pro patre, pater pro filio; et qui ex promissione alteri factâ aliquod commodum reportat, ut uxor pro marito, creditor pro debitore, socius pro socio.

Olim fictione juris semper acceptata censebatur promissio facta civitati, quod extendebant Theologi ad promissiones factas domibus hospitalibus, ecclesiis, etc. quia interveniebat acceptatio reipublicæ, aut saltem leges nolebant antè acceptationem revocari promissum, quod semper acceptari poterat. Volebant alii quemlibet tunc acceptare posse, modò intentio promittentis ad acceptantem dirigeretur. Nihil de hoc in codice civili; quia

Imò à præpositis hospitalium, etc., acceptari vult donationes ipsis factas, nihil dicens de promissionibus.

Observandum promissionem factam in pias causas censeri votum potiùs quàm promissionem homini factam.

Negant multi hæredes posse acceptare promissionem suo auctori factam et ab eo non acceptatam.

(b) Qui ignorat obligationem ex promissione oriri, obligatur tamen, modò velit facere promissionem veram qualis ab aliis fieri solet; nam tunc habet voluntatem implicitam se obligandi. *P. Gab. Ant.*

(c) Ut promissio non contendi aut non revocandi testamentum, non instituendi hæredem nisi talem. Hæ promissiones non valent nequidem in foro interno, inquit P. Gab. Ant., quia sunt contrà bonos mores civiles, et mihi sic videtur. Fortè tamen non deessent qui ut validam in foro interno haberent promissionem alicui sincerè factam illum instituendi hæredem, si promissarius ipsi verè crediderit. Saltem si facta fuerit ob obsequia præstanda, contrà gratitudinem et fidelitatem peccaret eam non implens, tenereturque aliter obsequia compensare, et alia damna quæ fortè pateretur promissarius ob suam confidentiam et juris ignorantiam.

---

442. Promissio strictè dicta, seu cum intentione se obligandi secundùm totam vim promissionis, obligationem inducit justitiæ, vi cujus promissor tenetur non solùm rem promissam, si extet, vel æquivalens præstare, sed et reparare damna extrinseca ex violatione promissionis secuta (*a*).

Major tamen videtur requiri ad peccatum mortale materia in gratuitæ quàm in onerosæ promissionis violatione (*b*).

Sed sub levi solùm obligat per se promissio latè dicta, vel non acceptata (*c*).

(*a*) Si damnum nullum promissario adveniat ex violatione promissionis, quàm re carere promissâ, semper obligat promissio strictè dicta; sed gravitas obligationis pendet ab intentione promittentis, inquit Collet, quia promissio est quasi lex privata quam quisque sibi, prout vult, imponit.

Imò, inquiunt Billuart, Dens, Steyaert, etc., rarò promissiones sunt strictè dictæ. Si enim attendatur modus promittendi quotidianus et ordinarius, promittentes volunt simpliciter se obligare, non distinguendo, nec se determinando ex quâ virtute, nec an graviter vel leviter. Cùm ergò nihil promissioni addunt quod eam strictè dictam denotet, licèt intendant verè promittere et se obligare, non intendunt, nec censeri possunt se obligare nisi ad id quod exigit natura promissionis liberalis, id est sub levi secundùm se, et ex simplici veracitate et honestate morali; et si interrogarentur an intenderint sibi imponere obligationem justitiæ strictam et gravem responderent negativè, nollentque suum promissum juramento confirmare. Sicque credunt ipsi promissarii, et impudens haberetur qui exigeret promissum tanquàm ex justitiâ strictâ debitum, si nullæ sint circumstantiæ quæ stric-

tam obligationem indicent, ut juramentum, stipulatio, adhibitio notarii et testium, chirographus; vel nisi dicat promittens: Obligo me quantùm possum, quantùm fert natura promissionis. Saltem hi theologi excipere debent, si promissio fiat ad obtinendum ab aliquo aliquid pretio æstimabile, ut operas ejus, et reapsè obtineatur. Ad minus rependendum foret stipendium.

(b) Aliqui duplò, alii quadruplò majorem requirunt. Ità Lessius et speculum confessariorum quos non improbant Collet, Thomas ex Charmes, etc. Undè concludit P. Gab. Ant. non esse obligationem compensandi lucrum cessans ex re promissâ liberaliter, eò quòd tempore suo non fuerit data. Promissio enim liberalis dat solùm jus rem promissam petendi et conquerendi de violatâ fide, et promittens non censetur se obligare nisi ad dandam rem promissam. Quam consequentiam minùs probo quàm improbo, supposito quòd promittens strictè promiserit dare, et quòd promissarius non potuerit aut non ausus fuerit petere.

(c) Posset enim graviter obligare per accidens ad reparationem damni ex ejus non impletione secuti. S. *Thomas*. Quia posset esse illius causa; ut si medicus promitteret se subventurum ægro graviter periclitanti, qui spe frustratus notabiliter læsus sit. *Collet*. Supponendum saltem videtur quòd æger promissioni, licèt non strictæ, confidens, alium medicum non accerserit.

---

443. Promissio, etiam juramentó firmata, obligare desinit ubi aliæ obligationes, sed insuper

1° Cùm fit promissario inutilis.

2° Cùm rerum et personarum status mutatur notabiliter; nec tanta hìc requiritur rerum mutatio quanta in promissione onerosâ aut in votis (a).

3° Cùm est promissio reciproca, et alter promissis stare non vult, quia paria sunt partis utriusque jura, hocque fuit subintellectum. Hìc ergò applicari potest: *fidem frangenti*, etc.

(a) V. g. Si promittens nequeat, sine gravi incommodo promissioni extrinseco, promissum exequi; si promissarius ergà eum fiat ingratus, de amico inimicus; vel si res promissa, quam viliori pretio æstimabat promittens, multè majoris deprehendatur, etc.; quia non præsumitur pro casibus similibus se obligasse.

SECTIO II.

De injustitiâ in donatione gratuitâ.

PRÆSCRIPTA GENERALIA.

444. « On ne pourra disposer de ses biens à titre gratuit, » que par donation entre vifs, ou par testament, dans les » formes ci-après établies (893).

« Toutes personnes peuvent disposer et recevoir soit par
» donation entre vifs, soit par testament, excepté celles que
» la loi en déclare incapables (902).

» Les enfants naturels ne pourront par donation entre vifs
» ou par testament rien recevoir au-delà de ce qui leur est
» accordé au titre des successions » (908). Vide ibidem incapacitatem recipiendi pro medicis, etc., hospitiis, communitatibus, etc.

« Toute disposition au profit d'un incapable sera nulle,
» soit qu'on la déguise sous la forme d'un contrat onéreux,
» soit qu'on la fasse sous le nom de personnes interpo-
» sées (911) (*a*), [448, *c*].

» Les libéralités soit par actes entre vifs, soit par testa-
» ment, ne pourront excéder la moitié des biens du dispo-
» sant, s'il ne laisse à son décès qu'un enfant légitime ; le
» tiers, s'il en laisse deux, le quart s'il en laisse trois,
» etc. (913). »

« Les libéralités par, etc., ne pourront excéder la moitié
» des biens, si à défaut d'enfant, le défunt laisse un ou
» plusieurs ascendants dans chacune des lignes paternelles
» et maternelles, et les trois quarts s'il ne laisse d'ascendant
» que dans une ligne (915).

» Les dispositions qui excéderont la quotité disponible,
» seront réductibles à cette quotité lors de l'ouverture de la
» succession (920). »

Vide cap. 1, 2, 3, tit. 2, lib. 3.

Nota : in conscientiâ reductioni non esse locus, si legatum esset restitutio per modum legati facta.

(*a*) Hæc valent pro foro interno, quia alioqui leges effectum suum non attingerent. Videtur tamen, inquit meritò D. Bouvier, non prohibitas censeri ergà inhabiles ad recipiendum modicas dispositiones inter timoratos usitatas ad fovendam amicitiam, gratitudinem testificandam, beneficia obtinenda, etc. Strictè enim liberales non sunt.

ARTICULUS I.

De injustitiâ in donatione inter vivos.

445. « La donation entre vifs est un acte par lequel le donateur se dépouille actuellement et irrévocablement de la » chose donnée, en faveur du donataire qui l'accepte » (894). Cum intentione ergò ut res, se vivente, sit donatarii. Et hæc est essentialis differentia inter donationem inter vivos et donationem causâ mortis, quæ impropriè donatio appellatur, in quâ intentio est ut non nisi post mortem donantis res sit donatarii, quæque revocabilis est (*a*).

Hinc si donator sibi reservet de re inter vivos donatâ disponere ; aut si donationis instrumentum penès se servet, ad illud, ut sæpè, pro libito destruendum, donatio non est. *Donner et retenir ne vaut.*

Et nulla est ergò donatio facta sub conditione cujus executio pendeat à solâ voluntate donatoris (944).

Donatio alia purè liberalis; alia remuneratoria; alia mutua; quæ divisio articulo 909 codicis civ. supponitur, et aliundè inservire potest judicibus forsan ut, etc. (*b*).

(*a*) Sed non videtur causâ mortis, benè verò inter vivos, donatio quæ fit in ultimo morbo, si sit irrevocabilis ex tuncque proprietatem transferat. Fit quidem causâ mortis seu ob mortem prævisam, sed non est donatio quæ dicitur causâ mortis. Ità meritò Collet et Bailly. In dubio præsumitur causa mortis. *P. Ant. à Goritiâ.*

Aliud esset si res fuisset alicui tradita ut in casu mortis alteri traderetur. Tunc enim actualis non est proprietatis translatio.

Sed quid si quis donet de manu ad manum, ut aiunt, eâ conditione ut res donata ipsi reddatur si convalescat? Valida videtur hæc donatio, saltem in foro interno, quia non est donatio causâ mortis, sed donatio conditionalis, cujus conditionis executio non pendet à voluntate donatoris. Donatio hæc irrevocabilis est, et, purificatâ conditione, transibit in absolutam. Multum ergò et essentialiter videtur differre ab istâ : *do tibi, si morior,* id est, *post mortem meam res tua erit, si aliter non disposuero, sed reservo mihi aliter disponere*. Ità Toullier, Merlin, etc.

Imò et forsan valeret in foro externo talis donatio, si traditio subsecuta sit, quia « En fait de meubles la possession vaut titre (2279). »

(*b*) Quandò donatio remuneratoria excedit, non ideò, probabiliùs purè liberalis est, nisi excessus sit grandis. Obligatio enim gratitudinis, inquit D. Thomas, exigit ut plus retribuatur quàm acceptum sit.

Nota : Ex his concludi posse videtur patrem remuneratoriè donare posse

filio cui jam dedit partem bonorum disponibilem. Hæc enim partis disponibilis donatio non enunciatur ut remuneratoria.

---

446. Omnes qui liberam habent bonorum administrationem donare possunt (*a*); et, jure naturæ, omnes sanæ mentis.

Imò et ære alieno gravati, si quandò dant, omnibus creditoribus satisfacere possint. Ac proindè donatarius non tenetur, donatore posteà impari facto omnibus satisfaciendi, reddere acceptum, nisi sit aliquid hypothecatum.

Secùs, restituat ut possessor bonæ vel malæ fidei.

(*a*) Minorennes et uxores, secundùm statûs decentiam donare possunt.
Imò, addit Billuart, si minorennes excedant, raró peccabunt mortaliter, quia neminem damnificant, et ii quibus donant, datum servare possunt, donec beneficio legis repetatur.
Prius cum grano salis accipe. Posterius cum notâ *a*, n° 435. Dare nequeunt quia contraherent in sui detrimentum. *Bouvier*. Excipiuntur casus in jure expressi.

---

447. Donatio acceptari debet ut valeat (*a*) et ex tunc perfecta erit (*b*).

Cætera vide sect. 1, 2, cap. 4, tit. 2, lib. 3 [400].

(*a*) Nec sufficit in foro saltem externo mera taciturnitas [423, *a*]. *En termes exprès. Ne produira aucun effet* (932).
Legatum factum monasterio non habenti litteras regias pro suâ fundatione, ac proindè non valenti illud recipere, debet ab Episcopo ad alias causas converti. *Gregorius IX apud Pontas*.
(*b*) Cùm jus hìc generaliter loquatur, hæc applicari posse videntur donationibus inter vivos quæ fiunt de manu ad manum, ità ut sint perfectæ eo ipso quòd datæ res, licèt non traditæ, donatariusque possit, cùm voluerit, eas accipere. Hoc de mobilibus saltem probabilius videtur, et in foro externo rei possessio valebit titulum. Sèd si agatur de immobilibus, cùm usus sit ut donationes scribantur, sicque velit jus, præterquàm quod dubium saltem esse possit an hæc formalitas sub nullitate præscribatur, ad eam tamen consensum restringere ut plurimùm saltem censentur donatores.
A fortiori non valeret in conscientiâ donatio omnium bonorum præsentium et futurorum, quoàd futura nempè (ut eâ se gaudere aliquandò putant quidam) (943) *D. Bouvier*. Aliter sentire videtur P. Ant. à Goritia.
Nec valeret saltem in foro externo donatio, si donatarius solvere debeat alia debita quàm quæ sunt nunc, in actuve forent expressa (945).
Donationes mobilium ut validas sine formalitatibus omnes habent, inquit D. Bouvier; et revera sic usu recepta videtur lex. Ast num idem dicendum de donationibus immobilium? Vide notam n° 423.

ARTICULUS II.

De injustitiâ in testamentis.

448. « Le testament est un acte par lequel le testateur » dispose pour le temps où il n'existera plus, de tout ou » partie de ses biens, et qu'il peut révoquer (895).

» Toute personne pourra disposer par testament, soit sous » le titre d'institution d'héritier, soit sous le titre de legs, » soit sous toute autre dénomination propre à manifester sa » volonté » (967).

« Un testament pourra être olographe, ou fait par acte » public, ou dans la forme mystique » (969).

Cætera, et particulariter quæ spectant ad quorumdam testamentorum formam, vide sect. 1 et 2, cap. 5, tit. 2, lib. 3 cod. civ. et nota sedulò articulum 1001 in fine secundæ sectionis : « Les formalités auxquelles les divers testaments » sont assujettis par les dispositions de la présente section » et de la précédente, doivent être observées à peine de » nullité » (*a*).

Circà institutionem hæredis, legata sive universalia, sive titulo universali, legata particularia, executores testamentarios, revocationem et caducitatem testamentorum, vide sect. 3, 4, 5, 6, 7 et 8 ejusd. cap.

Circà dispositiones permissas in favorem nepotum (petits-fils) donatoris aut testatoris, vel filiorum fratrum suorum aut sororum, vide cap. 6 ejusd. tit. et cap. 7 circà partitiones à patre matreve aut aliis ascendentibus inter descendentes.

Et circà habilitatem et inhabilitatem ad testandum cap. 2 ejusdem tit.

Nota solùm substitutiones, quæ etiam vocantur fideicommissa occulta, in quibus aliquid alicui legatur ut occultè statìm transferatur ad alterum, validas esse, saltem in foro interno, modò ille ad quem fit translatio habilis sit et à lege non prohibitus ad recipiendum; nullibi enim irritantur (*b*). Tunc fideicommissarii sunt quasi executores testamentarii.

Sed fideicommissum propriè dictum in favorem inhabilium, restituendum est vel quoàd totum, vel quoàd partem quæ dari non poterat. *Per fideicommissa legibus illudimus*, D. Hier Ep. ad Nepot. (*c*).

Nota iterùm. Legata solvi debent statim, ni aliter ferat testamentum (*d*).

(*a*) Prænotato plures, ut Lessius, Lacroix, etc., qui volunt irritos esse contractus sine formalitatibus [423, *a*], etc. aliter pro foro interno sentire de testamentis; et è contrà alios sentire nulla esse tunc, etiam in foro interno, testamenta, non alios contractus. Anceps sum, inclinans tamen multum pro eorum nullitate in conscientiâ, et à fortiori si nullam formam habeant seu si fiant solùm per verba, nullo præsente teste. Enim verò rationibus in notâ *a*, n° 423 contentis addo rationem quæ multùm me movet. Ità ut, quamvis dubium non parvum supersit circa nullitatem in utroque foro aliorum contractuum formis substantialibus destitutorum, minus pro testamentis remanere arbitrer. Hæc autem ratio est quòd facultas testandi non à naturâ ullatenùs, sed à lege solâ procedere videatur et pendere consequenter à formis lege præscriptis; nam imprudenter lex talem facultatem tribuisset, si formis eam non subjecisset; indè enim innumera incommoda, lites, contentiones pro bonis defunctorum; unus prætenderet vi legis generalis circa successiones habere hæreditatem, alter vi dispositionis testamentariæ defuncti, etc.

Quòd autem à lege solâ, non à naturâ veniat facultas testandi, seu potiùs quòd lex de bonis defuncti, per eum, dùm viveret, disponat, patet indè quod repugnet in terminis aliquem dare actu post mortem suam. Id autem eveniret, cùm testator non det ut actu res sit donatarii, sed solùm post mortem suam.

Et verò, ut ait D. Toullier, antè statum civilem proprietas acquiri non poterat nisi per occupationem; servabatur per possessionem et peribat cum eâ.

Ergò si desint formæ substantiales, testamentum nullum est, nam qui dat potestatem faciendi actum tali modo, non dat eam nisi sub conditione quòd talis modus observabitur, si id exigat finis concessionis, bonum publicum.

Neque dicatur facultatem testandi à lege concedi præcisè; et eâ semel concessâ uti quemlibet posse prout voluerit. Nam nullibi leges aut consuetudines facultatem testandi concedunt sine ullo modo præscripto eam exercendi, ac proindè sine formalitatibus.

Dices 1° : Testamentum est donatio conditionalis, nempè si *morior*, Vide responsionem n° 443, *a*. Instant : saltem valeret hæc donatio : *Do tibi talem summam, tale instrumentum eâ conditione quod si sanus fiam reddes.*

R. Si, ut arbitratur D. Gousset cum aliquibus jurisconsultis, hæc donatio sit donatio conditionalis inter vivos, nihil indè sequitur in favorem donationum causâ mortis. Sed estne donatio inter vivos? Videtur, quia conditio non pendet à voluntate donantis et quia donatio revocari nequit, ut supponitur. Voluntas donantis cessat esse deambulatoria, quod non evenit in ultimæ voluntatis dispositionibus.

Et instant : Testamentum etiam per simplicia verba est saltem donatio revocabilis, favorque, quem donatarius acceptare potest, si velit.

R. 1° Vide 443. 2° Nùm intentio hìc est dare actu etsi revocabiliter?

3° Etsi, quod certum non est, existant adhuc donationes causâ mortis, saltem iisdem ac testamenta, formis substantialibus subjiciuntur.

Dices cum domino Bouvier : si à naturâ non veniat jus testandi, sequitur hominem nulli gubernio nullisque legibus positivis subjectum, nullum habere medium bona sua post mortem filiis aliisve relinquendi : absurdum, etc.

R. 1° Nescio utrum sit gens sylvicola quæ suos usus non habeat.

2° In factâ suppositione bona defuncti erunt derelicta, ac proindè primò occupantis qui sanè erit ejus familia, quæ aliundè faciebat quamdam societatem cum defuncto.

Dices tandem cum D. Duranton et D. Gousset in suis notis in Col. Andeg. si solutum sit legatum factum in testamento ob formarum defectum nullo, repeti nequit. Ergò debebatur, ex art. 1235 Cod. civ. ; ergò testamentum non est nullum.

R. Ad summum esse exceptionem, sicut olìm pro fideicommissis.

Ast hoc venit potiùs ex eo quòd hæres, solvendo tale legatum, ratam habeat circà illud voluntatem testatoris : et verò talis est sensus art. 1340 Cod. civil., qui in probationem adducitur. « La confirmation ou ratification ou » exécution (quæ est implicita ratihabitio) volontaire d'une donation, par » les héritiers ou ayant cause du donateur après son décès, emporte leur re- » nonciation à opposer, soit les vices de forme, soit toute autre exception. » Recognitio hæredis inclusa in solutione solemnisat legatum.

Instat D. Gousset : nullitas testamenti non est magis rigorosa quàm nullitas donationis inter vivos; atqui hæc donatio valet quamvis formis destituta, v. g., donatio de manu ad manum.

R. Nego majorem. Multò pluribus et gravioribus incommodis subjectum est testamentum quàm donatio inter vivos, ideò rigidiùs quoàd illius formas lex est interpretanda.

Instat idem. Potestate testandi semel concessâ, supposito quòd veniat à lege, de eâ ratiocinandum sicut de potestate donandi inter vivos; atqui ex omnium consensu donationes de manu ad manum validæ sunt sine solemnitatibus, cur idem non diceretur de testamentis verbis solùm factis?

R. Disparitas est enormis. 1° Facultas dandi inter vivos non venit, unicò saltem, à lege; potest ergò exerceri sine formalitatibus de manu ad manum cùm saltem lex non prohibet, et sic est usus, è contrà facultas testandi. 2° Non iisdem incommodis donatio inter vivos, quibus testamentum, obnoxia est : donator potest vivens conqueri, si ejus voluntas non impleatur; quis autem conqueretur, cùm defuncti voluntas, sine formis expressa, non adimplebitur? Quot pro voluntate defuncti habebunt simplicia ejus proposita, aut meræ urbanitatis promissiones, imò merè præsumptam ejus intentionem, ut nunc, non obstante lege de testamentis, fit quotidiè ; undè multæ compensationes injustæ.

Nota : D. Dens in præsenti quæstione anceps remanet arbitraturque aliquam faciendam esse partitionem inter hæredes naturales et hæredes vi testamenti defectu formarum irriti. Sed id vix in praxi possibile. Nam præterquàm quòd legatarii particulares, imò universales, sibi compensabunt vi testamenti verbis solis expressi aut formis substantialibus destituti, ille cujus interest testamentum esse nullum, illud deferet tribunalibus quæ nullitatem pronuntiabunt, et nùm prudentiæ saltem erit illi dicere hoc esse injustum, hæreditatemque esse, ob dubium ex varietate sententiarum resultans, dividendam.

Quoàd legata pia in testamento nullo facta, præterquàm quòd aliquandò valeat legatum, quamvis testamentum irritum declaretur, ad minùs tutius

est ea implere, quamvis sint auctores v. g., Collet, Bailly, qui ea nulla arbitrentur, ut potè declarata in constitutione regiâ anni 1735. Jus civile actuale nihil distinguit. Communiter arbitrabantur jurisperiti ac theologi etiam gallicani talia testamenta ac legata valere, saltem extrà regi christianissimo subditum imperium.

Aliundè, inquit Billuart, testamentum in pias causas non tàm testamentum est seu donatio quàm remedium ad salutem utile vel necessarium, quandoque à confessario præscriptum, quandoque ex justitiâ debitum, proindè tàm spectans ecclesiam quæ illud vult valere, quàm potestatem civilem.

Saltem pietas et rememoratio benevola ergà parentes defunctos postulant exequi legata aut testamenta in causas pias. An autem obligatio illa sit justitiæ strictæ extrà casum certum aut prudenter præsumptum, vel certè prudentis suspicionis quòd facta sint in restitutionem? Nescio an quis certò pronunciet. Negativa, ob modò et superiùs dicta, probabilior videtur. In praxi hæredes ad talia exequenda obligandi videntur simpliciter, nisi aliter dictet prudentia; nec necesse est distinguere ex qua virtute teneantur. Et hæc possunt inservire ad decidendum casum nunc frequentem, cùm nempè hæres curant legata pia per potestatem civilem ad minorem summam reduci.

Tandem si hæres promiserit testatori disposito ad corrigendos defectus sui testamenti, se illud æquè executurum, exequi debet, et possunt esse circumstantiæ in quibus et deberet promissionem implere, etiamsi vitia testamenti non debuisset alioquin corrigere testator, quandò nempè dispositiones sunt rationabiles. Tenetur non vi testamenti, sed ex fidelitate et in conscientiâ. *Col. Andegav.* Ità etiam ferè Barbeyrac.

(*b*) Secùs substitutiones propriè dictas seu in quibus fideicommissarius tenetur *conservare* (896), etiàm quoad forum internum quia etsi lex utatur solùm verbis *sont prohibés,* hæc de nullitate intelliguntur, id exposcente bono communi. *D. Bouvier.* Cætera articuli verba id indicant.

Nota : Huic legi partìm derogatum est in comitiis Galliæ anni 1826.

(*c*) *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, aliâ non debet admitti,* ait régula 84 juris in 6°. Attamen si fideicommissum, seu potiùs légatum, factum fuerit simpliciter et sine conditione illud ad alium transmittendi, sed eâ solùm intentione, de quâ etsi non expressâ, aut expressâ quidem sed non modo obligatorio, ex circumstantiis moraliter certus est fideicommissarius; juxtà graves theologos et magistratus, quibus lubentèr assentior, fideicommissarius potest legatum accipere et vel retinere pro se, vel dare ei cui testator dare intendebat; quia intentio hæc et fiducia legantis legatum non irritat, donatio enim absoluta est, nec rescinditur ob intentionem donantis, nec ob fideicommissarii vel potiùs donatarii infidelitatem. Equidem si testator prævidisset legatum non fore transmittendum, illud non fecisset; sed fecit.

Supponunt equidem Collet, Bailly, etc., rationes esse legatum dandi personæ inhabili, quales, v. g., officia præstita, compensatio injustitiæ, commoda sustentatio. Sed id quoad licitatem videtur solùm intelligendum, nam validum est fideicommissum seu potiùs legatum, si absit omne pactum vel virtuale; ità ut fideicommissarius possit sine injustitiâ rem sibi retinere et jurare, si opus sit, eam sibi fuisse datam. Testator clarè dicat fideicommissario se non obligare eum ad exequendum fidei-commissum.

Addit Bailly (quamvis ob multa incommoda contrarium suadeat) posse aliquem parocho, etc., per testamentum committere summam secundum intentionem à se secretò declaratam impendendam, modò fideicommissarius coràm judicibus declaraverit hujusmodi legatum non esse personis prohibitis.

destinatum, sed in usus permissos quos declarare non licet. Ità olim pluribus arrestis judicatum. Si timeatur ne non sic judicetur nunc aut ne falsa sit sententia Bailly, legatum potest fieri sicuti hic dictum est.

(*d*) Si res legata sit ecclesiæ cum onere, et eam dicta ecclesia acceptare nolit, hæredes eam retinere possunt, si id testator expresserit; si non, legatum ad aliam ecclesiam, judicante Episcopo, deferendum; quæ si et ipsa recuset, onera legati minuenda sunt. In omni eventu res in pias causas foret impendenda. Judicabit Episcopus an intentio legantis præsumpta sit ut onera minuantur.

Judices irritarentne tunc legatum? Nescio. Quod si facerent, videtur procedendum sicut suprà pro legato in pias causas per legem irritato, nisi de contrariâ voluntate testatoris prudenter præsumatur.

APPENDIX

DE DONATIONIBUS FACTIS SPONSIS AUT INTER SPONSOS VEL CONJUGES.

449. Donationes sponsis factæ in hoc præsertìm inter plura ab aliis discrepant, quòd, multis in casibus, filiis nascituris fieri possint; quòd bona præsentia et futura comprehendere queant; quòd acceptatione non indigeant, etc. Quæ omnia et cætera vide capitibus 6 et 8, tit. 2, lib. 3 cod. civ

---

450. Sponsi sibi invicem, vel unus alteri donare possunt sub certis modificationibus.

Sed sponsus minor indiget ad hoc consensu eorum quorum licentiâ ad contrahendum matrimonium opus habet (1095).

Constante matrimonio, donationes omnes inter conjunctos sunt semper revocabiles (1096).

Si non sint filii, comprehendere valent quidquid extraneo dari potest, et insuper usumfructum totalitatis portionis hæredibus reservatæ.

Si verò sint filii vel descendentes, proprietatem partis quartæ bonorum et alterius quartæ partis usumfructum, vel solùm usumfructum mediæ partis (1094).

Vir aut uxor, ex alio matrimonio filios habens, novo conjugi dare nequit, nisi partem æqualem parti legitimæ unius è filiis qui minùs habet, et nunquàm ultrà partem quartam bonorum (1098).

« Les époux ne pourront se donner indirectement au-delà
» de ce qui leur est permis.

» Toute donation, ou déguisée, ou faite à personne inter-
» posée, sera nulle (1099). »

Hæc valent pro foro interno [890]. Cætera vide ibidem, cap. 9.

CAPITIS II

PARS II.

DE INJUSTITIA IN CONTRACTIBUS PERFECTIS SEU SYNALLAGMATICIS

SECTIO I.

De injustitiâ in mutuo.

MUTUUM, *prêt de consommation*, aut simpliciter, *le prêt, le prêt à jour*, sic dicitur ex eo quòd mutuo datum fiat ex meo tuum, quod non evenit in commodato, *prêt à usage*.

ARTICULUS I.

De injustitiâ in mutui datione et redditione.

451. MUTUUM est contractus quo res aliquà, usu suo primario et directò consumptibilis, transfertur in dominium alterius se obligantis ad rem similem in specie et bonitate posteà reddendam (1892).

Ideò autem rei mutuo datæ dominium in mutuatarium necessariò transfertur, quòd alioquin eâ uti non posset, cùm usu primario destruatur sive physicè, ut frumentum; sive moraliter, ut pecunia, per alienationem nempè.

Ergò 1°, si res mutuò accepta pereat, etiam casu fortuito, antè consumptionem, perit pro mutuatario, quia res perit domino.

Ergò 2°, si tempus rei reddendæ non sit determinatum, debet tamen esse, arbitrio prudentûm, sufficiens ut mutua-

tarius re uti possit finemque assequi mutui, alioquin precarium esset.

Ergò 3°, restituere damnaque reparare tenetur mutuans qui antè tempus præfixum mutuum repetit, quamvis, seclusâ justâ conventione contrariâ, illud quovis tempore recipere paratus esse debeat (*a*).

Ergò 4°, res mutuata numero, pondere aut mensurâ necessariò constat, alioquin in eâdem specie reddi nequiret.

Mutuum aliud est explicitum, et aliud implicitum seu virtuale, cùm scilicet in alio contractu includitur, in venditione, v. g., credito factâ aut in anticipatâ solutione. Vide circà mutuum cap. 2, tit. 10, lib. 3 cod. civ.

(*a*) Non peccat tamen, saltem contrà justitiam, mutuans qui etiam ex industria non repetit mutuum nisi quandò mutuata pluris valet; nec mutuatarius eam reddens quandò minoris est pretii; quia uterque utitur jure suo. *Varii.*

---

452. Quamvis mutuum ex naturâ suâ beneficium sit, est tamen de præcepto charitatis stricto, pro iis qui superflua habent, ergà divites qui actu indigent; ut in damno repentè evenienti. *Quæcumque enim vultis*, etc.

Sed ergà pauperes qui reddere possunt, mutuum est de præcepto strictissimo, etsi, aliquandò saltem, non habeantur superflua.

Ergà pauperes autem qui nunquam reddere quibunt, eleemosyna obligat, et mutuum est crudelitas.

---

453. In mutui datione committitur injustitia.

1° Cùm contractui inseruntur clausulæ injustæ (*a*).

2° Cùm mutuans non aperit defectus et vitia rei mutuatæ, in quo casu tenetur de damnis, et si ea aperiat, obligatur ad recipiendum tantò minùs.

(*a*) Sic, juxtà omnes, mutuans non potest obligare mutuatarium ad reddendam eamdem physicè quantitatem tempore quo prævidet rem pluris esse valituram, si rem usquè ad tempus incrementi valoris servare non potuisset. Ast quid, in eodem casu, si potuisset servare, sed non servasset? Juxtà plures, injusta esset conventio rem reddendi in eadem specie et bonitate physicâ; quia lucrum perciperetur sine titulo. Alii verò dicunt mutuantem rem servare velle per tempus pro quo illam mutuò dat, eo ipso quòd

illam dat pro eo tempore; adduntque taliter esse usu receptum. Mihi videtur casum esse sæpiùs saltem metaphysicum; mutuans enim rem usquè ad augmentum prævisum servasset aut impendisset in usus utiles haberetque titulum lucri cessantis aut damni emergentis. Quod si tamen reverà consumpsisset, videtur quærere lucrum ex mutuo.

Nota: Qui dat mutuo rem quam usquè ad tempus incrementi servasset, debet deducere impensas in illâ servandâ faciendas; imò si res, ut frumentum, servari non possit nisi minuatur in pondere aut mensurâ, hoc attendi debet, nisi, ut sæpè in frumento, bonitas cum proportione augeri debeat.

Si autem tempore mutui ignoratur an valor rei minuendus sit aut augendus, justè paciscitur quòd reddetur in eàdem specie, et bonitate (1895).

---

454. In redditione autem mutui injustitia committitur, si res à pecuniâ distincta non reddatur in eâdem specie, bonitate physicâ et quantitate, sive pretium auctum fuerit, sive imminutum, cùm ad hoc non attenderunt contrahentes; quia in rebus à pecuniâ distinctis attenditur rei entitas et corpus, seu valor intrinsecus.

Secùs in pecuniâ: sufficit enim ut reddatur in valore extrinseco, non aurei pro aureis, etc., sed franci pro francis, quamvis valor aureorum aut argenteorum auctus fuerit. Sicut et sic reddi debet, si fuerit imminutus; pecuniæ enim, quatenùs pecunia est seu mensura rerum, valor extrinsecus est et essentialis. Sed in his omnibus servanda, si quæ facta fuerit, justa conventio specialis (*a*). Vide sect. 1, 2 et 3, cap. 2, tit. 10 cod. civ.

(*a*) Sic, inquit D. Bouvier, post plures quos citat, non solùm in dubio incrementi aut decrementi valoris rei mutuatæ stipulari potest quòd reddetur secundùm valorem quem nunc habet, ac proindè in majori vel minori quantitate: sed etiamsi certus esset mutuans quòd pretium decrescet; quia jus strictum habet ad valorem rei suæ tempore quo eam dat mutuo, nisi tamen rem suam usquè ad tempus decrementi sit conservaturus.

ARTICULUS II.

De injustitiâ lucri in mutuo, seu de usurâ.

Lucrum percipi potest in mutuo, vel sine ullo titulo præter mutuum, vel cum titulo, solum apparente, vel cum vero titulo sed debitis destituto dotibus.

Cùm autem nulla sit proprietas sine titulo legitimo, lucrum sic perceptum necessariò injustitia est, quæ vocatur usura.

§ I.

De naturâ et malitiâ usuræ.

455. Usura ergò, quæ in Scripturâ et apud Patres idem est ac superabundantia seu perceptio ultrà sortem, id est, amplior quàm quod datum est, definitur à theologis perceptio lucri (*a*), præcisè vi mutui.

Per lucrum autem intelligitur quidquid est pretio æstimabile, imò onus *remutuandi*(*b*), et quodlibet aliud onus redditioni mutui extrinsecum (*c*).

Si lucrum percipiatur absque ullo pacto prævio, usura mentalis(*d*) appellatur.

Si ex pacto prævio, realis.

Si pactum sit explicitum, aperta dicitur.

Si verò pactum solùm implicitum sit, aut si mutuum sub specie contractûs alterius occultetur, vocatur palliata.

Distinguunt adhùc usuram sortis, quæ hìc definita est,

Et usuram usuræ, cùm scilicet, ex non solutis lucris seu *interesse*, sors nova conficitur lucrum adhùc pariens(*e*).

(*a*) Addit Billuart. Tanquàm debiti vi mutui, et quidem strictè, seu ex justitiâ; quia in his, inquit, sita est principalis ratio usuræ: si enim lucrum proveniat vi mutui quatenùs mutuum est simpliciter motivum inducens ad dandum aliquid ultrà sortem, vel quatenùs est quidem titulus accipiendi auctarium, sed ut donum liberale ex gratitudine duntaxat, et non ex aliquâ strictâ obligatione, non sufficit ad usuram. Undè usura secundùm se non est exigere à mutuatario aliquid non tanquàm ullo modo debitum, sed ut merè gratuitum, solius amicitiæ et gratitudinis titulo liberrimè conferendum, ut fieri solet inter amicos. Vide D. Th. q. 13, de malo, art. 3 ad 3.

Hinc propositio hæc: *Usura non est dùm ultrà sortem aliquid exigitur tanquàm ex benevolentiâ et gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitiâ debitum*, ab Innocentio XI damnata est ob verba, *tanquàm debitum*, quia in his latet virus, et verbum *ex gratitudine* pro pallio adhibetur; obligatio enim gratitudinis est indeterminata, et illi satisfacere potest quisque prout voluerit, gratias agendo, aliquod officium pro loco et tempore præstando, etc.

Hinc meritò addit Billuart hæc in praxi vix ac ne vix admitti posse. Facilè enim usuræ sic excusarentur. Mutuatarius daret non omninò liberè.

(*b*) Saltem in posterùm, quia talis obligatio est onus pretio æstimabile. Ast estne licitum exigere à mutuatario ut statìm ipse mutuo det? Neutiquàm evidenter, si in eodem genere; nàm prius mutuum destrueretur. Sed in alio genere, v. g., ut mutuo det triticum, si ipsi vinum mutuo datum sit, licitum arbitratur Billuart, qui suam sententiam communem dicit, modò utrinque sit obligatio mutuum accipiendi non fictè sumpta sed æque one-

rosa. Nulla enim est ibi inæqualitas, sed obligatio pro obligatione. Item De-lugo, si remutuatio sit solùm conditio, non pretium mutui.

Imò pluribus videtur posse mutuo dantem rogare mutuatarium, ut sibi statim quid gratum præstet, alioquin non mutuo daturus. Tunc nulla imponitur obligatio, sed ibi simplex est declaratio quòd non velit gratificari, nisi vicissim sibi gratificetur. Quod aliqui extendunt ad officia in posterùm præstanda; sed in praxi hæc plena periculi.

(c) V. g., onus partem summæ mutuo datæ exigendi à debitore mutuatoris cum labore magno et impensis, vel eamdem summam in mercibus, etiam justo pretio, accipiendi ab eo vel posteà emendi: eundi ad molinam ejus; ipsi præstandi munus à linguâ, ab obsequio, etc.

Si pignus pro mutuo datum sit, usura est ejus fructus servare, nisi majoris non valeant quàm custodia pignoris, quàm v. g., nutritio equi in pignus dati.

Ast quid restituere debet mutuans qui onus imposuit non damnosum mutuatario, v. g., officinam suam frequentandi ubi majori quàm alibi non solvit pretio? Aliquid modicum pro onere, inquit Billuart.

(d) Non ergò confundenda usura mentalis cum usurâ merè affectivâ. Per hanc enim nihil ex mutuo vi mutui accipitur, sed accipere solùm desideratur.

Qui mutuum daret primariò ex charitate non esset usurarius, quamvis secundariò tantùm aliquid speraret, mediante liberalitate aut gratitudine mutuatarii. Secùs si intendat, etsi secundariò, lucrum ex mutuo ut pretium mutui, ut aliquid ex mutuo debitum. Etsi reverà percipiatur non liberaliter datum, esset usura mentalis. Cognoscitur autem lucrum non esse mutui motivum, quandò benevolentia magis movet, ità ut, etsi non crederetur dandum aliquid ultrà sortem, æquè tamen mutuum daretur. *P. Gab. Ant.*

(e) Olim jure prohibita. Sic habet jus novum Gallicanum: « Les intérêts » échus des capitaux peuvent produire des intérêts, ou par une demande » judiciaire, ou par une convention spéciale, pourvu que, soit dans la de- » mande soit dans la convention, il s'agisse des intérêts dus au moins pour » une année entière » (1154).

Si ergò ex non solutis justis interesse exurgat lucrum cessans, etc., percipi potest novum interesse, positis infrà dicendis.

---

456. Usura jure naturali et divino positivo, à Patribus et Conciliis, imò jure civili multis in locis prohibita, peccatum est ex genere suo mortale, furto et ab aliquibus rapinæ æquiparatum.

Ratio fundamentalis est quòd mutuum ex naturâ suâ sit beneficium, et omne beneficium sit ex naturâ suâ gratuitum, alioquin naturam suam amitteret, ità ut si quid pro eo solvi debeat, solvi non debeat nisi in quantùm necesse est ad indemnem præstandum benefactorem. « Benefici sumus, » non ut exigamus gratiam, neque enim beneficium fœne- » ramur. » *Cicero*, de Amicitiâ.

Aliundè, ut ait D. Thomas, contrà jus naturæ est bis

vendere idem, vel vendere quod non est, vel quod suum non est. Ast id facit usurarius; accipit enim bis pretium pro re eâdem, nempè summam æqualem summæ quam dedit, et insuper auctarium. Quòd si non pro pecuniâ ipsâ, v. g., sed pro illius usu auctarium accipiat tanquàm pretium, vendit quod non est; quia in rebus quæ mutui materiam constituunt, usus à re ipsâ non distinguitur, cùm sit ipsa rei consumptio; aut saltem vendit quod suum non est, cùm usus ad mutuatarium ut dominum pertineat.

Tandem usura tollit æqualitatem in hoc evidenter consistentem, quòd non plùs accipiatur quàm datum sit.

Hinc « l'obligation qui résulte d'un prêt en argent n'est » toujours que de la somme numérique énoncée au contrat (1895). »

Ergò non licet offerre usuras mutuum petendo, quia non licet offerre ansam peccati; quin mortaliter peccat qui sine causâ gravi mutuum petit ab eo quem scit non mutuaturum sine usurâ (*a*).

Licet tamen usuras solvere ad vitandas lites, aut notam violatæ fidei.

(*a*) Causam sufficientem habere non videntur qui mutuum petunt præcisè ut res augeant, mercationes majores faciendo.

§ II.

De titulis solùm apparentibus lucrum percipiendi ex mutuo.

457. Ruunt omnes ex jam dictis.

Primus. Carentia præcisè rei mutuo datæ.

Responsio : Carentia illa mutuo intrinseca est. Aliundè damnata est ab Innocentio XI propositio enuncians pecuniam numeratam pretiosiorem esse pecuniâ numerandâ.

Secundus. Utilitas major pecuniæ præsentis quàm absentis.

Resp. Hoc in eâdem propositione damnatum. Aliundè, seposito lucro cessante, etc., nulla est hæc major utilitas, cùm otiosa remanere debeat pecunia.

Tertius. Obligatio non repetendi summam antè tempus ordinarium.

Resp. Illa obligatio est ipsummet mutuum.

Quartus. Labor in numerandâ pecuniâ, etc.

Resp. Labor hic est itidem intrinsecus mutuo, nisi supponatur extraordinarius.

Quintus. Difficultàs summam recuperandi.

Resp. Imaginaria est, si ordinaria aut saltem tam parva ut pro nihilo reputanda sit. Aliundè quidnam meriti habet beneficium sine ullo omninò incommodo præstitum?

Sextus. Quòd mutuum non fiat pauperi, sed diviti, ad res suas augendas.

Resp. Justitia stricta non respicit personarum differentiam. Quod ex naturâ suâ gratuitum est semper est gratuitum. Cum pecuniâ factâ suâ, non cum pecuniâ mutuatoris, mutuatarius res suas auget.

Septimus. Quòd mutuator fidejussorem se præstet implicitè.

Resp. Fidejussor non potest hic habere titulum seu jus à jure mutuatoris diversum [518, *a*]. Fidejussio hæc mutuo intrinseca est, et ex naturâ suâ beneficium, cùm sit ipsum mutuum.

Octavus. Locatio pecuniæ.

Resp. Repugnat. Confer mutui et locationis definitiones. In locatione eadem res reddenda.

Nonus. Societas implicita cum mutuatario facta ad lucrum faciendum (dans le prêt de commerce).

Resp. Hæc societas ab eminentissimo D. cardinali de la Luzerne inventa, seu potiùs è triplici contractu quasi fœtus eruta, fictitia est et mutuum palliatum, nec ullus è sic contrahentibus, sive accipiat, sive det pecuniam, dicet : sum cum tali in societate implicitâ. Vide dicenda ubi de societate (*a*).

Aliæ usurarum larvæ passìm infrà videbuntur.

(*a*) Hoc systema D. Baronat et D Cardinalis de la Luzerne, egregiè et firmiter confutavit D. Bouyon. in opere cui titulus *Réfutation des systèmes*, etc. Claromontii 1824.

§ III.

De titulis legitimis lucrum percipiendi ex mutuo.

Duo sunt. Indemnisatio mutuatoris, et donatio liberalis ex parte mutuatarii.

Sed in his caveatur usuraria intentio.

PUNCTUM I.

458. NATURALIS est indemnisationis titulus, quia beneficium nocere non debet benefactori, nisi aliter exigat charitas.

Patitur autem mutuans si, ob mutuum, damnum ipsi emergat aut lucrum cesset; vel si sors ipsius periculum subeat extraordinarium mutuo extrinsecum; ac proindè à mutuatario indemnitatem proportionatam exigere potest. Sed ad hoc sequentes sint:

DOTES NECESSARIÆ

TITULI LUCRI CESSANTIS AUT DAMNI EMERGENTIS.

459. 1°. Lucrum verè cesset, et damnum verè emergat ex mutuo.

Ergò deficit titulus si mutuator facilè possit incommoda hæc vitare, ut si repositas habeat pecunias nulli honesto usui, aut casui eventuro secundùm statum suum destinatas (*a*).

Et deficit si mutuatarius se obliget ad compensandum omne damnum emergens, aut lucrum cessans ex mutuo, si eveniant.

Item à fortiori si non voluntatem, sed meram possibilitatem habeat mutuator faciendi lucri quod non sit verisimile eum facturum. Merè enim possibilium non habetur ratio (*b*).

(*a*) Hinc qui ob mutuum negotiationem reliquit, nihil ex titulo lucri cessantis percipere potest, si aliam exerceat artem æquè lucrativam, nec majoribus impensis et operâ. *D. Bouvier*. Adderem, nisi et negotiationem et artem possit et velit simul exercere.

Nota: Num a principiis hic positis recederet qui sine causâ pecuniam re-

positam haberet, sed pro solâ voluptate eam habendi, si mutuo acciperet cum *interesse*, ut cum eodem interesse daret? Videretur mutuum accipere pro alio. Sic de titulo lucri cessantis pro eo qui habet pecuniam repositam quam sine causâ non vult lucro exponere, existimant Navarrus, Molina, Lessius, Valentia, etc., apud Delugo.

(*b*) Secùs si pecunia habeat destinationem lucrativam, quamvis nulli lucro specialiter destinata, nec actu lucrum ullum fiat. Communiter enim admittunt sic dispositum posse exigere aliquid pro ratione spei; quia lucrum non est merè possibile; et hoc verum videtur etsi intentio lucrandi formatur eo instanti quo mutuum petitur. Sed facilè hìc irreperet animus usurarius.

Sed quid 1° si quis certò negotiaturus aut actu negotians malit mutuo dare; pecuniam consequenter subtrahat negotiationi; fundum vendat aut non emat, non venditurus aut empturus; imò quærat mutuatarios, aut expectet sciens adfuturos qui mutuo indigebunt, denuò negotiaturus aut empturus, si non inveniat, et hæc omnia quia modus lucrandi sic commodior est et forsan lucrosior!

R. Autumant plures id, seclusâ intentione usurariâ, esse licitum; quia adest titulus quem non tollit expectatio aut oblatio mutui. Sic Lessius, qui tamen addit hoc non facilè in praxi admittendum, ob periculum palliandi usuras. Sic etiam Delugo et apud ipsum Molina, Soto, Navarrus, etc.

Sed è contrà negant multi; quia motu proprio, sui non verò mutuatarii intuitu, sic agit mutuator. Undè sibi, non mutuo, imputare debet lucrum cessans: quod certum videtur, si non sit determinatus ad denuò negotiandum aut emendum. Si autem sit sic determinatus, videtur nullam esse hic usuram saltem effectivam.

Ast si plùs ex mutuo percipiat quàm ex negotiatione lucratus fuisset, omnibus consideratis, hæc agendi ratio, quoàd excessum, usuraria foret.

Quid 2°, si quis verum habens titulum lucrum percipiendi ex mutuo, ad illum non attendat, sed ex titulo falso, quem legitimum credit, lucrum percipiat, ex vero titulo percepturus si de hoc cogitasset?

Auctarium sic perceptum reprobant Collet et D. Bouvier, quia causa lucri cessantis non fuit mutuum ipsum, sed ignorantia mutuatoris: ut si quis bonâ fide vendat ultrà pretium, non posset excessum pretii retinere, eò quòd, si scivisset, alium contractum justum æquè lucratorium fecisset.

Nonne dici posset quòd si mutuator lucrum sic percipiens ex errore, habeat generalem voluntatem non relinquendi pecuniam suam otiosam, sed lucrandi cum eâ modo quocumque licito, quæ voluntas habitualis sit, actualis proindè aliquandò et jam anteà evaserit, cognitaque saltem fuerit, vel implicitè, à mutuatario, hoc ipso pactum initum sit inter utrumque de auctario solvendo? Aliter non reponeretur æqualitas, quia est verus titulus latens, nempè lucrum cessans; à fortiori, ut fatetur Collet, si contractus non sit ex omni parte usurarius, vel, ut volunt alii, si sint auctores qui eum non usurarium existiment.

Si autem nunquàm de titulo justo cogitârit mutuator, quia titulum ex quo lucrum percipiebat justum æstimabat, major est difficultas. Sunt tamen ut Lessius, qui eum à restitutione non impossibiliter immunem credant, si saltem intenderit explicitè, imò implicitè (ut ex vi præcedentis propositi, vel ex consuetudine fundatà in titulo ordinariè vero) lucrari omni titulo justo. Facit contractum complexum. Sed restrictiones hìc à Lessio appositæ reddunt casum vix à priori dissimilem.

Emmanuel Sa et Tannerus talem à restitutione generaliter eximunt. Æquitati consentaneum videtur quòd *interesse* solvens, illud tunc non repetat, et sic viderent homines simplices. Nec enim æquum ut mutuans ex errore suo patiatur.

---

460. 2ª. Mutuans moneat mutuatarium de indemnitate percipiendâ in hancque consentiat iste. Forsan enim nollet cum onere tali accipere mutuum (*a*).

Hinc si damnum imprævisum, etc., eveniat, mutuatarius non monitus non tenebitur illud compensare (*b*).

Benè verò si damnum eveniat, etc., ob moram culpabilem in solvendo.

(*a*) Eo ipso quòd petitur indemnitas et eam acceptat mutuatarius, contractus de eâ fit, etsi, inquiunt Delugo et alii, de damno nihil dicat mutuans. Nàm verum, licèt occultum, titulum habet. Hoc faterer, si mutuans intendat titulum indemnitatis, aut alium in genere justum, si habeat, quia mutuatarius tunc consentit. Si autem mutuans unicè intendat lucrum percipere ex titulo usurario, nequidem actualiter intendens generaliter lucrari ex omni titulo justo possibili, non audeo pronunciare, quia dici nequit fieri tunc inter mutuantem et mutuatarium contractum de indemnitate, cùm nequidem de eâ cogitetur. Addo tamen observata modò in notâ ultimâ cum proportione ad notam præsentem pertinere.

A fortiori non audeo dicere cum D. Bouvier, ignorantem se damnum passurum et interesse tamen absolutè ac proindè usurarium stipulantem, posse illud accipere, si reverà damnum eveniat. Si enim onus illud non prænovit, non potuit, etiam in confuso, illud vendere. *Delugo.*

(*b*) Quia mutuum acceptum est juxtà suam naturam, id est, gratuitum. Sunt tamen quibus videtur mutuantem posse tunc exigere indemnitatem; quia non censetur mutuum dedisse nisi sub hâc conditione.

Saltem æquum esset quòd mutuatarius indemniset. Durum est enim aliquem pati quia beneficus fuit.

---

461. 3ª. Lucrum cessans et damnum emergens justè æstimari debent (*a*).

Lucrum quidem juxtà spem illius, deductis impensis (*b*).

Damnum vero quale erit quando veniet, nisi antea aleatoriè æstimetur; ad quod cogendus non est mutuatarius.

Nec statim sumenda indemnitas (*c*).

(*a*) Qui ab emptione fundi aut domûs abstinet se ob mutuum, videtur D. Bouvier percipere posse 5 pro 100, quamvis non tantùm ex fundo percepturus sit; quia homines pluris æstimant proprietatem immobilem et permanentem, ob delectamentum. Addit ità esse praxim.

(*b*) Imò, deducto labore, juxtà aliquos, nisi tamen mutuans ità sit dispositus ut malit laborare in lucro faciendo quàm lucrum non facere.

(c) Si sumatur in aliâ specie, v. g., in frumento, statim sumi potest, si nihil indè patiatur mutuatarius, ut si frumentum servare debeat usquè ad tempus quo indemnisare debebit mutuantem, quo non pluris valebit. *D. Dens*, et meritò.

DOTES

TITULI PERICULI SORTIS.

462. 1ª. Periculum sit verum, probabilibusque fundatum conjecturis.

---

463. 2ª. Periculum sit non commune et ordinarium, quale reperitur in omni mutuo considerato sive in se, sive relatè ad finem ad quem à Deo ordinatum est, sublevamen nempè pauperis; sed extraordinarium et speciale, mutuo extrinsecum et ab eo per pignus separabile (*a*), etc.

(*a*) Exemplum habes periculi communis, quòd bona mutuatarii possint omnia incendio aut devastatione perire, etc. Si ob periculum hoc exigi posset auctarium, vana foret lex illud prohibens;

Extraordinarii autem quòd mutuatarius commercium exerceat periculosum, nullius sit conscientiæ, prodigus, litium amator, à quo quod debet obtineri nequit sine curis, laboribus, expensis. Tale etiam videtur nunc periculum ex parte mercatorum plurium, ob non raras bonorum demissiones, sæpè adhùc fraudulentas (*banqueroutes frauduleuses*).

Distinguunt adhùc periculum mutuo intrinsecum et periculum mutuo extrinsecum; sed intrinsecum ad commune, et extrinsecum ad extraordinarium reduci possunt. Aliundè plures hanc periculi intrinseci et extraordinarii distinctionem non admittunt, quia nullum est periculum quod per pignus, etc., separari non possit à mutuo, ac proindè quod ipsi extrinsecum non sit aliquousquè. Imò omne periculum videtur intrinsecum mutuo in individuo considerato, sicut intrinsecum est mutuo considerato ergà pauperem, à quo, ob illud, aliquod accipere auctarium vetat saltem charitas; quia obligat aliquandò ad ipsi mutuandum cum periculo, sicut ad eleemosynam, sed sæpissimè solùm minutim. An autem contrà justitiam peccaretur auctarium à paupere ob periculum sortis extraordinarium exigendo, non videtur; sed damnatio ob crudelitatem durior erit quàm ob injustitiam præcisè.

---

464. 3ª. Periculum sortis extraordinarium justè, judicio prudentûm, æstimetur (*a*).

(*a*) Tanti, v. g., quantùm peteret ad sortem assecurandam homo in his materiis versatus, (qui tamen non esset ex statu suo assecurator. Iste enim cùm ex statu suo vivere debeat, pluris quàm valent æstimat pericula.)

Quoàd periculum ne mutuatarius foro cedat (*ne fasse banqueroute*), in

casibus in quibus judicabitur extraordinarium difficillimè valor illius æstimabitur.

---

465. 4ª. Relinquatur mutuatario libertas dandi pignus, hypothecam, fidejussorem aut assecuratorem; alioquin de auctario, ob periculum, cum eo injustè pacisceretur; esset ibi usura saltem mentalis (*a*), quæ faciliùs hìc irrepit.

Sæpiùs item reperitur in præsenti titulo animus usurarius.

(*a*) Et requirunt communiter ut mutuans suscipiat in se periculum extraordinarium, ità ut, v. g., si sors in naufragio pereat, mutuans nihil possit à mutuatario exigere, præter summam de quâ per assecurationem sortis conventum est, quamvis mutuatarius bona habeat, præter merces pro quibus emendis pecunia mutuo data est.

Ast stando principiis circà hunc titulum, quæ olìm ob horrorem usuræ rigidius fortè quàm nunc accipiebantur, videtur, saltem speculativè, auctarium percipi posse, etsi mutuans periculum sortis suæ specialiter in se non suscipiat; nam illud reverà suscipit quoties illa sors periculum extraordinarium subit, nec pignus, aut fidejussionem, etc., dedit mutuatarius. Summam mutuo datam verè assecurat mutuans.

Hæc decisio, quæ est plurium gravium contrà multos, conformis est decisioni sacræ congregationis datæ pro praxi Missionariis apud Sinenses.

Sed multùm cavendum : periculum enim sortis extraordinarium non est sæpissimè nisi obtentus usurariorum. Non mutuo dant quandò illud timent, etsi non raró in pœnam cupiditatis ipsis eveniat.

PUNCTUM II.

466. Donatio liberalis ex parte mutuatarii, etsi ob mutuum, seu potius mutui beneficium facta, titulus legitimus est aliquid accipiendi ultrà sortem; possunt enim accipi gratitudinis munera.

Unicè ergò opus est, sed non facile, judicare quandonàm donatio hæc sit simpliciter, non verò solùm secundùm quid libera.

Indicia autem sunt

1° Si mutuatarius sit consanguineus, affinis, amicus, ad dandum proclivis, soleatque talia præstare munera gratitudinis præsertìm.

2° Si quid moderatum donet.

3° Si sit dives qui ad res augendas mutuum accipit, mutuans verò pauper (*a*).

Contraria autem indicia, non tamen certa, sunt præsertim

si mutuatarius adhùc debeat, aut mutuo indigebit posteà, maximè si quid grave aut annuum donetur, imò quid leve si mutuans innuerit se non mutuaturum absque dono; ostenderit se expectare secundùm morem usitatum; se habere familiam alendam, etc., quin hæc videntur includere pactum implicitum [455, *d*].

Nota 1°: In praxi ut illicitum haberi debet donum acceptum ex paupere ob mutuum, nisi sit quid levissimum, et nullatenùs pauperi onerosum.

Nota 2° : Faciliùs libera præsumitur usuræ condonatio, si jam auctarium sit perceptum quàm si percipiendum, modò mutui contractus finitus sit, nec ampliùs mutuantis ope mutuatarius indigeat.

Nota 3° : in dubio multò faciliùs non libera quàm libera præsumenda est donatio, quia tunc adhærendum iis quæ fortiora sunt; saltem pro ratione dubii, si quod restet, restituendum (*b*).

(*a*) Vanitas mutuatarii auctarium donantis non est titulus pro mutuante, inquit D. Bouyon. Sed hoc generaliter acceptum rigidius videtur: nam quòd mutuatarius donet ex vanitate, non ideò non liberè donat, modò non donet tanquam ex justitià debitum. Sic, ait Delugo, qui dat ex rubore, non ideò non dat liberaliter, nisi rubor fuerit injustè incussus.

Mercatores, præsertìm qui ampla negotia exercent, dicunt ordinariè sibi mutuantibus quòd liberò et liberrimè donent auctarium; quod non facilè crederem de multis. Solvunt enim auctaria ut pecunias habeant, coactò proindè, saltem non raro. Aliundè solvunt tanquàm ex justitià debitum. Tandem, si saltem auctaria excedunt taxam, populus, cariùs emendo, ipse solvit auctaria.

(*b*) Tituli disputati lucrum percipiendi ex mutuo sunt

POENA CONVENTIONALIS

Ad quam solvendam obligat se mutuatarius, si mutuum non reddat tempore præfixo.

Plures hìc vident usuram palliatam. Alii autem probabiliùs hanc pœnam justam reputant si sincerè imponatur, modò

1° Mora sit culpabilis et notabilis.

2° Pœna proportionata sit rei mutuatæ, qualis sæpè non esset amissio pignoris.

3° Nec stipuletur pro tempore quo prævidetur mutuatarium imparem fore ad solvendum.

Sæpè hìc non abesset saltem animus usurarius.

Cæterùm quamvis probabilius existiment pœnam deberi ante sententiam

judicis, multi tamen aiunt eam non esse necessariò antè solvendam quàm saltem tacitè petatur, censerique secùs condonari.

Non displicet hæc posterior opinio. Sed hæc pœna non est sat in usu ut de eâ longiùs disseratur.

SENTENTIA JUDICIS CONDEMNANS AD AUCTARIUM.

Si, ut volunt Cabassutius, Pontas, Collet, etc., certò constaret judices ad auctarium condemnare in puram moræ pœnam, mutuans posset *interesse*, recipere. Sed contrarium arbitrantur P. Gab. Ant., Theolog. Pict., Thomas, Bailly. Articulus 1153 cod. civil. videtur itidem innuere judices supponere damnum. Et reverà judices solùm damnant ad *interesse* legale et à die petitionis. Ergò si damnum nullum existat, *interesse* percipi nequit.

Ante rerum gallicarum conversionem, sententia judicum, lucro cessante et damno emergente seclusis, merum erat pallium usuræ. A fortiori nunc, in suppositione quòd lex civilis merè toleret *interesse* mutui.

OBLIGATIO EX PARTE MUTUATORIS
SUMMAM NON REPETENDI ANTÈ LONGUM TEMPUS.

Hæc obligatio, etsi tempus non esset nisi trium annorum, videtur aliquibus titulus sufficiens. Aliis neutiquàm, quia est intrinseca mutuo.

Mihi videtur quòd sicut tempus brevissimum mutuum tolleret, ità longissimum sit ultrà ejus naturam et finem qui est juvamen transitorium. Quot casus evenire possunt in quibus mutuans ad longissimum, imò longum tempus, pecuniâ suâ indigebit? Posset ergò pacisci de lucro cessante aut damno emergente. Hic ergò titulus cum titulo lucri cessantis, etc., ferè coincidit. Hæc conformia non videntur reprobatæ ab Alexandro VII propositioni: *Licitum est mutuanti aliquid suprà sortem recipere, si se obliget ad non repetendam sortem usquè ad certum tempus.*

LEX CIVILIS ET USUS PATRIÆ.

Hunc titulum repulit Gregorius XIII in suis ad Ducem Bavariæ consultantem responsis, et injustum sat clarè innuunt varia sacræ pœnitentiariæ responsa. Attamen veteres aliqui et forsan plures hodierni illum legitimum putant ob jus quod habet princeps in bona particularium intuitu boni communis, et addunt aliqui ob consensum populi.

Si consensus hic universalis et omninò liber supponi posset, lis esset finita, saltem ad tempus.

Quoàd jus principis, videtur generaliter hìc longiùs extendi, cùm lex non faveat bono communi nisi indirectè, et directè cupiditati. Nonnè sufficit ut toleret interesse? Aliundè, Christus, Patres, Concilia, verborum Christi interpretes, usuram damnârunt tempore quo per leges permittebatur. Ergò hoc furti genus non videtur posse permitti ob bonum commune, quin et ipsi adversatur. Vide librum cui titulus *l'usure démasquée* à P. Hyacintho de Gasquet è familiâ PP. capucinorum, et nuper pluries editam D. Pages luculentam circà hoc punctum elucubrationem, in quâ tamen non vividè rapit me ad assensum solutio argumenti petiti ex lege præscriptionis.

Habes dispositiones legis civilis circà mutuum, cap. 3, tit. 10, lib. 3, cod. civ.

Habeto hic, si vis, extractum ex lege posteriori (3 sept. 1807), pro eo quod spectat ad negociatores præcipuè:

Art. 1. « L'intérêt conventionnel ne pourra excéder en matière civile, » cinq pour cent, ni en matière de commerce, six pour cent, le tout sans retenue;

Art. 2. « L'intérêt légal sera en matière civile de cinq pour cent, et en » matière de commerce de six pour cent, aussi sans retenue.

Art. 3. « Il n'est rien innové aux stipulations d'intérêts par contrats ou » autres actes faits jusqu'au jour de la publication de la présente loi. »

Nota : Curia suprema (la cour de cassation) die 4 januarii 1828, judicavit legem 8 sept. 1807 quæ statuit *interesse* legale, non esse applicandam *à l'escompte, ni à la commission de banquier, ni au prix du change*; quæ consequenter possunt liberè à partibus determinari.

COLLOCATIO PECUNIÆ IN MONTIBUS PIETATIS.

Montes pietatis sunt acervi pecuniarum, etc., ad subveniendum pauperibus qui mutuo indigent.

Liciti sunt, et eos approbavit Leo X; quia auctarium quod exigunt, est unicè pro sumptibus necessariis horum montium gubernii.

Ast licetne ex pecuniâ ibi collocatâ interesse percipere ?

Arbitrantur quidam, modò pecunia ibi collocetur ex motivo pietatis, non lucri faciendi.

Falluntur, quia motivum non impedit lucrum percipi vi mutui, si non sit alius titulus.

APPENDIX

DE RESTITUTIONE USURARUM.

467. De usurarum, sicut de cujuslibet rei furtivæ restitutione dicendum. Sunt tamen sequentia notatu specialiter digna.

Usurarius mentalis tenetur ad restitutionem, quia quamvis nequidem implicitè de auctario stipulatum sit, illud tamen percepit sine titulo, et quia mutuatarius sæpissimè illud non censetur solvisse gratuitò, sed potiùs ut debitum vi mutui, præcipuè si intentionem usurariam mutuantis adverterit (*a*).

Imò, qui absque usurâ mentali aliquid bonâ fide accepisset ut omninò liberaliter datum, illud restituere debet, si detegat quòd datum sit tanquàm vi mutui debitum (*b*).

(*a*) Excipiunt alii contrà alios casum in quo usurarius mentalis justum

haberet titulum retinendi, nempè lucrum cessans aut damnum emergens; quia tunc, inquit P. Gab. Ant., reponitur æqualitas. Vide 459 *b*.

(*b*) In dubio restituat, quia cum hoc dubio non potuit inchoare auctarii possessionem. *Lessius*, *Delugo*, *Lacroix*, *Collet*, *P. Gab. Ant. Col. And.*, etc. Si autem superveniat dubium, alii cum Molinà volunt restituendum. Sed alii plures cum Cajetano et Navarro dicunt posse præsumi donationem fuisse liberalem. In utroque casu inquirenda mutuatarii intentio; et si hoc impossibile, non videtur Delugo cur hìc non ratiocinaretur sicut in aliis dubiis circà possessionem. Vide 406, *a*.

Hæc quidem, si agatur de dubio quod haberent hæredes mutuatoris. Sed si ipse mutuator dubitet, difficilè non recordabitur, nec ex variis indiciis dignoscet an liberaliter, etc.

Nota. Volunt aliqui pauperibus restituendum quod ratione usuræ debetur mutuatariis avidis. Sed hoc pœna esset. Tribuatur cuique suum.

Si tamen constaret mutuatarium qui usuras solvit, eamdem pecuniam aliis sub usuris majoribus in mutuum dedisse, istis foret restituendum, nisi ipse restituturus prævideatur. *Bouvier*. Non puto, nisi prior mutuans censeatur cooperatus fuisse usuris majoribus posterioris, quod dici nequit; si id ignorabat; aut nisi usuræ minores censeantur pars majorum, quod videretur si ex conniventiâ factum sit hoc execrabile commercium. Aliter restituendum illi cui facta est injuria. Nam non videtur quale jus posterior mutuatarius habeat ut sibi à priori mutuante fiat restitutio. Equidem, ut ait D. Bouvier post Col. Parisiensem, ultimus mutuatarius damnum ex usuris passus est; sed non à primo mutuante, nisi ut modò.

Si bonâ fide usuræ acceptæ sint, vide n° 563.

---

468. In defectu usurarii, restituere tenentur cooperatores, ut judices, advocati (*a*), proxenetæ (seu qui partes usurariorum agentes quærunt eos qui pecuniâ indigent), factores, correspondentes, institores (seu qui usuras recipiendas in libros rationum referunt), notarii, qui instrumenta usuraria conficiunt, et testes qui iis subscribunt; tandem qui usurariis, fœnus quasi artem exercentibus, domum locant, aut pecunias dant ad fœnus (*b*) exercendum.

Ex cooperatoribus excipe qui mutuatarii indigentis magis quàm mutuantis partes agunt. Cùm enim ad istius petitionem usuræ cooperentur, v. g., pecuniam procurando, etc., non peccant contrà justitiam, nec contrà charitatem, sed sæpè sæpiùs contrà leges et juramentum.

Tutores malè excusarentur eò quòd minorennium pecunias modo lucroso impendere teneantur. Habent enim media alia quàm mutuum. Si ergò justum aliquem ex assignatis titulum non habuerint, tenentur ad restitutionem, nisi bonâ fide fecerint.

Sed tenentur minorennes, saltem si ditiores facti [563, 566].

Tandem uxores usurariorum, quæ usuras impedire nequeunt, tenentur de his, quantùm possunt, notas habere, ut quandò in partitionem acquisitorum pervenerint, partem suam restituant. Ad nihil enim tenentur, si nulli sint acquestus, nec cooperatæ sint, nec alio titulo ad debita communitatis teneantur.

In dubio autem an marito supervivant, facere debent testamentum, si possint, ne jure earum mediante, hæredes ipsarum lucra usuraria accipiant; aut eos monere, si sine graviori incommodo testari nequeant.

(*a*) Nisi tamen secundùm leges judicent aut patrocinentur, quia lex necessaria fortè pro foro externo non est evidenter injusta. *D. Bouvier*. Crederem pro judicibus qui secundùm leges judicare, et notariis qui (secundùm easdem) scribere coguntur. Sed de advocatis dubitarem, nisi ad patrocinandum ex officio nominentur; quia eorum patrocinium liberum est.

Excipo judices, etc., qui auctario legis taxam excedenti faverent. Liberè enim tunc cooperarentur injustitiæ.

(*b*) Secùs si apud usurarium pecuniam habeant depositam solùm ad custodiam, nec prævideant quòd eà usurus sit ad fœnus; aut si pecunias alias sufficientes habeat. Si non habeat alias, restituere tenentur, quia sunt participes culpæ, inquit D. Thomas. Vide mox.

Imò excusat D. Bouvier eum qui, ad usuram exercendam, pecuniam petenti dat, cùm non posset sine gravi incommodo eam recusare. Vide n° 263.

Et à restitutione excusant plerique famulos qui schedulas usurarias faciunt, pignora recipiunt, pecuniam numerant et omnia referunt in libros rationum; quia remotè tantùm ad usuram concurrunt. *Collet. P. Gab. Ant.*

Eò lubentiùs eos excusarem à restitutione, quòd nullus sit mutuari coactus qui eos non liberaret, utpotè qui non eo invito ad usuram cooperentur, et sic de multis aliis cooperatoribus usuræ. Imò Delugo, Lacroix, etc., hìc applicant principium, non esse locum restitutioni quando læsus non est invitus. Porrò sæpissimè qui solvunt usuras non sunt inviti contrà cooperatores, quin potiùs eorum cooperatio ipsis grata est, ac proindè eorum partes agere censentur.

SECTIO II

De injustitiâ in venditione et emptione.

ARTICULUS I

De naturâ et causâ efficiente venditionis et emptionis.

§ I.

469. VENDITIO-EMPTIO est pactio pretii pro merce et mercis pro pretio.

« La promesse de vente vaut vente, lorsqu'il y a consen- » tement des parties sur la chose et sur le prix » [1589].

An scribi debeat contractus venditionis-emptionis, ut perfectus sit, vide numeros 400 et 424, *a*.

(*a*) Ibi dictis addo quòd impunè cum arrharum jacturâ resiliant vendentes et ementes. Non liceret tamen eis sic resilire, si arrhæ non pœna forent sed signum perfectæ venditionis.

---

470. Si res quæ constant numero, pondere aut mensurâ, in globo venditæ sint, perfecta est venditio quamvis non sint numeratæ (1586), etc.

Si autem ad pondus, numerum aut mensuram venditæ sint; usquedùm ponderatæ, etc., fuerint, perfecta venditio non est, in hoc sensu quòd res periculis maneant venditoris (1585).

Sed emptor exigere potest ut sibi tradantur, aut ut damna compensentur, etc.

Nota : Vini, olei, cæterarumque rerum, quæ solent antè emptionem degustari, non est perfecta venditio antequàm degustatæ sint et pro gratis habitæ [1587].

Nota iterùm : Pretium per contrahentes determinari debet. Potest tamen relinqui tertii arbitrio, et si non designet pretium, non erit venditio (1591, 1592).

Undè non valet venditio facta præcisè justo pretio, si non sit determinatum.

Cæterùm venditio-emptio fieri potest per actum authenticum, aut per scriptum privatum, aut solis verbis (1582).

Sed in foro externo non valet sine scripto, aut testibus, et quidem in hoc casu ultimò, solùm cùm pretium 150 francos non excedit (1343).

Quidquid in venditione-emptione ambiguum est, in favorem emptoris explicari debet, quia venditor conditiones apposuit. Standum tamen conventionibus bonâ fide factis (1602).

Venditio-emptio sub conditione suspensivâ aut resolutoriâ fieri potest.

Potest esse alternativa.

Et in his omnibus casibus regulatur per principia generalia conventionum. Vide insuper totum cap. 10, tit. 6, lib. 3, et sect. 1, 2 et 3, cap. 4, tit. 3 ejusdem libri Cod. civ.

Tandem venditio-emptio alia fit credito, alia anticipatâ solutione, et alia numeratâ hìc et nunc pecuniâ [476, *a*].

§ II.

471. Vendere et emere possunt omnes habiles ad contrahendum, nisi à vendendo vel emendo lege impediantur naturali aut positivâ;

Quales quorum ex creditorum petitione bona sub custodiâ posita sunt (*saisis*), eo ipso quòd custodia illis denunciata est (692 cod. processûs).

Et quales qui foro cesserunt (*qui ont fait cession de biens*) (442 cod. commercii). Quin alienationes factæ quindecim diebus ante incœptionem cessionis (*avant l'ouverture de la faillite*, nam ex tunc solùm ligantur), rescindi possunt, si probentur fraudulenter factæ ex parte aliorum contrahentium (445 ibid.).

Gratuitæ verò donationes nullæ sunt itidem, ni bonorum cessionem 15 diebus antecesserint (444 ibidem).

ARTICULUS II.

De re vendibili-emptibili, seu merce.

472. Merx est quidquid pretio æstimabile est, nec ideò desinit esse merx præcisè quòd prohibita sit.

Sed invalida est venditio rerum ex naturâ suâ ad malum destinatarum, supposito etiam quòd sint pretio æstimabiles, si traditione non perficiatur; quia nulla est obligatio eas tradendi, cùm nemo obligetur ad illicitum.

« La vente de la chose d'autrui est nulle (1599) » (*a*). Undè vendens tenetur de evictione; imò de damnis antè sententiam judicis, si malâ fide vendiderit.

Si bonâ fide, reddat pretium saltem in quantùm ditior factus est. Vide sect. 3, cap. 4, tit. 6, lib. 3, cod. civ. (*b*).

« On ne peut vendre la succession d'une personne vivante, même de son consentement (1600) » (*c*).

« Si, au moment de la vente, la chose étoit périe en tota» lité, la vente seroit nulle.

» Si une partie seulement.... est périe, il est au choix de » l'acquéreur d'abandonner la vente ou de demander la par» tie conservée, en faisant déterminer le prix par la ventila» tion (1601). »

Circà venditionem rerum quarum prævidetur abusus, vide numeros 262 et 263.

(*a*) Nulla fuit sanè venditio bonorum Ecclesiæ, sed ex praxi non inquietantur qui ea possident ob concordatum 15 augusti 1801, in quo declarantur proprietarii. Multi arbitrantur in Galliâ condonationem esse generalem, et possessores esse solùm hortandos ad implenda onera quibus bona gravabantur. Sic fert responsum quod vidi à S. pœnitentiariâ. Simile, de expressâ apostolicâ auctoritate se recepisse ait D. Bouvier, in suo tractatu de Contractibus.

(*b*) Juxta multos, venditor rei alienæ non tenetur pretium acceptum reddere, nec emptor potest illud repetere, nisi post rei evictionem, cùm tempore contractùs ignoraverunt rem fuisse alienam. Mihi videtur contractum esse statim rescindendum.

(*c*) Valeret usquedùm rescinderetur. *D. Bouvier.*

Nec vendi queunt, juxtà multos, bursæ in quibusdam collegiis fundatæ ad studentium pauperum sustentationem, finito tempore pro quo concessæ fuerunt; quia quod gratis acceptum est, gratis est dimittendum.

Sed vendi possunt officia pretio æstimabilia, modò viris probis, nisi lex tales venditiones irritet.

ARTICULUS III.

De injustitiâ in pretio

473. VENDITIO-EMPTIO est quædam commutatio ad æqualitatem in quâ merx æquivalens pretii est, et pretium æquivalens mercis. Exigit ergò justitia æqualitatem inter mercem et pretium. Non enim vendentes et ementes donare intendunt.

Hanc æqualitatem princeps aliquandò aut magistratus designant, et tunc pretium legale aut legitimum dicitur, consistitque in indivisibili.

Sed ordinariè à communi hominum æstimatione pendet pretium ; et cùm in judiciis suis non conveniant facilè, latitudinem admittit necessariò. Vocatur vulgare seu commune, estque vel supremum, ultrà quod, vel infimum infrà quod rem prudentes non æstimarent, vel medium (*a*).

Pro pretio augendo vel minuendo ratio habenda est cujuslibet oneris pretio æstimabilis, emptioni-venditioni impositi.

(*a*) Sequentia communiter tradunt circà latitudinem pretii vulgaris : eò major vel minor est quò pretiosior merx est vel vilior; quò rarior vel frequentior; quò magis vel minùs necessaria; quò plures vel pauciores sunt ementes; quò pauciores vel plures sunt vendentes; quò major vel minor est copia pecuniæ. In rebus necessariis et usus frequentioris, frumento, v. g. latitudo est 9-10-11. *Lessius*. Major in superfluis vel pretiosis; major adhuc in raris et magni pretii.

Pretium auget modus vendendi, ut ex officio vel minutatim. Minuit si in globo aut non ex officio. Qui enim ex officio mercatores sunt, majora pericula subeunt et renunciant aliis modis acquirendi. Hinc forsan dictum : *Aussi cher que chez le marchand*. Potest tamen non mercator tanti vendere, inquiunt casuistæ; quia potest vendere pretio currenti.

In fine nundinarum decrescit sæpè pretium, quia decreverunt ementes et supersunt plures vendentes. Aliquandò è contrà.

Sæpè post bella et vastationes res vilescunt. Et vilescunt occupata in bello, inquiunt alii, sanè quia multi vendentes, pauci ementes et rara pecunia. Augentur verò in adventu principis, exercitûs, etc.

Minus est pretium sub hastâ sæpè quàm in officinâ.

Tandem merces ultroneæ vilescunt, et quidem de tertiâ parte, aiunt plures, imò de dimidio, ait Rebellus cum paucis. Sed addunt graves auctores non ideò res vilescere quòd offerantur, sed quia quandò offeruntur, adest earum copia, vel pauci sunt ementes. Non enim justum, ob necessitatem particularem alicujus præcisè, emere ab eo viliori pretio. Imò illæsa sæpò non esset charitas hoc emere pretio res pauperum in necessitate communi

vendere coactorum. Ideò adhùc res ultroneæ vilescere dicuntur, quòd parùm tunc utiles sint emptoribus qui sollicitantur, aut quòd damnum patiantur. Sed apage fingentes parvam utilitatem aut damnum emergens ex emptione, ut infrà justum pretium emant.

Vult Billuart ut fiat mercis vendendæ promulgatio ad cognoscendum utrùm vilescat, nisi jàm constet, etsi promulgaretur, raros fere emptores, nec pretium majus inveniendùm. Idem habet Cajetanus, quia, inquit, occulta venditio potest esse causa penuriæ emptorum. Reverà sæpissimè hoc evenit.

In his omnibus difficile admodùm, imò impossibile determinare adamussim pretium vulgare. Undè non sine ullâ probabilitate ait dominus Bouvier magis attendendum quid fiat in contractibus ubi non est fraus nec mala fides. Adderem quandò fiunt à timoratis, communiter, nec ullo fundato indicio apparet injustitiam fuisse commissam. Sic libri veteres quadruplò minoris emuntur, quàm si novi essent, licèt non meliores. *Idem.*

---

474. Conformandum ergò se pretio legali, si quod sit, ni certò sit injustum, quia potestas publica jus habet merces taxandi (*a*).

(*a*) Si tamen merx valdè notabiliter excedat in valore alias ejusdem speciei vendi solitas, existimant multi contrà aliquos eam posse suprà legale pretium vendi, sicut infrà taxam vendenda foret, si multò aliis inferior esset; alioquin, inquiunt, lex justa non videretur. Fatendum tamen hoc esse periculosum.

Ubi nota 1° quòd cùm ordinariè in favorem ementis taxa sit; infrà, si velit vendens, emi posset, et vicissìm.

2° Quòd si taxa diversa sit in variis locis, res vendi debeat juxtà taxam loci ubi perficitur aut perfici censetur emptiovenditio; ut, si venditor debeat suis expensis et onere transvehere merces in urbem ubi major est taxa.

3° Quòd si ex mutatis circumstantiis quas magistratus prævidere non potuit, pretium taxatum evadat injustum, aut si, sciente et non contradicente principe, pretium vulgare prævaleat, eo vendere liceat. Sed hæc certa sint. *Billuart.*

---

475. Ergò iterùm, cùm pretium legale non extat, vendentes et ementes vulgari conformare se debent, non vendentes ultrà summum, nec ementes infrà infimum sine titulo venditioni-emptioni extrinseco. Cùm enim in hoc contractu justum, non donum, quæratur; quod extrà latitudinem pretii est, ex necessitate aut errore aliâve causâ non justâ datum censetur (*a*) [476].

Equidem, ex eo quòd sit læsio in pretio, non ideò contractus nullus est; imò nec rescindibilis in mobilibus; et si in immobilibus rescindibilis sit, id locum habet solùm cùm

læsio est enormis (au-delà des sept douzièmes du prix). Sed hæc valent tantùm pro foro externo.

Tituli autem justi à pretio vulgari recedendi sunt.

1° Iidem qui pro lucro in mutuo, iisdemque vestiri debent dotibus, addendo quòd tunc monendus sit alter contrahens qui forté nollet sic, alibi melius inventurus.

Hinc qui vendi ad subveniendum propriæ necessitati, non potest ultrà pretium vulgare vendere, ob lucrum cessans, etc., quia venditio, non ut libera, sed ut necessaria, causa est hujus lucri cessantis.

2° Subhastatio, seu quòd venditio-emptio fiat in auctione publicâ (*à l'encan*). Tunc pretium justum est, etsi à vulgari ordinario recedat, quia legale est, et quasi vulgare.

Legale quidem ; quia illud admittere videtur auctoritas publica, erigendo forum illud extraordinarium.

Quasi vulgare verò ; quia si non petitur reverà ab opinione vulgi, constituitur tamen per ipsos licitantes absque respectu ad pretium quod res alibi haberent (*b*) ; et ob copiam licitantium (*c*).

Hìc notandum sæpè in venditionibus sub hastâ committi injustitias 1° ex parte venditoris ; cùm per se aut per fictos emptores licitat ut augeatur pretium ; quia est simul venditor et emptor, et soli emptores incurrunt periculum.

2° Ex parte emptorum ; si conspirent et determinent pretium ultrà quod non ascendent, saltem si sit infrà infimum (*d*), aut vi, dolo vel fraude [499] alios emptores avertant ab auctione (*e*).

3° Ex parte officialium aut præconum, si auctionem instituant eo tempore quo paucos sciunt futuros emptores, ut nempè amicis faveant ; si citiùs aut tardiùs rem adjudicent quàm fieri solet et convenit.

(*a*) Dùm res pretiosa, v. g., liber antiquus, exponitur apud veteramentarios, non videtur semper injustum si ematur infra pretium, quia censetur tunc antiquum pretium perdidissse, et suum sumere ex judicio frequentantium tales officinas ut in auctionibus publicis. Item si proprietarius librum jam detulerit ad vendendam solam chartam. *Dens* post Daelmam. Sed tunc supponerem saltem quòd hìc vendens cognoscat pretium rei suæ.

(*b*) Tunc pretium justum est, aiunt quidam, etsi de dimidio à vulgari re-

cedat. Adderem : *Quantumlibet discedat*, si subhastatio sit aleatoria, ut volunt aliqui, aliis non negantibus. Porrò aleatoria est; nam vendens minori vendendi pretio, et emens majori emendi periculo sese exponunt, liberè consentientes in pretium quod statuetur. Sic Bonacina, P. Gab. Ant., Billuart, Dens, etc. Quibus prævisse ferè videtur Lessius. Sat crederem ego, si tales sint licitationes, ut nihil retrahatur ob minus pretium, ut quæ fiunt auctoritate publicâ, teneaturque emptor suâ auctione; et modò absint fraudes mox enumerandæ.

Illis autem absentibus, non facilè injiciendus scrupulus, circa pretium, eis qui in subhastationibus vendunt aut emunt, ait Delugo. Nullum vidi qui ullum habeat.

(*c*) Et hæc dicenda videntur de auctionibus publicis sine auctoritate judiciali factis, etsi non sint propriè subhastationes, quia ab auctoritate publicâ permittuntur, et aliæ rationes hìc allatæ pro iis militant. Sed requiriturne ut merces tradantur plùs offerenti (*au plus offrant et dernier enchérisseur*)? Videtur, inquit Billuart, ac proindè quòd venditor non possit mercem retrahere, 1° quia se obligavit ad eam tradendam plus offerenti. 2° Quia licitator non potest retrahere pretium. 3° Quia cùm possit venditor vendere ultrà pretium vulgi, debet teneri infrà vendere. 4° Quia est ibi inchoata venditio. Ergò emptor jus inchoatum habet ad rem.

Verùm attento usu universali contrario, fatetur idem doctissimus et acerrimi ratiocinii auctor, se vix scire quid resolvat. Durum ipsi videtur damnare injustitiæ praxim quam universaliter tenent docti et indocti, etiam pii et timorati. Putat rempublicam illam approbare tacendo, et licitantes cedere jure suo, idem facere parati.

Multis in locis ordinariè reservatur ultima auctio, ut aiunt, ut vendens possit rem sibi retinere, etc.

(*d*) Si justo pretio, controvertitur. Nonnè hìc strictius ratiocinandum quàm in aliis monopoliis [492]? Impeditur subhastatio et invertitur ordo fori illius extraordinarii. Excusatur tamen communiter qui amicum rogat, ne licitet; quia rem desiderat, et difficilè injustitiæ reos arbitratur D. Bouvier, fratres aut amicos plures, qui idem objectum desiderantes, conveniunt ut unus tantùm licitet, et postea objectum inter se dividunt, quia haberi possunt ut quædam commercii societas. Quid autem si fundorum congeries vendatur, et unusquisque unum tantùm aut alterum fundum exoptet...? Vendens potest fundos retrahere. Sed nec fortè tunc abesset omnis injustitia. Sed si vendere necessitetur? Si non remaneant alii licitatores in numero sufficienti, societas hæc videtur monopolium fortè injustum [492]. Idem dic si vendens in hoc casu ignoret monopolium, quamvis non sit in necessitate vendendi.

Ast quid, si venditio fiat auctoritate publicâ, Tunc necessariò fit. Quid si per procuratorem? Hic procurator seu mandatarius sequi debet intentionem mandantis; si non sequatur eam, merces retrahendo? societas hujus intentionis conscia, particeps fit injustitiæ.

(*e*) Ut, sicut sæpè, dando summam uni aut alteri ut à licitando abstineat. Tunc qui summam recepit videtur probabiliùs teneri eam reddere venditori, quippè quæ pars videatur injusti pretii; aut certè emptoribus, si solum simulârit se velle licitare. Emptores insuper videntur teneri restituere venditori secundùm spem prudenter æstimatam, quòd seclusà fraude, pluris et in quantùm pluris vendidisset, demptis tamen summis restitutis ab iis qui à licitando ob eas abstinuerunt, si fortè restituerint, quod ad minùs valde dubium est.

Laxi's videtur dici vendentes has omnes fraudes cognoscere fieri solitas, et eis sese subjicere, proponendo modum subhastationis.

Quin è contrà mihi videtur in his omnibus et similibus casibus decidendis pro icis:endum ab hoc principio : qui vendit sub hastâ, videtur jus strictum habere ut, etiam absque vi aut fraude, non invertatur nec turbetur in suî detrimentum ordo fori hujus extraordinarii. Quoties ergò id fit, ipso rationabiliter invito, violatur jus ipsius strictum modo ad omnia damna reparanda obligationem inducente.

---

476. Tituli verò injusti à pretio vulgari recedendi sunt,

1° Affectus emptoris ad rem ; particularis ejus indigentia, reive pro ipso convenientia, nisi eadem sit vendentis quâ se privet. Hæc enim valorem non augent, et convenientia rei pro emptore est ejus bonum, quod ei vendi non potest (*a*).

2° Impensæ majores quàm fieri solent, quas tamen in emendâ re fecit venditor, aut quæ majores evadunt, quia merx fit communior. Infortunium enim unius aut alterius mercatoris valorem rerum non mutat.

Ergò, è contrà, minores quàm fieri solent impensæ non impediunt ne merces currenti pretio vendantur.

3° Expectata aut anticipata solutio præcisè. Hæc enim sunt mutuum implicitum (*b*).

(*a*) Ità omnes quos legi. Si ergò contra fiat communiter, id ut legitimum haberi nequit, nisi excessus pretii liberaliter datus censeatur, aut dicatur, si dici possit, in communi hominum æstimatione rem pluris valere.

(*b*) Plures tamen sentiunt contrà, ob praxim communem; quia communis æstimatio tunc major est ob periculum aut detrimentum quod ordinariè evenit ; et si non eveniat, id fit per accidens.

Errant : nam eadem dici possunt de mutuo. Imò sæpè falluntur mercatores qui, ob lucrum cessans, vendunt ultrà pretium vulgare, quia lucrum eorum cessans compensatur sæpè per majorem quantitatem mercium quam distrahunt et quam non distraherent si venderent numeratâ pecuniâ. Creditò vendere coguntur, aut infimo pretio, si numerata pecunia, vendant, qui mercibus obruuntur. *Collet. P. Gab. Ant.*

Forsan dici posset quòd, cùm venditur creditò, plures sint emptores, ob facilitatem solutionis, et quòd sic augeatur pretium. Sed quidquid sit de hâc ratione, quæ in quibusdam circumstantiis fortè locum habere potest, fatentur communiter licere infimo anticipâ solutione emere, et supremo pretio vendere creditò, quia, ut ait Billuart, si hæc licent quandò numeratâ pecuniâ vendunt, cur non quandò anticipatâ solutione, aut creditò? Sed absit animus usurarius. Imò posset intervenire hic usura mentalis, quin et realis.

Cum res emitur anticipatâ solutione, notant meritò plures attendendum esse pretium quale erit tempore traditionis.

TITULI DISPUTATI.

Primus : Affectus peculiaris venditoris : si in se præcisè consideretur, nullàque fundatus sit convenientiâ, plures volunt non esse titulum, quia non auget valorem rei. Si tamen affectus sit rationalis, quia, v. g., res est antiqua in familiâ, et vendens non sit mercator, moneaturque emptor de excessu pretii, si verum pretium ignoret, auget pretium, inquiunt Theol. Pict., P. Gab. Ant., Thomas, Collet, Bailly. Ratio eorum est quòd vendens privet se commodo et delectatione quæ in communi hominum æstimatione sunt pretio digna.

Equidem hoc delectamentum non est cum pecuniâ, juxta multos, commensurabile. Sed videtur ob sententiarum diversitatem de eo justè pacisci posse aliquali saltem pretio. Alioquin res non est vendenda.

Secundus : Retentio fructuum implicita, quandò credito venditur res sive naturaliter sive civiliter frugifera, ut fundus, domus. Qui nolunt percipi tunc posse interesse, dicunt fructus pertinere ad dominum, ac proindè non posse retineri, nec loco eorum interesse percipi, cùm per venditionem res transeat in dominium emptoris.

Sed sententia contraria probabilior videtur et communior, quia cùm re emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere.

Et revera, quid injusti quòd vendens sibi fructus reservet, cùm sint à fundo separabiles, et de facto separentur, cùm res alienatur retento usufructu? Nonne è contrà æquum est ut emens non fruatur est re et pretio? Aliter posset viâ hàc, si longus esset solutionis terminus, per fructus solvere pretium. Attamen si, ut forsitan, interesse dilationis solutionis, seu fructus rei jam in excessu pretii fuerint comprehensi, percipi ampliùs nequeunt. Vide art. 1652 Cod. civil.

Sed quandò res frugifera venditur creditò cum interesse [461, *a*], hoc pretii partem efficere potest per modum unius, ità ut quò majus esset interesse, minus esse debeat pretium principale, et semper remanere inter limites pretii justi.

Imò non desunt qui contrà alios contendant venditorem qui non vendiderat creditò, posse fructus rei retinere, donec solvatur pretium, etsi eo non indigeat nec utiliter illud statim impendere intendat, quia rem suam tradere non tenetur nisi solvatur pretium.

Utrùm autem in his casibus percipi possit interesse legale; an verò solùm interesse quod correspondeat fructibus rei, eisque æquivaleat, non conveniunt. Imò ex affirmantibus posse percipi legale, sunt qui addunt : etiamsi fructus nullos ferat res vendita, quia, v. g., ager venditus manet et manere debet incultus si non vendatur, domus non locata, etc.

In principiis meliùs fundata videtur sententia affirmans percipi non posse nisi interesse fructibus æquivalens. Sententiam tamen contrariam communiorem dicit D. Bouvier, et amplectitur. Controversia finita videtur, si summa principalis et interesse unum constituant venditionis emptionis pretium, quod non sine fundamento verum apparere potest.

RESOLUTIONES PRACTICÆ.

477. Ergò 1°, chirographa certa, liquida, nulli exposita periculo, et facilis solutionis, minori enim nequeunt pretio quàm ferunt. Pretium enim eorum fixum est; nec minori pretio emi possent nisi ob dilatam solutionem, ad quod requireretur titulus mutuo extrinsecus (*a*).

Secùs minori pretio emi possunt ob onera illa mutuo extrinseca, sed non ab ipso debitore qui causa est difficilis solutionis (*b*).

Circà modum transferendi chirographa, vide totum cap. 8, tit. 6, lib. 3 cod. civ.

Nota : Contrà justitiam peccare et ad restitutionem teneri possunt quæstores publici et ii quibus incumbit debita aliorum solvere, si durè cum creditoribus agant (præcipuè si ut adigant eos ad creditum sibi aut amicis vendendum), quia causa esse possunt cur minoris æstimentur chirographa.

Undè concludendum eum qui scit chirographum suum esse difficilis solutionis, non posse illud vendere quantùm fert, quia est merx vitiosa, extrinsecè saltem, et damnosa.

(*a*) Si tamen tanquàm merx, sincerè vendenda proponantur, nec eorum venditio sit mutuum palliatum, idem ac de censibus consignativis, et chirographis quæ vocant *effets de commerce*, dici posse videtur [494, *b*; 498, *c*].

(*b*) Sed nùm ab eo pro quo in particulari essent facilis solutionis? Negant Pontas, P. Thomas, Dens, etc., et suam sententiam probabiliorem habent eo quòd ista chirographa, etsi difficilis solutionis pro generalitate eorum qui ea emerent, habeant tamen pretium certum et legitimum, à quo recedere non licet sine titulo legitimo damni emergentis, lucri cessantis, etc. Porrò respectu hujus particularis, nullus supponitur talis titulus.

Et verò, ait D. Dens, talia chirographa secundum se non habent nisi pretium legitimum seu legale, solùmque habent pretium vulgare minus quandò considerantur conjuncta cuidam periculo aut damno. Verùm pretium illud vulgare non est absolutum, sed respectivum, relatè nempè ad personas qui pericula et difficultates subire debent.

Affirmant alii, Molina, Lessius, Bonacina, quibus adhærent Delugo et Billuart; quia particularis pro quo illa chirographa sunt facilis solutionis, posset viliori pretio emere merces alias vitiosas quæ pro se tales non essent. Et hæc sententia videtur communior; nec enim illa chirographa dubia pretium aliud habent quàm vulgare cui licet unicuique se accommodare.

Reponit D. Dens illa chirographa habere equidem pretium minus vulgare ; quia in dicto casu minoris æstimantur; sed remanere eorum pretium legale cui emptor conformare se debet.

Addit Billuart, quòd si hujusmodi emptio utilior sit alicui in particulari, quàm aliis, hoc non proveniat ex ipsâ re, sed ex industriâ et bonâ fortunâ hujus emptoris, quæ industria et bona fortuna sunt ejus bonum proprium, propter quod res non potest ipsi cariùs vendi quàm aliis, quia bonum ejus venderetur. Aliundè illa specialis industria emptoris est pretio æstimabilis. Ergò potest aliquid exigere pro illâ, sicque rem minori emere pretio.

Respondet D. Dens industriam hanc et bonam fortunam esse pretio æstimabilia in ordine ad acquirenda beneficia, etc., sed ea non posse esse titulum justum ut res viliori pretio ematur quàm valet in se. Observari deberet potiùs æqualitas pretii cum merce.

Ultima hæc D. Dens responsio me multùm movet pro eo quòd spectat ad bonam fortunam, ad amicitiam, v. g., cum debitore, ex quâ fiet ut facilè obtineatur solutio. Quid enim hæc habent per se pretio æstimabile? nonne sunt cum pecuniâ incommensurabilia? Sed quod non distinguunt, aliud rei esse videtur de industriâ speciali media inveniente quæ alii communiter non invenirent. Si sermo sit de hâc industriâ, quæ verè pretio æstimabilis est, utpotè quæ animi laborem requirat, fateor rationes allatas à Billuart quæstionem hanc gravem mihi videri solvere. Si verò absit industria, ità ut casui fortuito præcisè aut amicitiæ debitoris tribuenda sit facilitas solutionis, mihi hærent aquæ, quia tunc pretium legale seu legitimum forsan remanet dùm evanescere videtur, si industriæ tribuenda sit facilitas solutionis.

Confirmatur meum dubium ex dictis ubi de inventione thesaurorum [392, *d*] nempè, emi posse pretio currenti fundum in quo privatâ scientiâ cognoscitur esse thesaurum; non verò, saltem juxtà plures, fundum in quo itidem cognoscuntur esse venæ metallicæ, quia nempè thesaurus non est fundo intrinsecus, ac proindè non auget ejus valorem. E contrà venæ metallicæ intrinsecæ sunt fundo, sunt pars illius et ejus valorem augent, quamvis in communi hominum æstimatione, in ignorantiâ venarum metallicarum fundatâ, non pluris quàm alter æstimetur.

Secùs foret dicendum si omnes cognoscerent venas metallicas, sed unus sciret modum eas extrahendi, posset agrum emere pretio vulgari, sicut hucusque indomabilem equum, quem ipse posset domare.

Notat hìc meritò P. Jos. Ant. chirographa difficilis solutionis, præcisè quia sunt in regione longinquâ, non posse ideò viliori emi pretio ab habitatore illius regionis. Ibi enim facilis sunt solutionis, et valorem retinent in communi incolarum hujus regionis æstimatione fundatum, supposito etiam quòd non habeant pretium legitimum.

---

478. Ergò 2°, tenetur emptor vendentem monere de *pretiositate* rei suæ, saltem si, et licèt solùm implicitè interrogetur; et si non interrogetur, dare pretium ad minùs infimum (*a*).

Si autem uterque rei raræ pretium ignoret, possunt vendere et emere, sorti se committendo (*b*).

(*a*) Nisi tamen emptor solus virtutem ejus cognoscat, quia non debet nocere ei scientia privata (hìc fortè industriæ comparanda), ut non emat pretio currente [392, d]. *Collet.*

(b) Res apud nos viles, sed apud insulares multi æstimatæ, possunt iis vendi pretio currenti, juxtà æstimationem illorum locorum. *Collet.* Et reverà apud eos conducunt ad usus, sicut apud nos, pretiosiores.

479. Ergò 3°, potest quis vendere aut emere pretio vulgari hìc et nunc currente, etsi sciat brevi, vel naturaliter, vel à principe aut magistratu, pretium augendum vel minuendum, quia scientia privata non impedit justitiam actualem pretii (*a*).

Ni tamen fraude aut mendaciis alliciat venditores aut emptores (*b*).

Sed peccare posset contrà charitatem multas vendendo hujus speciei merces non diviti, aut ab eo emendo; undè in gravem conjiceretur necessitatem.

Nota : Non tamen pretio currente vendi posset vinum quod sciretur brevì corrumpendum; quia in eo est prava dispositio intrinseca quæ ejus valorem minuit, quæque aperienda est (*c*).

(*a*) Non desunt tamen qui in hâc materiâ anxientur, quamvis principia admittant. Sic Collet. Juxtà eum non solùm contrà charitatem, sed contrà justitiam peccant qui scientes brevì augendum pecuniæ valorem, magnas summas mutuò accipiunt, quas alioquin non accepissent; quia ex communi hominum sensu pro deceptoribus habentur; et quia, addit, populus à quo pendet pretium naturale, non consentit ità in pretium certo tempore pro mercibus constitutum, ut illud justum esse velit, quandò grave indè sequitur emptoris detrimentum, nisi excuset bona fides quæ hìc est maximè attendenda.

Sed hæc non videntur clarè derogare principiis.

(*b*) Aut longè vehementiùs solito urgeat. *Collet.* Strictè loquendo hoc conforme non est principiis, quia instantiæ præcisè vim non imponunt.

Disputant an senator qui, non ut privatus, sed ut persona publica scit legem augentem vel minuentem pretia fore brevì promulgandam, possit uti scientiâ suà in sui utilitatem? Potest vendere aut emere sicut fecisset ignotâ lege, sed non aliter, inquiunt post Delugo, Molinam et Lessium, P. Gab. Ant., P. Jos. Ant., P. Thomas; sicque aliis pluribus videtur, quia hic senator peccaret contrà debitum officii sui quod est institutum ob bonum commune; à fortiori si ex industriâ legis promulgationem differet, amicos moneret, etc.

Exceptâ ultimâ hìc positâ circumstantiâ, exceptoque quòd dictus senator non possit, ob secretum ad quod tenetur, familiares monere, contrariam sententiam amplectuntur Corduba et Henricus à sancto Ignatio, quos sequi videtur Collet : quia, inquiunt, senator quà talis non est conditionis deterioris quàm cives, et ex officio suo solùm tenetur procurare legis observationem.

Numquid non dici posset senatorem hunc secretum ad quod eum teneri fatetur Collet, sibi, ut personæ privatæ prodere? Senator duplex est persona, publica et privata. Porro ut privatus, seu simplex civis, vendit et emit. Ergò senator quà talis secretum revelavit senatori ut civi, quod injustum videtur. Si hæc ratio nulla sit, in sententiam Collet, etc., inclinor. Sed absit quòd adeò grave peccatum committat senator! Quod si fecerit, quid impedit quin in pœnitentiam ipsi injungatur restitutio?

(c) Ad restitutionem tamen non obligatur, si vinum quale habebat, bonâ fide vendiderit. *Collet.* Sanè quia hæc prava dispositio non spectaretur ut vitium latens; nam si sit vitium latens, restrictio Collet esset contraria principiis et Codici civili. « Le vendeur est tenu des vices cachés, quand même il » ne les auroit pas connus. » (1643). Sed hæc prava vini dispositio difficilè probaretur in judicio, nec probabiliter ut vitium latens haberetur. Securitas commercii videtur exigere ut non spectetur ut vitium [485]. Hæc tamen non tollunt à me omne dubium.

---

480. Ergò 4°, non licet secretò minuere pondus, mensuram, numerum ad augendum pretium et vicissìm.

Nec ad summum saltem (*a*) adducere emptorem, et ad infimum, etc., venditorem, per mendacia, fraudes, admixtiones (*b*), quamvis res emptori meliùs forsan saperet; quia id fit per accidens. Contrahens enim jus habet ne per media injusta adducatur ad pretium, licèt in se justum, quod iis absentibus non dedisset (*c*), foretque restituendum pro defectu pretii prudenter æstimato.

Nec à fortiori infimo pretio vendere et sibi occultè compensare (*d*).

Raró tamen magìs usitata mercatorum mendacia injustitiam pariunt effectivam, nisi ergà quosdam bonæ fidei viros, aut amicos confidentes.

(*a*) Imò, ut videtur, nec ad medium, si ad illud non devenisset emptor. Et ità Collet cum P. Gab. Ant.

(*b*) Tales qui aquam lacti aut vino, vinum album vino inusto (*eau de vie*), ceræ picem aut sebum immiscent [485, *a*].

Secùs, inquiunt Billuart, Dens, P. Ant. à Goritiâ, etc., si parùm aquæ vino extraordinariæ bonitatis, et à fortiori vinum aliud leve immisceatur, modò remaneat æquè bonum ac alia: undè si ex commixtione nullum damnum eveniat emptori (ut si tale vinum non divendatur ad medicinam aut ad diù conservandum), posset diminuto pretio, sine violatione justitiæ commutativæ, res illa mixta vendi uti decisum est à facultate Parisiensi anno 1768, inquit P. Ant. à Goritiâ, modò indifferens sit emptori tale vinum, v. g., aut aliud habere.

Sed nota: Tales admixtiones adhibens, contrà bonam fidem peccat et contrà societatem quæ hæc graviter punit. Sæpè etiam finis ab emptore intentus

deficit, ac proindè, imminuto etiam pretio, peccatur contrà justitiam. Tandem æqualitas non semper adamussim servatur inter rem et pretium. Aliquid enim lucri sæpè saltem injusti, venditor reportare intendit, et de facto reportat.

Damnata est à facultate Parisiensi, tanquàm falsa, bonæ fidei et justitiæ publicæ contraria, hæc propositio : *Licitum est tabernariis vinum aquâ miscere, et agricolis triticum paleis, et communi pretio vendere, dummodò deteriora non reddantur iis quibus communiter vendantur.*

(c) Nulla tamen esset injustitia, inquiunt aliqui, si emptor nollet justum pretium solvere, vel respublica justè taxare. Equidem : sed quàm periculosè venditor constitueret se solum judicem mercis!

(d) Ut nempè emptores sibi procurent. In quo casu et aliis venditoribus tenentur restituere, quia causa sunt injusta cur non tot merces vendant. *Dens.* Id nollem affirmare, quia cùm fraus in eos directa non sit, in communi hominum æstimatione non haberentur forsan ut causæ damnorum quæ alii vendentes patiuntur, utpotè quæ non nisi indirectè ex fraude sequantur.

ARTICULUS IV.

De obligationibus venditoris et emptoris.

« Le vendeur a deux obligations principales, celle de livrer et celle de garantir la chose » (1603).

§ I.

481. Ex obligatione rem tradendi sequitur obligatio eam usque hùc custodiendi ut suam.

Immobilium traditio fit per clavium, si domus sit, et titulorum proprietatis traditionem (1605).

Mobilium verò, traditione eorum reali, vel clavium ædificiorum in quibus sunt, vel solo consensu partium, si instanti contractûs venditionis transferri nequeant, aut jam alio titulo sint in potestate emptoris (1606).

Jurium incorporeorum traditio fit vel per traditionem titulorum, vel per usum quem horum facit emptor de consensu venditoris (1617).

Cætera vide sect. 2, cap. 4, tit. 6, lib. 3. Solùm hìc

Nota præcipuè non teneri venditorem rem tradere, si emptor non solvat pretium, nisi dilationem concesserit (1612).

Sed nequidem in hoc casu, si emptor foro cesserit, vel, etc., à tempore venditionis *soit tombé en état de faillite* vel *en*

état de déconfiture, ità ut immineat venditori pretii perdendi periculum; nisi tamen emptor cautionem det (1613).

Nota iterùm rem tradendam esse in statu in quo est in momento quo venditur;

Et ab hâc die fructus pertinere ad emptorem (1614).

---

482. Obligatio rem tradendi emptorem proprietarium facit, ità ut res ejus periculis maneat ab instanti quo tradi debuit, etsi non fuerit tradita, nisi venditor sit in morâ, in quo casu periculis ejus manet (1138).

In morâ autem constituitur venditor, sive per petitionem juridicam, aut actum alium æquivalentem; sive ex tenore conventionis, cùm fert quòd absque ullo actu, sed per solum termini adventum, venditor erit in morâ (1138).

Vide sect. 2, 3 et 4, cap. 3, tit. 3, lib. 3 cod. civ. de effectibus contractuum in genere.

Nota 1° : Res, non aversione (*non en bloc*), sed ad mensuram, numerum, pondus vendita, remanet periculo venditoris (1585) usquè dùm numerata, ponderata aut mensurata sit. Sed emptor rei traditionem aut indemnitatem (*dommages-intérêts*) exigere potest, si locus sit, casu quo executioni obligatio non mandaretur.

Si constitutum fuerit tempus et terminus in quo res erat mensuranda, ponderanda, etc., et emptor fuerit in morâ, periculum pro ipso est, sicut si, nullo statuto tempore pro rei traditione, constitutus fuerit in morâ modo juridico.

Si uterque sit in morâ, sed unus post alium, periculum pro eo est qui posterior est in morâ, nisi mora prioris causa fuerit moræ posterioris.

Si verò uterque simul, damnum in solum emptorem cadit. A fortiori si noluerit rem accipere

Nota 2° : In omni casu venditor damnari debet ad damna et interesse, si emptor præjudicium patitur ob non factam tempore statuto traditionem (1611) (1139).

Ergò ad compensationem fructuum, quos percepisset emptor, tenetur venditor antè sententiam judicis; quia hoc juris naturalis est.

Imo et emptorem indemnem præstare pro fructibus ab ejus industriâ dependentibus quos non percepit, licèt damnum hoc in judicio probari nequeat; ut si rem aliò, ubi carior sit, translaturus fuisset et venditurus.

§ II.

« La garantie que le vendeur doit à l'acquéreur a deux » objets : le premier est la paisible possession de la chose » vendue; le second les défauts cachés de cette chose ou les » vices rédhibitoires (1625). »

PUNCTUM I.

483. Licèt tempore venditionis nulla circà auctoritatem (*la garantie*) facta fuerit stipulatio, de rei evictione tenetur venditor, et de rei oneribus non declaratis (1626).

Conveniri tamen potest quòd nulla aut solùm talis erit auctoritas (1627).

Sed excipitur quæ veniret ex facto venditori particulari; nulla est enim quævis conventio contraria (1628).

Attamen etiam in casu in quo stipulatum fuisset de non auctoritate, venditor, si emptor evincatur, reddere debet pretium, nisi emptor periculum noverit aut suis periculis emerit (1629).

Tandem venditor tenetur de omnibus damnis quæ ex iniquâ venditione et rei evictione emptori adveniunt.

Vide quoàd cætera totum § 1, sect. 3, cap. 4, tit. 6, lib. 3 cod. civ.

PUNCTUM II.

Ex defectibus, alii (substantiales nempè) contractum redderent nullum, utpotè factum ex errore substantiali.

Alii contractum redderent rescindibilem, quandò nempè ob illos daretur actio redhibitoria, et vocantur redhibitorii, *vices rédhibitoires*;

Alii injustitiam solum pariunt.

Porrò qualiscumque sint speciei, sunt vel occulti, vel manifesti.

Vel reddunt rem emptori inutilem aut noxiam, vel non; vel multùm, vel parùm.

RESOLUTIONES PRACTICÆ.

484. 1[a] : Si defectus mercis parvus sit, et in se et relate ad usum emptoris, rem non reddens periculosam, nec noxiam, nec notabiliter minùs utilem, sive manifestus sit, sive occultus, venditor, qui non interrogatur, non tenetur illum aperire (*a*).

Sed justum sit pretium rei qualis est.

Neque adhùc defectum aperire tenetur ex justitiâ (*b*), si, quamvis notabilis, manifestus sit; præsertìm si emptor peritiæ suæ confidat.

Ast à fortiori tunc minuendum de pretio; ità ut res non pluris vendatur quàm valet cum suo defectu.

Sed defectum aperire debet, et quidem ex justitiâ, si interrogetur; imò omnes defectus, si de omnibus interrogetur aut censeatur interrogari, nisi fortè sint levissimi.

Et nota monendum esse (*c*) emptorem qui ex simplicitate, hebetudine, etc., defectum non advertit, quia quod est intelligenti notum, potest esse occultum simplici, visu debili, etc.

(*a*) Alioquin rueret commercium. Vellet emptor se pretio subtrahere; continuæ forent contentiones inter vendentes et ementes, mercatores non possent vendere minutatim cùm in globo emant res defectuosas sicut integras. Sed factà venditione monendus est emptor, si periculum sit ne aliis noceat revendendo, vel ne diutiùs servet, etc.

Neque etiam tales defectus aperiendi sunt, etsi sciat venditor alium non empturum, si eos cognosceret, nisi sciat emptorem sic restringere suum consensum.

Imò cum gravibus auctoribus crederem venditorem, etiam interrogatum, non teneri aperire defectus levissimos, cùm ad eorum absentiam consensum suum non restringit emptor aut non restringere censendus est. Alioqui timorati, qui soli id facerent, nimis coarctarentur. Potest ergò interrogatus nihil tunc respondere, aut dicere : En rem : eme, si vis. Quod equidem responsioni affirmativæ æquivaleret : si mentiatur, injustus non erit, nisi cùm mendacium in emptione-venditione injustum est.

Nota 1° : Ex verbis aut conjecturis cognosci potest aut verisimiliùs judi-

cari emptorem non consentire in contractum aliter quam positâ conditione quòd res careat tali vitio, quamvis non noxio.

Nota 2° : Si defectus sit gravis in se, et relatè ad omnes usus communes, non videtur rem vendi posse quanti valet pro usu particulari ementis, si per accidens, aut saltem ob ejus industriam, defectus hic illi non noceat, quia in se et relatè ad usus communes res non tanti valet [477, b]. Equidem bos debilis ad aratrum vendi potest lanio quanti valet; sed usus quem faciet lanius est communis.

Et notat D. Deus post divum Thomam rem non esse inutilem emptori, si possit eam eodem pretio facilè et sine ullo gravamine revendere. Tunc esset utilis ad usus communes. Ast id pugnat aliquousquè cum dictis initio præsentis articuli. Cæterùm emptor qui ad usum non communem rem emit, circà hoc interrogabit venditorem.

(b) Nisi error causam det contractui, ut si defectus sit periculosus aut adversetur intentioni emptoris. *P. Gab. Ant., Rebellus, Valentia*, et ait Rebellus, *communiter*.

(c) 1° Ex charitate, sub gravi ex genere suo, cùm res quamvis aliis inutilis prævidetur emptori, qui judicio suo confidens, ex simplicitate decipitur.

2° Ex justitiâ si emptor erret invincibiliter. Sed si erret vincibiliter, juxtà theol. Pict., non est monendus nisi ex charitate, certè quia sibi imputare debet : verùm si peritiæ suæ non confidat, sed ex inadvertentiâ non videat vitium sibi periculosum, vult P. Gab. Ant. post Valentiam et Rebellum, qui sententiam suam dicit communem, emptorem, quamvis non rogantem, de vitio monendum esse antè contractum; quia vitium est occultum pro eo, sicut pro hebete, et error dat causam contractui, quamvis non sit invincibilis, qualem requirunt alii. Quia insuper bona fides in contractibus debita id exigit. Quia tandem emptoris incuria nullum dat jus venditori, et nihilominùs verum est (saltem supponitur) quòd actu nolit emere rem notabiliter defectuosam, etiam imminuto proportionaliter pretio.

Mihi videtur inadvertentiam vincibilem hìc æquiparari posse confidentiæ quam quis habet peritiæ suæ. Nulla tunc à venditore fit injuria emptori, quia est sciens et volens. Scit usum commercii (1642), debebat advertere, aut rogare venditorem : aliundè nullum puto esse emptorem qui sic deceptus conqueratur nisi de seipso. Non est usus quòd tunc restringatur consensus; sed semper reducendum pretium.

---

485. 2ª : Si defectus sit notabilis, rem reddens emptori noxiam aut periculosam, inutilem aut notabiliter minùs utilem, venditor, etiam non interrogatus, illum aperire debet, si occultus sit. Hoc clamat jus naturale et civile (1641) (*a*).

Nec sufficeret minuere pretium, quia emptor intendit principaliter emere rem utilem.

Ergò si venditor cognoscebat vitia rei, præter restitutionem pretii, tenetur de omnibus damnis (1645)

Sed si ea ignorabat, non tenetur, nisi ad restitutionem pretii, et, ex jure saltem civili, ad sumptus per venditio-

nem *causatos* (1646). Vide § 2, sect. 3, cap. 4, tit. 6, lib. 3 cod. civ.

Ergò iterùm si res perierit ex vitiis ipsi intrinsecis quæ jam habebat tempore venditionis, totum pretium refundere debet venditor, et si malâ fide vendiderit, damna omnia reparare, etiam ergà tertias personas ; ut si morbus animalis contagiosus animalia alia infecerit ; undè adhùc damna non parva ex cessatione commercii, etc., adveniunt.

In dubio sæpè existente an reverà et quot damna intulerit venditor, restituat pro ratione dubii.

Nota : Vitia redhibitoria in codice non enumerantur. Aliis sunt legibus, vel arrestis, aut consuetudine pro varietate locorum statuta.

(*a*) Excusari possunt qui merces defectuosas offerunt his quos prævident minus pretium oblaturos esse, modò minuatur pretium. *Collet.*

Cardinalis Delugo, relatis variis in hâc intricatâ materiâ opinionibus, et missis distinctionibus, autumat non deberi ex justitiâ manifestari vitium occultum, quandò emptor neque expressè neque tacitè interrogat et apertè merces exponuntur, non occultando vitia, si res adhùc cum illo vitio occulto digna sit tali pretio et soleat communiter eo emi, licèt huic emptori in particulari deservire nòn debeat ad usum ad quem illam emit, dum non dicit se emere ad talem usum, nisi id significetur ex communi modo quo res emuntur in tali loco. Attamen addit : inito contractu, ex charitate talis emptor foret monendus, si ex suo errore detrimentum ipsi evenire possit.Ità tandem post D. Thomam, Coll. Andeg. si locus sit præsumendi quòd alter emisset : ratio ejus est quòd fortè noluisset dare pretium justum.

Et notant hìc plures non accusari eos qui generaliter laudant merces suas, eas aliquantulùm fucant, et meliores extrinsecè ponunt, quia dolus ille est communis, et communiter notus emptoribus.

Fateor ; sed nùm de omnibus mercibus et de omnibus emptoribus hæc dici possunt ? Sic quandò venditur frumentum, certè non est commune, saltem ubiquè, quamvis non raró fiat, ut melius superponatur ; tunc aliundè cariùs sæpè venderetur. Sic adhuc, qui mercem talem nunquàm emerunt, ignorare possunt quòd melior extrà ponatur.

Absit ergò à fortiori ut excusentur qui, nedùm mercium defectus occultos aperiant (ut panni adusti, corii fragilis, seminum veterum aut corruptorum dùm nova quæruntur, aromatum evanidorum pro recentibus, mercium ex loco in quo sunt viliores pro mercibus loci in quo sunt pretiosiores), occultant apertos ; in aures equi segnis mercurium, v. g., injiciendo, ut generosus appareat ; mammas vaccarum, non residuo lacte (quod communiter fit alicubi saltem) sed variis artibus intumescere faciunt, etc. ; tenebras quærunt, aut tàm confusè defectus declarant, ut potiùs insinuent nullos esse, etc. Supposito tamen quòd ementes realiter decipiantur. Secus enim injustitia non esset nisi affectiva.

486. Eædem sunt reciprocè emptoris obligationes, sed eas multò rariùs violat.

Solvat ergò die ac loco de quibus conventum (1615).

Si non solvat, peti potest contractûs resolutio (1654).

Quin hæc resolutio pleno jure locum habet, si velit venditor, post terminum de quo conventum est pro re accipiendâ (*pour le retirement*), si agatur de venditione mobilium (*de denrées et effets mobiliers*) (1657) (*a*).

(*a*) Hic locus quæstionem instituendi circà transactam, sed in effectibus manentem injustitiam; ad quid nempè teneantur qui debita solverunt cum chartis dictis *assignats*, *mandats*, à 1 januarii 1791 ad 1 julii 1796, tempore Gallicanæ perturbationis?

Alii volunt hanc monetam fuisse legalem, ac proindè excusant, etc. (non eos tamen sanè qui aliam monetam promiserant. Saltem difficilè crederem eo usquè extendi hanc sententiam).

Alii è contrà non legalem dicunt, quia leges quæ monetam talem emiserant, injustæ erant evidenter, ac proindè reparanda esse volunt omnia damna, etc.

Alii distinguunt inter eos qui dictam monetam ipsi ab aliis in solutionem acceperant, et eos qui eam vili pretio (aut merce) sibi comparaverant. Priores eximunt, quia in calamitate publica, licet in alios rejicere onus quod nobis injustè imponitur; posteriores damnant. Hæc sententia à pluribus Episcopis fuit admissa, sed vix aliquatenùs ratione fundata videtur, sed solùm in quàdam convenientià. Igitur nollem eam sequi, nec vellem primæ adhærere : compositionem semper à pœnitentibus exegi, et omnes, qui non fuerunt quasi ridiculè tenaces, eam facilè obtinuerunt, præsertìm si chartæ illæ ipsis ab aliis datæ fuerant. Quòd si creditor in compositionem amicabilem venire recuset, et totum exigat, nescio quid respondeam. Quia papyrus illa nullum valorem præter communem habuisse videtur, nec unquàm valori monetæ æqualem, quandò cum eà commutebatur, sed fortè solùm in initio quandò cum papyro res emebantur; sed si tunc facta sit solutio, faciliùs adhùc et sæpè pro nihilo aut quasi nihilo obtinebitur remissio.

APPENDIX

DE INJUSTITIA IN QUIBUSDAM CONTRACTIBUS VENDITIONI-EMPTIONI AFFINIBUS.

Hi contractus sunt emptio-venditio per proxenetam; contractus retrò venditionis; retractus gentilitius; contractus mohatra; census; assecuratio.

§ I.

De injustitiâ in venditione-emptione per proxenetam.

487. PROXENETA (in genere, *courtier*, *entremetteur*) sumitur hìc pro eo cui aliquid vendendum aut emendum committitur.

Is porro, sive gratìs, sive cum stipendio agat, non potest, seclusâ expressâ aut tacitâ conventione cum suo committente, pretii quo vendit excessum, aut quo emit, defectum sibi retinere; quia totum pretium rei venditæ, et res empta toto pretio succedit. Aliundè quo titulo retineret (*a*)?

Excipe si rem vendendam melioraverit (*b*).

Non nisi cautè ergò et vix unquàm permittendum institoribus (*commissionnaires*) et similibus, ut aliquid accipiant à mercatoribus apud quos emunt, quia sæpissimè à committentibus solvuntur talia munera. Mercatores enim dicentes se minori vendere pretio, defectumque pretii, quod ab aliis emptoribus perciperent, se dare institoribus, eos decipiunt non rarò saltem, ut eos ad officinas suas attrahant. Sæpè sæpiùs sic affecti sunt ut eodem pretio cuilibet venienti venderent, si plùs dare nollet (*c*).

(*a*) Ordinariè, quandò dominus pretium designat, suam intentionem expressè manifestat; si non expressè eam manifestet, ex circumstantiis cognoscenda. Sic tacitè excessum, etc., pretii concedere censetur dominus, si nullum stipendium assignet nec det posteà pro labore et industriâ, etsi proxeneta neque famulus sit, neque amicus qui servire gratìs meritò præsumatur. Tunc præsumitur pro stipendio assignare quod ultrà pretium à se determinatum proxeneta inveniet; nisi saltem laborem et industriam excedat. Ità communiter docent. Sed observant multùm cavendum ne via aperiatur injustis compensationibus, tutiusque esse pretium laboris, etc., petere. *Collet*. Videtur petendum, si excessus pretii laboris valorem excedat.

Hic notat P. Gab. Ant. eum qui alterius negotium suscipit nihil petendo, censeri velle operam gratìs præstare.

Exciperem, saltem aliquandò eos qui arte commissionis vivunt, nec tamen stipendium petere audent.

Ast potestne proxeneta cui dominus vel vendendæ pretium determinavit medium aut infimum (10, v. g. 9), rem pro se emere, et summo pretio revendere (nempè 11). Talis non est ordinariè intentio dominorum, sed ut proxenetæ cariùs vendant, si possint. Si tamen talis sit hæc intentio ut primo pretium medium offerenti res vendatur, proxeneta nullam facit injuriam emendo pro se hoc pretio, modò rei subeat periculum; et si nedùm

carius revendat, revendat vilius, pretium tamen assignatum det domino; quæ rara sunt in praxi. Si, quod rarum adhuc, intentio domini sit absolutè pretium determinare, tunc non dubium quin rem eo pretio, etiam antequàm vendendam proponat proxeneta, sibi adjudicare possit suis periculis et summo pretio revendere. Item, si, adhibitâ diligentiâ, non plùs invenerit.

(b) Aut extraordinariâ usus sit diligentiâ qualem non debebat domino, v. g., si rem Parisiis vendendam ubi pro eâ non nisi 100 invenisset, aliò periculis suis transtulerit ubi vendidit 150. Potest quod meliorationi, industriæ et labori majori correspondet, sibi retinere. Ità meritò Collet.

(c) Exciperem sæpè si agatur de munusculis, quibusdam esculentis, v. g.; sed et hìc plura jam facta excusari, non facienda consuli possunt sæpiùs. Videtur tamen mercatorem posse, absolutè loquendo, cedere de suo lucro alicui proxenetæ, ut eum ad officinam suam attrahat, modò sit reverà dispositus alteri cuilibet, pretio superiori vendere, et reapsè sic semper aut ordinariè vendat. Videtur ibi donatio liberalis partis lucri. Igitur multùm interest ut confessarius modum agendi, æquitatemque mercatoris cognoscat. Difficilè enim poterit aliter judicare, cùm proxeneta sibi illudere facilè queat, vel nimis fidere assertionibus mercatoris aut mentientis aut etiam sibi ipsi illudentis; vel eum non sat urgere, vel alios non adire mercatores qui minori fortè venderent pretio. *Delugo.*

Hìc præsertìm scrutanda sartorum conscientia. Imò juxtà D. Dens, etc., nihil possunt sibi retinere pro labore et tempore deperdito in emendo; vel quia sese offerunt ad emendum, vel quia, ob primas partes, sat compensati censentur. Nollem tamen dicere cum aliquibus quòd ad id ex officio teneantur, nec statìm damnarem conscientiæ timoratæ sartorem qui se non offert, sed rogatus vadit ad officinam mercatoris, modò quid parvi solùm et tempori perdito proportionati sibi retineat, nec in pretio pro confectione vestium excedat; quia omnis labor stipendio dignus est. Aliter quidam sartores magnam temporis partem deperderent. Et excusarem munuscula ab mercatoribus recepta, ea tamen compensando pro tempore deperdito, si pro hoc data, quod non ordinariè; sed cave in praxi.

Nota : excusantur famuli nonnulli et divitum ministri (*intendants*) qui in venditionibus accipiunt quod vocant *pot de vin*, modò domini, ut sæpè saltem et forsan ordinariè, cognoscant et consentiant. Sed absit ut excusentur qui, ultrà consuetudinem accipiunt, et sæpè ut quibusdam emptoribus aut conductoribus faveant in detrimentum dominorum qui pretium minus recipiunt. In quo casu et dominos indemnes præstare debent, et summam teneri possunt restituere iis à quibus eam acceperunt, utpotè datam ad opus malum [428, *a*]; nisi isti majus pretium dataturi fuissent ad rem habendam, aut infrà pretium justum eam obtinuerint; tunc enim cùm hæc summa censeatur pars injusti pretii quo rem obtinuerunt, videtur ministrum iniquum posse illam restituere domino in partem saltem indemnisationis, monendo tamen emptores aut conductores quibus favit, ut non bis idem restituant.

§ II.

De injustitiâ in contractu retrovenditionis (*reméré*).

488. Hic contractus est pactum quo venditor sibi reservat redimere rem venditam, restituendo pretium principale, sumptus contractûs, reparationes necessarias et eas quibus auctus valor fundi (1659, 1673).

Hæc facultas stipulari nequit pro termino annos quinque excedente (1660). Vide totam sect. 1, cap. 6, tit. 6, lib. 3 cod. civ.

Justus est hic contractus, modò non viliori pretio res solvatur ob onus emptori impositum (*a*), sitque vera voluntas emendi et vendendi, ità ut emptor fiat dominus rei venditæ; alioquin non esset nisi mutuum palliatum; quod maximè attendendum et ex circumstantiis dijudicandum.

Facultas pro utroque resiliendi à lege non permittitur. Aliundè facilè indicaret ad minus intentionem usurariam, præcipuè si solus emptor resilire posset.

Nota : 1° si res cum suis pendentibus fuerit vendita ; cum eisdem retrahi debet, seclusâ justâ conventione contrariâ.

2° Si pactum retrovendendi per actum posteriorem fuerit contractui adjectum, aut alteri quàm venditori concessa fuerit retrahendi facultas, bis solvendi fore videntur sumptus inscriptionis (*frais, droits d'enregistrement*), si retrovenditio de facto exigatur.

(*a*) Ob onus retrovendendi, minui potest pretium, juxtà quosdam, de tertiâ parte, de quartâ, juxtà alios. Hoc pendere videtur ex circumstantiis.

Nota : Speculativè conveniri potest, quòd in retrovenditione majus quàm datum est reddatur pretium. Sed hoc valdè periculosum, nec probabiliùs judices permitterent. *D. Bouvier.*

Nota iterùm : Contractui retrovenditionis aliquatenùs similes sunt alii parùm usitati.

Primus : Pactum legis commissoriæ quo quis vendit eâ lege, ut, nisi emptor solvat intra certum tempus, res erit inempta si velit venditor.

Alter : Pactum addictionis ad diem quo reservat venditor quòd si alius, intrà tempus determinatum, meliorem offerat conditionem, res inempta itidem erit.

Sed tunc non præbeatur emptor fictus, et si casus eveniat ut alius plus offerat, fructus rei ad venditorem pertinebunt, nisi intenderint contrahentes quòd tunc contractus rescinderetur *Collet.*

§ III.

De injustitiâ in retractu gentilitio.

489. Hic contractus (*le retrait lignager*) locum ampliùs non habet; sed illi simile est jus quod habet cohæres retrahendi partem hæreditariam antè divisionem ab cohærede venditam.

Ast non nisi pro se retrahere potest.

Et injusti forent venditor et emptor qui fraude, v. g., pretium majus quàm de facto sit, in contractûs instrumento enunciando, retractum impedirent; itâ ut excessum hunc retrahenti restituere deberet emptor, seu potiùs illum non recipere; et si ob fraudem hanc vel aliam cohæres retrahere non potuerit, eum indemnem præstare tenentur vendens et emens.

§ IV.

De injustitiâ contractûs mohatra.

490. Fit hic contractus cùm quis pecuniâ indigens emit creditò merces pretio summo, et easdem statìm eidem venditori actu solventi cedit pretio infimo.

Includit ordinariè pactum saltem implicitum retroemptionis, estque mutuum palliatum.

Potest tamen fieri absque tali pacto.

§ V.

De injustitiâ in monopolio.

491. Monopolium, strictè dictum (*a*), est machinatio quâ unus facit, aut plures inter se conveniunt,

Vel ut soli certas merces ejusdem generis vendant, sive eas omnes aut ferè omnes coemendo, sive impediendo injustè ne aliæ ejusdem itidem generis advehantur (*b*);

Vel ut merces non vendant aut emant nisi certo quod fixerint pretio.

Monopolis ergò non sunt annumerandi qui præcisè mer-

ces suas, saltem nondùm expositas, in illud servant tempus quo cariores fore præsumuntur (*c*).

Nec qui solùm sibi invicem consilium dant circà pretium quo merces vendent aut ement; vel tantummodò precibus efficiunt ne mercium copia in civitatem invehatur, ut suas commodiùs, imò cariùs vendant; licèt peccare possint contrà charitatem et bonum commune (*d*).

Benè verò artifices qui conveniunt se nonnisi filios aut nepotes artem suam edocturos; operas suas non nisi tali pretio (*e*) venditituros, aut opera ab aliis inchoata non perfecturos.

(*a*) Nam monopolium late dictum, seu privilegium à principe alicui concessum, ut solus certum genus mercium vendat, si causis justis innitatur, licitum est.

Et restituere tenentur qui illud violârunt. *D. Bouvier.*

(*b*) V. g., falsos spargendo rumores merces ab hostibus captas, submersas naves, ineundum bellum.

Item cùm communi conspiratione merces suas subtrahunt.

Et qui in nundinis pretium fictum offerunt amicis coràm emptoribus, ut hi majus dent; aut minus venditoribus offerunt sæpè successivè, et semper minus, ut eos disturbent et deterreant circà currens nundinarum pretium.

(*c*) Aut etiam alias emunt: sed si caritatem arte hac inducant, peccant saltem contrà charitatem.

(*d*) Imò contrà justitiam strictam, si efficiant ut pretium ascendat ultrà summum quod alioquin merces convenienter haberent. *Dens.*

(*e*) Vide infrà (*c*).

---

492. Monopolium est non solùm contrà charitatem et sæpè contrà justitiam legalem, sed et contrà justitiam strictè dictam.

1° Quidem saltem probabiliùs (*a*), cùm coemuntur omnes ferè ejusdem generis merces ut, etc., quia non vendunt dein pretio justo, sed pretio per se aucto, et quod jus non habent augendi (*b*).

2° Qui de pretio conveniunt, saltem si extrà latitudinem justi, ob eamdem rationem (*c*).

3° Qui vi aut fraude impediunt ne merces advehantur, quia populus jus habet ne his mediis cogatur emere pluris (*d*).

(*a*) Contraria enim sententia non improbabilis videtur Molinæ, et Lessio, qui tamen fatetur præsentem esse valdè probabilem. Ratio Lessii est quòd

qui coemerunt, emerint pretio justo. Hoc autem, etsi indè exurgat caritas, non est contrà justitiam strictam. Addit eos contrà hanc justitiam non peccare, supprimendo aut non vendendo merces, quia respublica jus non habet ut non vendantur pretio currenti, etsi aucto per monopolium, sicut, ait, alii possunt vendere hoc pretio. Sed contrà justitiam particularem peccassent, si arbitratio pretii, spectatis circumstantiis temporis quo vendunt, fuisset irrationabilis.

(*b*) Sic Sylvius, Delugo, Collet, Billuart, Dens, etc. Addunt hi duo ultimi : quia supponitur sciri merces sufficientes detineri à monopolis; si enim ignoraretur hoc, fortè non esset injustitia, quia abundantia mercium non cognita non influit in pretium vulgare, quod nititur communi cognitione. Alii contrarium opinantur, quia isti causa sunt quòd mercibus pretium justo majus imponatur.

Casus pro mercibus communibus non videtur frequens. Quidquid sit, non clarè injustitiâ careret, etiam in factâ suppositione, istorum mercatorum agendi ratio.

(*c*) Si autem non vendant ultrà summum, quod sine monopolio extitisset; aut si non emant infrà infimum, non conveniunt auctores quòd peccent contrà justitiam strictam. Negant Sylvius, Molina, Lessius, Billuart, etc.; quia hujusmodi pretium est justum, nisi, ait Billuart, fiat sub hastâ; quia cùm per licitantes pretium constituatur, difficile est scire quodnam fuisset, secluso monopolio. Quòd autem pretium illud justum sit, indè concludunt quòd non sit contrà justitiam, seclusis vi, fraude, etc. [475, *d*], persuadere alicui ut non vendat aut emat nisi tali pretio justo etsi summo aut infimo, sicut non est contrà justitiam alicui persuadere ne donet.

Affirmant è contrà Soto, Navarrus, Medina, Sylvester, P. Gab. Ant., Collet, Thomas; quia per quamdam vim mercatores isti adducunt ultrà, aut deducunt infrà pretium de quo conventum fuisset. Et quia respublica videtur habere jus ne fiant ejusmodi monopolia in damnum ipsius. Excipit Collet, si emptores, et vicissim, eamdem conventionem fecissent, quia monopolium monopolio repellere licet.

Alii auctores quasi ancipites remanent : et ego, inclinans tamen versùs sententiam negantem. Sed quid impedit quin tales monopolæ obligentur ad aliquid pro ratione dubii?

(*d*) Ergò hi monopolæ restituere tenentur non solùm populo, sed juxtà Collet, Billuart, etc., aliis mercatoribus: quia jus habent ne injustis modis impediantur à simili mercaturâ et lucro, merces suas invehendo.

Restitutio autem secundùm prudentûm æstimationem fieri debet, et quod spectat ad cives, reducendo contractus ad pretium medium, ut censent aliqui. *Collet.*

Nota : Qui non sunt participes monopolii, non possunt probabiliùs merces vendere pretio per monopolium introducto, si saltem sit suprà rigorosum, præsertìm si sciatur merces adesse. Undè restituendum, etsi bonâ fide pretium hoc fuerit adoptatum; quia injustum est, nisi tamen merces ob monopolium rariores factæ sint, inquit Collet; et ità communiter.

Sed vix sciri potest an pretium fuerit per monopolium introductum.

§ VI.

De injustitiâ in censu.

493. Census est contractus quo jus acquiritur pensionem exigendi annuam ex alienâ re vel personâ.

Qui jus acquirit, creditor; qui cedit, debitor; pensio verò reditus (*arrérages*) vocatur.

Census alius est reservativus (*rente foncière*); cum quis nempè plenum fundi alicujus dominium tradit alteri; reservatâ annuâ pensione, sive in pecuniâ sive in fructibus (*a*).

Alius consignativus; cùm quis pro certâ summâ emit ab altero jus annuam pensionem percipiendi. Vocatur *constitution de rente.* Hic constitui potest in perpetuum vel ad vitam (1910). Vide ab isto articulo usquè ad finem cap. 3, tit. 10, lib. 3; et pro censu vitalitio, cap. 2, tit. 12, lib. 3.

Nota tamen specialiter 1°, art. 1676 : « La rente viagère » peut être constituée au taux qu'il plaît aux parties con- » tractantes de fixer. » In hoc solùm sensu esse intelligendum quòd non detur pro læsione actio in foro externo; nam in foro interno servanda est æqualitas inter summam et pensionem, secundùm judicium prudentûm, attentis ætate, complexione, etc., personæ super cujus caput constituitur (*b*).

2° Quod quamvis census consignativus non sit mutuum, codex civilis illum tamen comprehendat sub genere mutui cum interesse (1909); ac proindè servandam esse taxam quam determinat.

Duplex autem *interesse* designat, legale, et conventionale, quod potest excedere legale quoties lex non prohibet (1907).

Interesse autem, seu pensio quæ olìm erat 10, 12 pro 100, reductum fuerat ad 5 pro 100, et tale fuit usquè ad juris antiqui gallicani mutationem. Ex tunc ergò conventionale fuit licitum, modò tamen moderatum; sed juris antiqui dispositio renovata fuit anno 1807, ità ut ex tunc *interesse* conventionale 5 pro 100 excedere non posse videatur.

Census consignativus alius temporaneus, qui ad tempus

determinatum sine aleâ constituitur. Verùm ordinariè est mutuum palliatum, si principale reddi debeat.

Alius perpetuus qui solâ redemptione extingui potest, et ex jure novo est essentialiter redimibilis (1911) ex parte venditoris.

Non ex partè emptoris (1909), exceptis quibusdam casibus (1912).

Tandem alius realis qui in re frugiferâ quam ubique sequitur donec redimatur, vel res destruatur;

Alius personalis qui industriâ et labore personæ quam immediatè afficit;

Et alius mixtus qui in personâ simul et in illius bonis fundatur.

(a) Census reservativi fiduciarii (*entachés de féodalité*) à cœtu nationali primò redimibiles solùm declarati, aboliti tandem fuere. Hocque, generatìm saltem acceptum, summa fuit injustitia, inquit D. Toullier, et si eam reparare non sinat novus rerum ordo, non ideò, inquit doctus hic novi juris interpres, cessat naturalis obligatio illos census solvendi. Imò eam obligationem agnovisse videntur curia Grationopolitana et suprema Parisiensis, in judiciis quæ citat idem, tomo primo, ubi de obligationibus naturalibus.

Sed usquè dùm circà hæc ab Episcopis sit aliquid decisum, prudentiæ numquid esset è bonâ fide liberare debitores, nisi fortè eos quorum census sat recentes sunt ut eorum originem legitimam ignorare nequeant?

Nota : Ubi sunt adhùc census reservativi, committi possunt injustitiæ, 1° à censualistis (les maîtres ou seigneurs), si exigant quod non est sibi censûs constitutione debitum, v. gr., quòd frumentum sumptibus censuariorum advehatur; aut si frumentum annis præcedentibus debitum, tempore aut pretio caritatis exigant, nisi hùc usquè illud servaturi fuissent, si tempore debito tradidissent censuarii.

2° A censuariis, si fraudent in qualitate aut quantitate frugum debitarum.

(b) A 8 ad 15 pro 100. *D. Bouvier*. Ad 10 in 100 super vitâ hominis valetudinarii aut decrepiti. *Dens*. Ad 10 pro 100 apud nos constituitur super vitâ ad senium vergentis. Errare videtur D. Dens.

---

494. Census consignativus licitus est, si ex parte solum censuarii redimibilis (*a*); quia non ipsi redditus annui, qui tandem summam pro eis datam adæquarent et superarent, emuntur; sed jus ad illos; ità ut sit hìc verus contractus emptionis-venditionis, ubi merx, jus nempè ad redditus, in communi hominum æstimatione, aut à lege, æquatur cum pretio, summâ nempè principali (*b*).

Nota : 1° ubi lex concedit debitori facultatem retinendi

partem redditûs, nequit creditor illam non cedere, nisi gratis et liberaliter data censeatur.

2° Ubi leges non obstant, potest census novus constitui ex redditibus non solutis.

(a) Census irredimibilis videtur ex naturâ rei licitus, ubi leges non obstant.

Ast census ex utrâque parte et à fortiori ex parte solius emptoris redimibilis, in praxi censendus est mutuum palliatum, etsi lege non vetaretur.

Nota : Multi veteres ut illicitum habuerunt et S. Pius V vetuit censum personalem. Sed ex se licitus habetur et in usu est ubi aut non recepta aut usu abolita est constitutio S. Pii V, *Cùm onus*. Persona enim non minus quàm res frugifera videtur.

(b) Hinc ubi redditus censûs consignativi lege taxatus est, injustum multis videtur illum infrà emere aut redimere, seclusis tituli lucri cessantis, aut damni emergentis, etc., ut, v. g., si census sit caducus, difficilis solutionis. Nam census habet pretium legale, seu legitimum.

Nec dici potest venditorem liberè gratis remittere de pretio. Per illam enim remissionem emere censetur suum commodum. Summa quam non accipit est illius commodi pretium. Emptor autem censûs non potest vendere hoc commodum, cùm ad se non pertineat.

Cùm in lege anni 1807 quæ *interesse* pecuniæ mutuò datæ ad 5 pro 100 reduxit in materiâ civili [466, *b*], non agatur nisi de creatione, non de redemptione censûs; concludit D. Bouvier legem hanc non obstare quin census consignativus sit merx pretium habens vulgare, ac proindè quin redimi possit minori pretio quàm fuerit constitutus; modò absit simulatio voluntatis continuandi censum; non abutatur creditor indigentiâ censuarii; patiatur redimendo aliquod detrimentum; malit pecuniam suam habere, etc.

§ VII.

De injustitiâ in assecuratione.

495. Assecuratio est contractus quo quis pro certo pretio suscipit in se periculum alicujus rei; ut navis contrà tempestates hostesve, domûs contrà incendium.

Assecuratio est obligatio principalis, et sic differt à fidejussione.

Ut autem justa sit, debet esse libera, non ficta et pretio periculo proportionato, v. g., juxtà leges aut consuetudines platearum commercii.

Et necesse est ut assecurator non sciat rem sine periculo esse, nec dominus eam jam periisse. Imò ex jure contractus hic deficit deficiente ejus materiâ, ut si res jam perierit; nam tunc fit sine causâ, nisi resolvatur in sponsionem (1131)(*a*).

Tandem assecurator debet habere undè solvat; alioquin nullus esset contractus, et restituere teneretur, quamvis rès periculo evaderet (*b*).

(*a*) Assecurans non potest consequi pretium integrum assecurationis, si naves totum iter non fecerint, ejusque integrale periculum non subierint, quia assecurationis causa unicè consistit in periculo itineris. *P. Ant. à Goritiâ.*

(*b*) Nequidem pretium correspondens parti rei, pro quâ assecurandâ sat habebat, accipere potest. *Idem.*

APPENDICULA

De negotiatione.

496. Negotiatio est actio quâ quis merces sibi comparat, ut eas immutatas cum lucro vendat aut permutet.

Licita est in genere, sed periculosa et sub mortali ex genere suo prohibita clericis et monachis variis canonibus, quamvis per alios illam facerent, quod vetuit Benedictus XIV in litteris apostolicis 26 februarii 1741, et Clemens XIII in bullâ *Quàm primum*, 1759.

Si familiæ necessitas exigat, dispensationem obtineant (*a*).

(*a*) Unus aut alter actus negotiationem non constitueret. Attendi debet insuper an clericus vel monachus negotiationi vacans lucri cupiditate moveatur et an propter curas temporales statûs munia negligat. Hæc enim duo à clericis removere intendit Ecclesia. Tunc autem mortaliter peccare videtur, si negotiationi personaliter soleat insistere vel aliis negotiis sæcularibus. *Billuart.*

Sed neque venialiter, si negotiis sæcularibus immisceat se clericus in sublevationem pauperum, pupillorum; aut si àliter res familiæ perituræ sint.

Et excusandus videtur clericus aut monachus qui recreationis causâ, aut ut propriæ inopiæ subveniat, artem aliquam honestam exercet, quia hoc non est inhiare lucrum. *Dens.*

SECTIO III.

De injustitiâ in cambio.

497. Cambium est permutatio pecuniæ cum pecuniâ cum lucro campsoris.

Si pecunia præsens cum præsenti diversæ rationis cambietur, cambium vocatur minutum seu manuale,

Locale verò, seu per litteras, si pecunia præsens cum distanti, aut è contrà.

Cambium aliud est reale, quo verè;

Et aliud fictum, seu siccum, quo simulatè fit permutatio (*a*).

(*a*) Cùm, v. gr., campsarius Lugduni fingit se summam solvendam habere Parisiis, et statim eam accipit Lugduni, campsore sciente fictionem omnem; aut cùm campsor (*le banquier*) ipsemet fingit cambium, dùm tamen campsarius nec in alio loco, nec determinatæ speciei pecuniam sibi numerari petat.

Tale etiam videtur cambium quod alii Lugdunense, Francofordiense alii vocant, quo quis dat hodiè pecuniam præsentem, ut post certum tempus, v. g., ad futuras tales nundinas, eam cum lucro tempori proportionato recipiat.

498. Cambium fictum verum est mutuum contractu cambii velatum, cui consequenter applicanda quæ dicta de mutuo.

Cambium verò reale, sive manuale, sive locale, sicut perutile, ità et licitum est. Nàm in officio campsoris multi sunt tituli lucri justi, expensæ, labor, pericula, etc. Sed

1° Nihil lucri percipiatur præcisè ob dilationem temporis.

2° Lucrum justum sit, quale (si quod sit) lege taxatum, aut quale consuetudine et judicio prudentûm, pensatis periculis viarum, distantiæ, aliisque circumstantiis, determinatum.

Nec distinguere opus est an publicâ, an privatâ auctoritate officium campsoris quis susceperit, nisi lex vetet ne privatâ (*a*); notando tamen quòd campsor auctoritate publicâ exercens minoris pretii possit habere titulos (*b*).

Sed non sine tentationibus lucri injusti cambii officium sæpè exercetur; quin et cum injustitiâ reali, si, v. g., campsor, qui potens immediatè cambire, correspondentes adhibeat medios; augetur enim tunc inutiliter pretium cambii (*c*).

(*a*) Si princeps vetuerit, volunt aliqui contractum cambii esse nullum, alii de hoc dubitant. Alii solùm peccatum et quidem veniale tantum credunt cambium exercere contrà legem. Et hìc cum Daelman notat D. Dens posse aliquem auctarium exigere pro permutatione unius specie cum aliâ, v. g., monetæ germanicæ; quia præter pretium legitimum, una species haberet

suprà aliam pretium vulgare in ratione mercis, principe sciente et non contradicente.

Et ex eò quòd quis susceperit officium campsoris, concludunt sat communiter eum posse lucrum percipere cambii, etsi in casu particulari æquè utile foret ipsi, imò et commodiùs habere hìc aut alibi pecuniam quàm non habere; quia id fit per accidens et ejus industriæ est imputandum. Dici posset eum semper habere alios titulos præter lucrum quod nunc non cessat v. g., titulos necessitatis sibi pecunias procurandi, habendi correspondentes, etc. [477, *b*].

Ast hæc dici videntur non posse de eo qui per accidens solùm cambit. Imò eum nullum ex illo cambio lucrum percipere posse videtur, si nullum alium habeat titulum præter cambium; quia recipit quamtum dat. Ità Billuard, qui idem dicit de eo qui habet certam pecuniæ speciem, quæ secundùm se neque est pretiosior, neque ipsi utilior, benè tamen alteri, (quod verum crederem in casu particulari, sed non in circumstantiis ubi una species vulgò pluris æstimatur quàm altera, sciente et non contradicente principe; quia, v. g., purior materia, antiquiora numismata, major commoditas, etc.)

Attamen Salmanticenses volunt eum qui per accidens solùm campsorem agit sine labore et incommodo posse lucrum ex cambio percipere; quia commoditas illius pecuniæ præ alterà morali judicio est pretio æstimabilis, et in cambio locali intervenit virtualis pecuniarum translatio quam nemo tenetur alteri gratis præstare. Faciliùs in sententiam Billuart propenderem, quia cambium præcisè non est titulus lucri. Videtur servanda in eo æqualitas sicut in mutuo. Saltem, si veri sint tituli à Salmanticensibus allegati, lucrum non posset percipi nisi iis proportionatum, ac proindè valdè parvum.

(*b*) Ordinariè minus est pretium cambii. *P. Ant. à Goritiâ.*

(*c*) Famulus, etc., qui pro domino solvit, potest magnas species in parvas mutare et lucrum percipere, nisi dominus grandiores dare debeat, aut famulo mandatum dederit expressum vel tacitum ut easdem monetas tradat, vel ut domini nomine cambium instituat. *Delugo,* etc.

Sed non posset mutare species quas ad herum suum à debitore datas reportat; quia ad herum pertinent, ac proindè et domini foret lucrum quod famulus perciperet ex cambio. *P. Ant. à Gor.* Non video discrimen essentiale inter duos casus, si suo nomine cambiat. Idem enim videtur esse ac si sine consensu domini mutuo ab eo pecuniam accipiat secretò, imò furetur ad alios contractus ineundos, ad ludendum, etc. Peccavit equidem contrà justitiam, sed sufficere videtur ut restituat quod accepit, si dominus nihil damni passus sit. Lucrum est fructus industriæ. Hæc fermè Delugo pro priori casu quem solum discutit.

Et hæc dicenda de famulo qui accepit pecuniam ad aliquid emendum, imò de depositario, de ministro publico vel privato, de tutore pecunias habente minorennis, etc.

Nota : Hic locus examinandi an licita sit negotiatio chirographorum commercii *(Lettres de change)*.

Sic fiunt illa chirographa : regulariter tres personæ (aliquandò quatuor, quinque, etc.), in illis interveniunt. 1° Ille qui opus habet pecuniam suam ab uno loco in alium transferendi, eamque solvit *bancario* ut eam transferat : vocatur *le donneur.* 2° Qui eam accipit et onus illam transferendi suscipit : *le banquier*, vel *le tireur*. Si hic curare debeat ut summa tradatur non ipsi donatori sed alteri, iste aliter vocatur *porteur d'ordre,* vel simpliciter *le*

porteur. 3° Ille ad quem litteræ à *bancario* diriguntur, et vocatur *le correspondant du banquier, son commis, son créancier;* quia pro *bancario* solvit summam in loco ad quem virtualiter transfertur.

Ad minùs tres illæ personæ necessariæ sunt; sed, ut dictum est, aliquandò quarta intervenit, nempè *le porteur d'ordre,* qui non est semper donator, *le, donneur,* sed alia persona in cujus favorem iste superscribit (*endosse*) chirographum (*la lettre de change*) datque jussum (*donne ordre*) solutionem ejus recipiendi (*de payer à l'ordre de*, etc.)

Si illa quarta persona jussum suum ad quintam transtulerit, et hæc ad sextam, etc., vocatur *endosseur;* et sic omnes per quorum manus litteræ transeunt, ità ut latoris nomen nunquàm detur nisi, cùm jussum suum (*son ordre*) ad nullum transtulerit, semper remansit proprietarius chirographi, et ejus valorem per manus suas accipit. Alii vocantur superscriptores (*endosseurs*).

Juxtà Collatorem Andegavensem, ex quo hæc excerpimus, usura est à *bancario* sumere litteras cambii non pro fine ad quem ordinatæ sunt, sed ut cum lucro, tempore opportuno, revendantur majori; nam illa chirographa non sunt merx ex quâ lucrum percipi possit, eo ipso quòd liquida sunt et solida. Sunt pecunia papyro repræsentata. Aliundè leges, saltem veteres, *bancarii* quidem, non latoris lucro patrocinantur. Undè si donator, qui lator fit, qui sincerè illa chirographa à *bancario* accepit, iis casu aliquo ampliùs non indigeat, aut quo habuit pretio ea cedere debet, aut saltem pretio cambii currente, quamvis majori, quia et minori, si tale esset, cedere cogeretur.

Pariter qui à *bancario* hæc chirographa accipit, non potest de ejus lucro legitimo minuere, nec minorem, quam ferunt, summam dare, ob dilatam solutionem (*ne peut escompter*); ibi enim est mutuum palliatum.

Excipe, in his casibus, si adsint tituli lucri cessantis, etc. Imò licet in illorum chirographorum superscriptione ad valendum, aliquid exigere pro assecuratione. Qui enim chirographa illa sic superscribit (*met son aval*), illa assecurat, nec est fidejussor. Fidejussor enim fide jubet pro debitore. E contrà hic superscriptor assecurat pro creditore. Sed adsit verum periculum. *Rit. Teloniense* [518, *a*].

Hæc superscriptio differt ab eâ quæ vocatur *endossement.*

Negotiationis chirographorum commercii injustitia aut justitia mihi videtur dijudicanda ex principiis positis ubi de chyrographorum ordinariorum emptione-venditione, et quæ hìc enunciata sunt de cambio [477]. Attamen si publicè exponantur vendenda, quamvis eorum solutio certa sit et facilis, alii contrà multos dicunt quòd emi possint pretio currenti, et itidem pretio currenti posteà majori revendi, quamvis pretium quo emuntur, minus sit quàm quod ferunt; quia, inquiunt, sunt merx, etiamsi ad aliam urbem non sint cum periculo transferenda. Aliundè scienti et volenti non fit injuria.

Sed hæc non videntur principiis hìc usquè enunciatis conformia. Resumo ergò : illa chirographa non solùm ob periculum augentur vel minuuntur in pretio, sed et ob anticipatam, aut dilatam solutionem. Ergò, seclusis titulis lucri cessantis, damni emergentis, etc., quos forsan ordinariè habent mercatores, lucrum in negotiatione chirographorum commercii perciperetur partim vi mutui. Sic auctor tractatûs *de jure et justitiâ.*

SECTIO IV.

De injustitiâ in contractu societatis, præsertìm negotiationis causâ.

499. Societas est contractus duorum vel plurium aliquid in commune contribuentium ad proportionatam lucri vel damni participationem (1832).

Scripto, pro foro externo, redigi debet, si objectum ejus excedat 150 francos. Vide cap. 1, tit. 9, lib. 3.

Fieri potest triplici modo :

1° Cùm singuli pecuniam, seu rem aliam pretio æstimabilem, industriam insuper et laborem conferunt.

2° Cùm singuli aliquid diversi conferunt, ut unus pecuniam aut rem, alter industriam, et tertius laborem.

3° Cùm unus unum ex tribus prædictis, et alter duo alia confert, aut unus rem, alter industriam, et tertius industriam et laborem (*a*).

Societas est universalis cùm bona omnia præsentia, vel lucra omnia comprehendit.

Particularis verò, cùm non nisi res determinatas, vel eorum usum, vel fructus ex eis percipiendos.

Item cùm plures sociantur ad opus aliquod determinatum, vel artem exercendam. Vide ibidem cap. 2 et 3 de reciprocis sociorum, et eorum ergà alios obligationibus.

Nota tamen prohibitam societatem bonorum per successionem adventurorum, excepto quoàd eorum usumfructum (1837).

Et quod conventio simplex societatis universalis, nihil explicans, societatem lucri solùm importet, non bonorum (1839).

Societas finit tempore determinato, morte, etc. Vide *ibidem*, cap. 4.

Nota iterùm sedulò : « Les dispositions du présent titre » ne s'appliquent aux sociétés de commerce que dans les » points qui n'ont rien de contraire aux lois et usages du » commerce (1873). »

(*a*) Ergò initio societatis æstimari debet, judicio prudentûm, quod quisque misit, et fieri quasi summa pecuniæ, etc., sociis omnibus communis : v. gr., è duobus sociis unus 1000 francos, et alter laborem et industriam 500, cum respectu ad pecuniam æstimata contulit; stabilienda est societas quasi 1500 pro duobus collata sint. Sed ordinariè alio modo fit societas, tali nempè ut pecunia tota in dominio et periculo remaneat illius qui eam contulit.

---

500. Licita et justa est societas, modò

1° Finem habeat honestum, negotiationem scilicet non prohibitam; nàm nemo potest se obligare ad illicitum.

2° Vera sit; alioquin esset mutuum palliatum (*a*).

3° Omnes socii conferant quid pretio æstimabile.

4° Lucra et damna sint communia; alioquin leonina esset et nulla (1855).

5° Lucrum et damnum dividantur inter socios secundùm proportionem geometricam missorum (*des mises*) (*b*).

(*a*) Ergò, quidquid dicant Navarrus et asseclæ, injustus et usurarius est, saltem in praxi, famosus qui dicitur triplex contractus, implicitè vel explicitè cum eodem socio, unico actu, vel tribus uni æquivalentibus, initus : nam verum est mutuum societatis contractu velatum. (Sciunt omnes contractum hunc, qui fortè nullibi nunc est in usu, fieri cùm is qui confert pecuniam mercatori ad societatem, paciscitur cum eo de assecuratione sortis, mediante parte lucri pro se sperati; et reliquum hujus lucri vendit pro lucro certo, mediante adhùc aliâ lucri parte.)

Sed si solùm assecuretur lucrum pro ratione spei, nulla est injustitia, modò servetur æqualitas; quia societas remanet. Periculum subit qui pecuniam contulit, et mercator semper tenetur cum pecuniâ negotiari. Ità meritò Collet, Billuart, etc.

Nec etiam, juxtà eosdem, si sors assecuretur, non assecurato lucro; quia item tunc mercator dominium pecuniæ non acquirit, sed cum eâ tenetur negotiari.

Multi tamen contrà sentiunt; quia, inquiunt, est de ratione societatis ut ab conferente periculum sortis saltem subeatur, et fatentur ipsi Collet et Billuart talem societatem esse periculosam.

In praxi attenderem ad intentionem contrahentium, diffidens tamen de rectà intentione.

Ast quid si triplex contractus cum eodem quidem socio ineatur, sed successivè, actibus disparatis, et sine ullo ordine unius ad alium? Tunc non esset usura, nisi forsan in intentione: quia non esset mutuum. Et verò fatentibus ferè omnibus, ii contractus fieri possunt cum diversis personis, cur ergò non cum eàdem, si nullum dicant ordinem ad invicem?

Nihilominùs multi, post DD. Thomam et Antoninum, Collet nempè, P. Gab. Ant.. Theol. Pict., P. Thomas, Billuart, etc., contrarium, ut quid probabilius, autumant; quia per illos contractus successivos destruitur societas et loco ejus substituitur mutuum; mercator enim, quidquid dicant alii, potest sine injuriâ disponere de sorte aliter quàm ad negotiationem. Obligatio

pro eo cum sorte mercandi est pura larva mutui. Vera agentis intentio certiùs eruitur ex factis quàm ex verbis, ut in contractu *mohatra* damnato ut usurario.

Videtur, et semper mihi visum est, maximè hìc attendendam esse intentionem; nam speculativè vera apparet priorum sententia. Imò quid impedit ne socium ab obligatione mercandi liberet cedendo omne jus suum ad societatem? Sed hoc in praxi!..

(*b*) 1° Si socio communicata sit pecunia, sic, seclusis justis aliis conventionibus, lucra, damna et expensæ dividenda videntur [499] : supposito lucrum fuisse 600 francorum, missa 1500, 1000 ab conferente pecuniam, et 500 laborem et industriam alterius æstimata; 400 lucri erunt pro conferente pecuniam, et 200 pro conferente laborem suum et industriam, cùm non valeant nisi dimidiâ parte pecuniæ; seu, cùm pecunia addita, trientem suprà faciant. *Dens.*

Si verò damnum sit, eâdem proportione ac lucrum, si quod foret, illud partiri oportebit, et sic conferens pecuniam sortem integram non recipiet. *Idem.*

Ast si, fit ordinariè, pecunia non fuerit communicata, et nullum lucrum sit, alter socius laborem et industriam perdidit, quia quisque remansit dominus sortis suæ; communiter enim docent dominum pecuniæ sortem integram debere recipere; quia cùm fructuarius usus ad quem pecunia erat per societatem destinata pro eo perierit, sufficienter compensatur damnum quod patitur alter socius per infructuosum laborem suum. Ergò si pars summæ pereat, perit pro eo qui eam contulit, etsi propriè non remanserit dominus. Excipe, si absque culpâ socii. *Collet, P. Gab. Ant.*

Si verò, solutis expensis, lucrum sit, dividi debet prout industria et labor æstimantur relatè ad summam, secundùm proportionem de quâ conventum, vel judicio prudentûm.

Ast apud nos, si nulla conventio facta sit de parte lucri, pars (in beneficiis et damnis) illius qui nihil attulit præter industriam, regulatur sicut si missum ejus æquaverit missum associati qui minùs attulit (1853).

Nota : Si labor et industria non considerentur quanti valent in se respectu ad pecuniam ab altero collatam, sed quanti valent in ordine ad lucrum, tunc non est propriè societas. Undè qui pecuniam contulit, debet lucrum dividere prout conventum est. Et sic ordinariè faciunt mercatores cum suis institoribus, quos non admittunt in societatem, cùm pecuniam non afferunt.

In hoc casu, si damnum patiatur illa apparens societas (quæ non est nisi conductio operarum), totum damnum videtur spectare ad illum qui pecuniam contulit, qui tamen tunc non tenetur compensare operas alterius, quia iste pro suarum operarum mercede habuit spem lucri majoris, quæ est pretio æstimabilis. *Dens.*

2° Cùm omnes socii pecuniam vel alias res in societatem miserunt, lucra et damna dividenda sunt inter eos in eâdem proportione quâ pecuniam, etc. contulerunt, quandò in eâdem proportione contulerunt laborem et industriam; et si socius plùs laboraverit quàm pro ratâ suæ partis collatæ requirebatur, ut frequenter accidit, gratis et liberaliter fecit, inquit D. Dens. Attamen id non est semper sine difficultate.

Undè et ex aliis conclude quàm justè et clarè fieri debeant conventiones societatum; quàm accuratè omnia scribenda. Nihil memoriæ mandandum; quot enim lites quotidiè è societatibus oriuntur! Quot compensationes occultæ! Vide totum tit. 9, lib. 5 Cod. civ.

SECTIO V.

De injustitiâ in contractu locationis-conductionis.

501. Locatio-conductio est unus idemque contractus quo locator concedit conductori, conductor verò acquirit pro pretio usum rei aut operæ ad tempus determinatum.

« On appelle bail à loyer le louage des maisons et des » meubles. »

« Bail à ferme, celui des héritages ruraux. »

« Loyer, le louage du travail ou du service. »

« Bail à cheptel, celui des animaux dont le profit se par- » tage, etc. »

« Les devis, marchés ou prix faits pour l'entreprise d'un » ouvrage, moyennant un prix déterminé, sont aussi un » louage, lorsque la matière est fournie par celui pour qui » l'ouvrage se fait. »

« Ces trois dernières espèces ont des règles particulières » (1711). » Vide totum tit. 8 cod. civ. Hìc tamen pauca de locatione-conductione rerum, operæ et animalium.

ARTICULUS I.

De injustitiâ in locatione et conductione rerum.

502. « On peut louer toutes sortes de biens, meubles et » immeubles (1713). »

Si locatio non sit scripta, nec adhùc ullo modo executioni mandata, defertur neganti juramentum (1715). Ergò jam valet in conscientiâ, nisi contrahentes aliter intenderint.

Et de quantitate pretii proprietario juranti creditur, ni rem æstimari sumptibus suis malit conductor (*le locataire*) (1716).

Sed injustus foret, si pretii de quo conventum est, recordatus fuerit.

Nota : Ni aliter conventum sit, conductor sublocare potest, modò locatori suo damnum nullum afferat (1717). Vide totum cap. 2, tit. 8, lib. 3 cod. civ.

§ I.

De obligationibus locatoris.

503. Ad hoc reduci possunt, ut locator rem tradat in bono statu, in eoque illam conservet toto tempore locationis, exceptis quæ ad conductorem spectant, sartis tectis (*les réparations locatives*) (1719-20).

Undè conductori debetur auctoritas (*la garantie*) de omnibus rei defectibus qui ejus impediunt usum, etsi locator eos ignoraverit (1721)(*a*).

Imò conductorem indemnem præstare tenetur locator, si ob hos defectus passus sit. *Ibidem* (*b*).

Cætera vide toto cap. 2, tit. 8, lib. 3, et ubi de obligationibus venditoris.

(*a*) Et tenetur de vitiis tempore locationis supervenientibus, quia, inquit D. Bouvier post D. Delvincourt, usum rei locator assecurare debet.

(*b*) Contrà sentit Billuart, si ignoranter; sanè nisi sit ibi culpa levis saltem juridica, quod fortè supponit art. 1721 cod. et de facto ordinariè est [558, *b*]; nàm locator debuit scire, etc. Si tamen non potuerit, debet solùm remittere pretium locationis. Nam lege *si addes* 19, ff. *locati et conducti*: « Si » pascuum locasti, in quo mala herba nascebatur; hìc enim si pecora vel » demortua sunt, vel etiam deteriora facta, si ignorasti, pensionem non » petes. »

§ II.

De obligationibus conductoris.

504. Sunt 1° re locatâ uti ut bonus pater familiâs, et secundùm finem de quo conventum; aut, defectu conventionis, prudenter ex circumstantiis præsumptum (1728).

Hinc tenetur de detrimentis quæ rei locatæ suâ vel suorum, vel sublocatorum culpâ acciderunt, nisi probet eà non culpâ suâ accidisse [558, *b*]; et de incendio, nisi probet illud evenisse casu fortuito aut vi quam non potuit repellere, aut vitio rei inhærenti (1732, etc.)

2° Solvere tempore statuto pretium locationis. Cætera vide eodem tit. 8.

Cæterùm cùm locatio-conductio sit quasi venditio-emptio,

hìc applica sat generaliter principia circà injustitiam in pretio, etc., rerum venditarum.

APPENDICULA

De regulis particularibus locationi domuum aut mobilium, et prædiorum ruralium.

506. Circa locationem domuum aut mobilium (*bail à loyer*), vide totam sect. 2, cap. 2, tituli 8, lib. 3.

Circà locationem verò prædiorum ruralium (*bail à ferme*), notandum inter cætera

1° Sublocare non posse eum qui pro pretio dat partem fructuum, nisi id expressè concessum sit (1763).

2° Quòd si locatio sit ad plures annos, et eâ durante, totalitas aut media saltem pars fructuum unius anni casu fortuito perierit, conductor imminutionem pretii petere possit, ni per fructus annorum præcedentium indemnis sit.

Et si indemnis non sit, æstimatio imminutionis pretii ad finem locationis, quo tempore omnes anni compensantur, protrahitur.

Sed potest intereà judex provisoriè dispensare ab solvendâ parte pretii (1769).

Si autem unius solùm anni sit locatio, perierintque aut omnes fructus aut saltem eorum pars media, remittitur conductor de parte pretii proportionatâ (1770) (*a*).

Ast nullam remissionem exigere potest, si fructus, cùm pereunt, sint à fundo separati, nisi solutio consistat in parte fructuum, modò etiam tunc conductor non fuerit in morâ eos tradendi.

Nec tandem cùm causa damni extabat cognitaque erat tempore contractûs (1771).

3° Quòd conductor possit in se expressè casus fortuitos suscipere (1772). Sed ob talem conventionem minuendum de pretio, nec interpretanda est de casibus insolitis, ut bella et inundationes aquarum, etc., quibus regio ordinariè obnoxia non est, nisi omnes casus prævisos et imprævisos conventio complectatur (1773). Vide insuper totam hanc cap. 2, 3 sect.

(a) Pretii imminutio, quandò debetur, videtur debita antè sententiam judicis; si non, ut vult Billuart, quia impedimentum ob quod fructus non percipiuntur est ex parte rei locatæ, saltem quia sub hâc conditione tactus videtur contractus, et illa remissio non est pœna pro locatore, nec id relinquitur ad arbitrium judicis, etsi jus civile dicat solum de conductore : *Peut demander une remise* (1769). *Sera déchargé* (1770). Sed fortè responderetur subintellectam tacitè fuisse in conditione aliam conditionem nempè : *Si petatur imminutio.* Rarò non petetur. Quo casu videndum nùm non saltem charitas, etc.

ARTICULUS II.

De injustitiâ in locatione-conductione operis et industriæ.

507. « Il y a trois espèces principales de louage, d'ouvrage et d'industrie. »

« 1° Le louage des gens de travail qui s'engagent au service de quelqu'un (a).

» 2° Celui des voituriers, etc., tant par eau, etc.

» 3° Celui des entrepreneurs d'ouvrages par suite de devis ou marchés (1779), etc.

» Les voituriers sont assujettis pour la garde et la conservation des choses qui leur sont confiées, aux mêmes obligations que les aubergistes » (1782). Vide infrà.

Quoàd architectos et opifices, vide totam sect. 3 ejusdem cap., notando circà art. 1793; quòd quamvis mutationes in opere pretii aleatorii (*marchandé à forfait*) factæ non dent actionem in foro externo, nùm per instrumentum scriptum non fuerunt à proprietario probatæ, attamen in conscientiâ ad eas solvendas teneatur proprietarius, si de his et earum pretio sincerè conventum sit [544, a].

(a) Famulo, sine præviâ salarii conventione conducto, salarium debetur operibus proportionatum, si hæc excedant alimenta. *P. Ant. à Gorità.*

ARTICULUS III.

De injustitiâ in locatione-conductione animalium (*cheptel*).

508. Hæc, cujus variæ species, est contractus quo unus tradit animalia, alter servat et pascit sub conditionibus de quibus convenitur (1800).

Quælibet animalia incrementi vel decrementi capacia,

sive pro agriculturâ, sive pro commercio, sic tradi possunt.

In illo autem contractu committitur injustitia cùm non servatur æqualitas inter pretium et utilitates animalium locatorum, id est, si, attentis eorum qualitate, locorum diversitate, expensis majoribus vel minoribus, periculo, majori vel minori utilitate ex animalibus perceptâ, pretium sit justo majus vel minus, ad arbitrium prudentûm.

Pretii magìs timendus excessus quàm defectus.

Sæpè conductores injustitiam committunt pecora malè pascendo aut non custodiendo, laboribus immoderatis fatigando, mendaciter dicendo culpâ suâ non periisse, etc.

Deficientibus conditionibus particularibus, hic contractus regulatur per principia quæ videre est sect. 2, 3, 4 et 5, cap. 4, titul. 8, lib. 3 cod. civ. (*a*).

(*a*) Contractus hic magnam habet affinitatem cum contractu societatis, potestque taliter fieri ut animalia sint communia, in quo casu uterque eorum fieret dominus, et pro utroque perirent. Sed quoquo modo fiat, cavendum ne degeneret in mutuum palliatum, cujus pretium seu auctarium esset lucri sperati dimidium. Sic, inquiunt plures, esset triplex contractus si accipiens (*le preneur*) pro aliquâ lucri parte assecuraret animalia.

Passìm apud Sequanos fit qualis in codice civili appellatur simplex *cheptel*... à condition que le preneur prendra la moitié du profit, et supportera la moitié de la perte.

Articuli (1807 et 1808) in quibus dicitur quòd in casu in quo non convenirent an animalia perierint casu fortuito, et an præcesserit culpa accipientis, accipiens (*le preneur*) teneatur probare casum fortuitum, et locator (*le bailleur*), culpam quam tribuit accipienti (*au preneur*), videntur non valere nisi in foro externo. Fundantur enim in præsumptione facti. *D. Bouvier*. Vide tamen 558 *b*.

SECTIO VI.

De injustitiâ in commodato.

509. Commodatum (*le prêt à usage*) est contractus quo ab uno res ad usum traditur alteri, cum onere eam post usum reddendi.

Contractus hic est essentialiter gratuitus, alioquin locatio esset (1876).

Cùm res ad nutum commodantis (non quidem statìm) repeti poterat, dicebatur precarium.

Commodans autem injustus esset

1° Si rem repeteret antè tempus præfixum, aut, nullo præfixo, antè tempus ad usum rei necessarium (1888).

Si tamen intereà rei commodatæ opus urgens habeat commodans quod non præviderit, judex potest, spectatis circumstantiis, commodatarium obligare ad eam reddendam (1889). Aliundè sub hâc tacitâ conditione commodata est.

2° Si non aperiret commodatario vitia periculosa rei commodatæ; in quo casu de damnis teneretur (1891) si ea vitia cognoscebat.

Commodatarius verò injustus esset

1° Si non majori, quàm etiam erga sua adhibere solent prudentes, rem curâ conservaret, aut ad alium, quàm ex naturâ suâ vel conventione, usum eam adhiberet, longiorivè quàm conventum sit tempore eâ uteretur;

In quibus casibus teneretur et de casu fortuito, sicut si de eo pactum speciale intercessisset (1881).

2° Si repeteret expensas ordinarias quas ad re utendum fecisset.

Si autem extraordinarias et urgentes fecerit, de quibus commodantem monere nequiverit, has hic refundere debet (1890) (a) [416, c].

Cætera vide cap. 4, tit. 10, lib. 3 cod. civ.

(a) Hic notat meritò P. Ant. à Goritià quòd si res commodata reddita famulo à domino misso ad eam recipiendam, ab hoc famulo auferatur, pereat pro domino, nisi famulus missus solùm fuerit ad monendum commodatarium de re reddendâ.

SECTIO VII.

De injustitiâ in mandato.

510. Mandatum (*mandat ou procuration*) est actus quo unus alteri dat potestatem aliquid pro se et suo nomine faciendi [487].

Non fit hic contractus nisi per acceptationem saltem tacitam mandatarii.

Gratuitus est, seclusâ conventione contrariâ (1986); quâ suppositâ, evenit conductio operæ.

Mandantis obligationes præcipuæ sunt refundere mandatario impensas, etiamsi rem, modò non suâ culpâ, ad exitum felicem non deduxerit.

Et reparare damna, si quæ passus sit rem gerendo, modò imprudentiâ imputabili ea sibi non procurârit (2000).

Mandatarii verò, intrà mandati limites stare; illud implere (alioquin de damnis tenetur) quandiù eo oneratur; rationem reddere suæ gestionis; et mandanti dare quidquid, etiam non debitum, percepit vi mandati (1991, etc.); vid. tit. 13 (*a*).

(*a*) Etsi mandatum de se gratuitum sit, solvi tamen debet opera, si ex circumstantiis judicari possit rem non fore gratis gerendam et stricto mandati titulo; ut si mandatarius pro mercede obsequium præstare soleat. *Collet.* Sed ad vitanda omnia dubia, conveniatur de pretio : sola enim spes remunerationis, quæ mandatarium aliquandò accendit, non dat ei jus strictum, et multæ compensationes injustæ.

---

511. Mandato affinis est negotiorum absentis et ignorantis gestio.

Tunc tacitè contrahitur obligatio gestionem incœptam continuandi usquè dùm proprietarius possit ipse ipsi providere; et negotii appendices omnes gerere.

Imò subjicit se omnibus obligationibus ex expresso mandato exurgentibus (1372) (*a*). Vide cap. 1, tit. 4, lib. 3 cod. civ.

(*a*) Ex l. 2, § de neg. gest. gerens jus habet ad mercedem congruentem. Et verò quis sine hâc mercede absentium negotia gereret, quod tamen exigit bonum commune? Sic legem hanc interpretantur P. Gab. Ant., P. Thomas, Dens. Tacet hìc codex civilis. Imò quasi negare videtur (1375). Ex Col. Andeg. id pendet à naturâ officii prout quis ut amicus aut ut procurator alterius generis rem gessit.

SECTIO VIII.

De injustitiâ in deposito.

512. Depositum est contractus quo res alienâ custodiendâ tacitè saltem suscipitur cum onere eamdem reddendi.

Transit in mutuum, si res deposita sit usu primario consumptibilis, hicque usus depositario concedatur.

In commodatum verò vel locationem, si non usu primario consumptibilis sit, et illius usus, sine vel cum pretio concedatur; tunc horum contractuum leges sequitur.

Depositum duplex: propriè dictum et sequestrum.

ARTICULUS I.

De injustitiâ in deposito propriè dicto.

513. Essentialiter gratuitum est (1917).

Res solùm mobiles habere potest pro objecto; et non nisi reali aut fictâ traditione perficitur (1918, etc.).

Voluntarium est aut necessarium, prout liberè aut necessariò depositarius eligitur. Necessariò eligitur in casu incendii, etc., et necessarium reputatur depositum in diversoriis (1949, 1952).

Depositum voluntarium 150 francos excedens non nisi scripto probatur; quo deficiente, depositarii declarationi creditur (1923, etc.).

---

514. Deponentis obligationes sunt idemnem præstare depositarium, si quid passus sit; expensasque solvere in conservatione rei factas (1947).

Depositarii verò 1° rem custodire ut suam (1927); undè tenetur ex culpâ latâ.

Imò, ut prudentiores eam custodire debet, teneturquò ex culpâ levi si se obtulerit, modò saltem sic causa fuerit cur diligentior non fuerit quæsitus.

Si pretium sit stipulatum, et accipere debeat illud (*a*);

Si conventum sit de majori diligentiâ adhibendâ, aut quòd de omni culpâ teneretur (1928); in quo ultimo casu (idem dic de mandatario) ex levissimâ tenetur, sicut si in suî solius commodum factum fuerit depositum;

Tandem, si fuerit constitutus in morâ, tenetur vel de accidentibus ex vi majori (1929, etc.).

2° Ut depositum identicè et statìm reddat petenti (*b*) et quidem cum suis fructibus, aut valoris incremento: easdem igitur, v. g., summæ depositæ species (1932).

Sed non tenetur de detrimentis, quæ rei depositæ sine facto suo advenerunt (1933, etc.).

Deponenti autem soli aut hæredi ejus (*c*) aut ei cujus nomine factum est depositum, vel personæ ad illud recipiendum designatæ reddi debet, nisi res reperiatur esse furtiva (*d*); in quo casu depositum domino rei denunciandum est (1937, 1938).

Excipe adhùc si deponens non sit ampliùs sui juris; tunc enim jurium ejus et bonorum administratori reddendum est depositum, et è contrà (1937, etc.).

Hinc conclude depositarium injustitiam committere, si re depositâ utatur sine consensu, saltem prudenter præsumpto, deponentis (1930). Vide sect. 2, 3, 4, cap. 2, tit. 11, lib. 3 (*e*).

(*a*) Item si depositum cedat in commodum utriusque, aut, inquit D. Bouvier, si rei usus depositario permittatur; tunc enim esset potiùs commodatum quàm depositum. Non crederem tamen quòd strictè; alioquin ex culpâ levissimâ teneretur tunc depositarius.

Si autem in verum mutuum depositum transiisset, etiam de casu fortuito teneretur depositarius; quia res esset strictè sua. Sed quamvis concedi non possit usus rei primario usu consumptibilis, nisi fiat utentis; evenire tamen potest ut in intentione deponentis et depositarii teneat semper aliquid de deposito, ità ut, v. g., mutuum in quod transiit factum sit precarium.

(*b*) Etiamsi contractus tempus redditionis determinârit; quia in favorem solius deponentis determinatum est, « à moins qu'il n'existe entre les mains » du dépositaire une saisie-arrêt, ou une opposition à la restitution et au » déplacement de la chose déposée » (1944).

(*c*) « S'il y a plusieurs héritiers, (la chose) doit être rendue à chacun » d'eux pour leur quote part et portion. Si la chose est indivisible les hé» ritiers doivent s'accorder entre eux pour la recevoir » (1939).

Nota : Depositum statim reddi nequit ei qui eo prævidetur abusurus. [262, 263].

(*d*) Etsi fur foret filius familias, qui triticum, etc., patri furatus fuisset. Idem dic de mercatore, cujus merces depositæ fisco adjudicatæ forent per sententiam : fisco reddendæ.

Nota : Etsi dicat jus (1938) depositarium rei furtivæ validè liberari rem reddendo furi, si dominus post denuntiationem eam non reclamet, in hocque inclinare videatur P. G. Ant., modò fur moneatur ut rem restituat domino, crederem cum Lessio eam semper reddendam domino, nisi fur putetur eam repetere animo restituendi; sicque tandem sentire videtur P. Gab. Ant. Sed vix supponi potest quòd dominus non reclamet, nisi sit negotiorum suorum negligens, aut ignoret proclamationem.

(*e*) Tenetur tunc depositarius restituere pretium usûs rei, si sit pretio æstimabilis, quia hoc pretium est quidam fructus rei. *P. Gab. Ant.*, *Collet.*

Aiunt autem multi prudenter præsumi deponentis consensum, 1° si pecunia deposita sit in sacculo non clauso nec obsignato (lege *si sancitum*,

ff. de deposit.), nec usus ejus sit à deponente interdictus verbo aut signo; nisi, aiunt quidam, non ausus sit præ humano timore eum interdicere. Sed summæ depositarius certus esse debet se redditurùm depositum cùm petetur (quod rarum, me judice, si depositarius pauper sit aut mediocris).

2° Si deposita sit res aliàs fungibilis, frumentum, etc., nisi item deponens declaraverit contrariam intentionem (lege *in navem*, ff. locati-conducti). Sed certus sit depositarius se redditurum in eâdem qualitate, etc. Videtur deponentem raro consentire; rarò enim esset ipse certus rem suam ipsi, cùm voluerit, reddendam fore.

Et excusat P. Jos. Ant. thesaurarios-eleemosynarios qui sine damno pecunias exponunt negotiationi.

---

515. In deposito necessario, probatio per testes admittitur ultrà 150 francos.

Præcedentibus aliundè regulatur legibus.

Caupones ergò tenentur, velut depositarii necessarii, de rebus viatorum à quocumque [558, *b*], sive famulo sive extraneo, furto auferantur aut deteriorentur, ni vi majori. Sect. 5, cap. 2, tit. 11, lib. 3.

ARTICULUS II.

De injustitiâ in sequestro.

516. Sequestrum aliud conventionale est et aliud judiciarium.

Conventionale est cùm fit, ab uno aut pluribus, rei de quâ controvertitur depositio apud tertium obligantem se ad illam, cui, finitâ controversiâ, adjudicabitur, reddendam, et neutri anteà, nisi de omnium, qui eam deposuerunt, consensu (1956).

Casibus exceptis quibusdam, subjacet suprà dictis regulis, cùm gratuitum est (1958); nàm tale potest non esse (1957). Vide sect. 2, cap. 3, tit. 11, lib. 3.

Judiciarium verò est, cùm res de quâ disputant, tertio custodienda, etc., committitur, donec judicium de eâ intervenerit.

Custos rei (*un gardien*) constituitur cum salario lege taxato; et sive à partibus quarum interest, sive à judice nominatus sit, habet obligationes quas videre est eodem cap. sicut et cætera quæ ad præsentem materiam spectant.

SECTIO IX.

De injustitiâ in fidejussione.

517. Fidejussio (*cautionnement*) est contractus quo quis suscipit obligationem alterius, si eam non impleat.

Undè jam injustus est fidejussor, si obligationem suscipiat quam implere non possit, teneturque tunc de damnis.

Fidejussio est accessoria debiti principalis, valetque vel non valet, prout istud; et cum eo extinguitur. Hinc regula : *Principali non obligato, non obligatur fidejussor*.

Excipiuntur tamen casus in quibus quis fidejussisset pro obligatione quæ annullari posset per exceptionem purè personalem obligato. Qui ergò pro minore spopondisset, obligaretur, quamvis hic rescissionis beneficio uteretur. Vide totum cap. 1, tit. 14, lib. 3 cod. civ.

---

518. Et injustus fidejussor, si non solvat antè sententiam judicis, etiam nondùm factâ bonorum debitoris discussione juridicâ, si hujus beneficio renunciaverit, aut in solidum cum debitore se obligaverit (2021).

Cùm plures pro eodem debito spoponderunt, tenentur in solidum (2025).

Potest tamen unusquisque, nisi beneficio divisionis renunciaverit, exigere à creditore ut actionem suam dividat reductivè ad partem et portionem uniuscujusque fidejussoris (2026).

Nota : Fidejussor recursum habet contrà debitorem tam pró principali quàm pro *interesse* et expensis. Pro expensis tamen recursum non habet, si factæ sint antequàm debitori denunciaverit se pro eo appellari (2028).

Nota iterùm : Fidejussor qui solvit, succedit omnibus juribus creditoris contrà debitorem (2029).

Imò potest, etiam antequàm solvat, agere contrà debitorem ut indemnis præstetur in casibus articulo 2032 cod. civ. enumeratis. Et vide totum cap. 2 hujus tit. 14.

Nota tandem : Obligatio fidejussoris per easdem causas,

per quas aliæ obligationes, extinguitur (2034). Vid. ibidem, cap. 3 et 4 (*a*).

Et transit ad hæredes, excepto quòd cogi nequeant per apprehensionem corporis (2017).

(*a*) Plures contrà alios censent fidejussorem, si quod solvendi periculum incurrat, posse aliquid stipulari huic periculo proportionatum, nisi ex charitate teneatur spondere.

Imò, etsi nullum periculum subire debeat, nullam molestiam, potest, juxtà plures, pro susceptà in se obligatione fidejubendi, mercedem accipere à debitore in cujus gratiam fidejubet; quia accipit pro subeundâ obligatione quæ est onus pretio æstimabile. Aliquidne tunc exigitur? Non scio, nisi à mercatoribus pro quibusdam superscriptionibus chirographorum commercii fidejussioni sat affinibus [498].

Potest mutuans aliquid accipere à fidejussore ut eum à fidejussione liberet, si debitor solvendò impar judicetur futurus.

Sed non potest creditor pretium accipere à suo debitore ut fidejussionem in se suscipiat; hoc enim esset usura palliata, nisi accipiat ob periculum sortis extraordinarium. Nec etiam ut debitorem à fidejussore inveniendo liberet. *P. Thomas ex Charmes*, etc.

519. Debitor autem principalis injustus est si indemnem non præstet fidejussorem, ut suprà dictum est (*a*).

(*a*) Si debitor non fuerit in culpâ, de damnis non videtur teneri. *Theol. Pictaviensis*. Excipiendum saltem videtur, si ad ea reparanda expressè aut tacitè sese obligaverit etiam tunc.

SECTIO X.

De injustitiâ in oppigneratione.

520. OPPIGNERATIO (*nantissement*), est contractus quo debitor creditori tradit rem in securitatem debiti.

Si res tradita mobilis sit, pignus (*gage*), si immobilis, antichresis (*antichrèse*) vocatur (2071, 2072).

Injustus esset pignus accipiens, si de re oppigneratâ, deficiente solutione, sine judicis sententiâ disponeret [423]. Omnis clausula his contraria nulla est (2078). Aliundè ordinariè pignus excedit debitum.

Excipiendum saltem videtur, si oppignerans consentiat liberè tali dispositioni.

Et injustus pignus accipiens, si illius fructus sibi ità ap-

propriet ut eos non deducat, 1° in *interesse*, si quod sit justè stipulatum ; 2° in principali.

Et si pignore utatur sine consensu domini saltem prudenter præsumpto : aliàs solvat usûs valorem.

Tandem si culpâ suâ pignus pereat aut *deterioretur;* teneturque ex culpâ levi.

Nota : Pignus dat creditori jus prælationis in re oppigneratâ solutionem accipiendi antè alios creditores, mediantibus certis conditionibus (2073-74, etc.).

Pignus autem dans injustus est, si impensas utiles aut necessarias pro conservatione pignoris creditori non refundat (2080). Cætera vide cap. 1, tit. 17, lib. 3 cod. civ., notando præsentes dispositiones non esse applicabiles materiis commercii neque domibus lege approbatis ad mutuandum cum pignore (2084).

Pro antichresi vide cap. 2 ejusdem tit.

SECTIO XI.

De injustitiâ in privilegiis et hypothecis.

521. Privilegium est jus ex qualitate crediti creditori adveniens quo creditoribus aliis, etiam hypothecariis, præfertur (2095).

Potest esse super mobilia, vel super immobilia (2099).

Et si super mobilia, vel generaliter super omnia, vel particulariter super aliqua (2100, etc.) Vide totum cap. 2, tit. 18, lib. 3.

Injustitia fit cùm fraudulenter constituit se quis creditorem privilegiatum.

Et cùm non privilegiati antè privilegiatos [593], et in horum detrimentum solutionem obtinent.

Hypotheca verò est jus reale in immobilia affectata obligationis solutioni.

Indivisibilis est, et bona sequitur quocùmque transierint (2114).

Locum non habet nisi ubi et quomodò vult lex (2115).

Triplici autem modo constituitur : per legem, et tunc

legalis; per sententiam aliosque actus judiciales, et tunc judiciaria; per conventiones et formas exteriores actuum et contractuum, et tunc conventionalis appellatur (2116, etc.)

Nota : « Les meubles n'ont pas de suite par hypothèque (2119). » Cætera vide tit. 18, lib. 3.

Injustitia fit in hypothecis, cùm quis bona jam legaliter hypothecata, tradit adhùc in hypothecam, vel cùm tradit rem non sufficientem omnibus pro quibus hypothecæ subjicitur, etc.

Nota iterùm : Injusti sunt administratores bonorum inhabilium, minorum, etc., cùm ipsis debità non curant legitimè hypothecari.

SECTIO XII.

De injustitià in transactionibus.

522. Transactio est contractus quo natam finiunt, aut nascituram litem præveniunt.

Scribi debet (pro foro externo, aut etiam interno, si antè scriptum non intenderint se obligare) (2044).

Pro minore transigere nequit tutor nisi secundùm formas à jure præscriptas (467) (2045).

Nec communitates, etc., sine expressâ auctoritate regis (2045). Vide totum tit. 15.

Nota : Sæpè, pro foro conscientiæ, injustitia invenitur in transactionibus, ut, si interveniant vis, fraus, dolus, minæ mendaces aut injustæ appellandi à sententiâ, etc. (quæ omnia in foro externo non præsumuntur).

Ut, si extendatur transactio ad id quod noluerunt partes in eâ comprehendi, quin tamen unus alteri credere teneatur, nisi certa det intentionis suæ indicia, moraliter loquendo.

Ut, si non reparetur error in computò.

Ut tandem, si jus unius apertum sit et certum (*a*). Tunc enim relaxatio, non transactio fieret.

Undè transactio, quæ est contractus onerosus, differt ab amicabili compositione per quam pars debiti aut juris gratis remittitur.

(a) Sed si transigentes probabiliter æstiment jus non esse certum, cùm tamen sit, nec ulteriùs velint inquirere, valet transactio quia tunc aut aleatoriè contrahunt, aut sibi invicem condonant.

SECTIO XIII.

De injustitiâ in ludo et sponsione.

ARTICULUS I.

De injustitiâ in ludo.

523. Ludus est contractus quo per modum certaminis ludentes paciscuntur ut victori cedat quod exposuerunt (a).

Alius est industriæ aut exercitationis corporalis solius; alius solius fortunæ ubi vix aut ne vix industria est; et alius mixtus ex industriâ et fortunâ.

Injustitia autem in ludo sæpè committitur.

1° Cùm ludens proprietatem non habet rerum quas ludo exponit, ut religiosi, qui, sine licentiâ prælati (b). Undè restitui debet non solùm quod ipsi colludentes lucrati sunt, sed quod et ipse, si lucratus sit; quia lucrari nequivit in ludo qui in eo perdere non potuit.

2° Cùm collusor, aliàs non lusurus, dolo, metu, irrisionibus aut minis non solvendi quod deperditum est [424], etc., etc., ad ludendum aut in ludo perseverandum inducitur; aut cùm ignarum quis se fingit, cùm multò sit in ludo peritior.

Sed qui lusit per vim attractus, non tenetur restituere quod lucratus est; ipse enim injustus non fuit.

3°. Probabiliùs cùm non est sufficiens inter collusores æqualitas. Est enim hic quasi contractus venditionis emptionis. Sed sufficiens est æqualitas si non sit notabilis differentia, ut ordinariè in ludis aleæ.

Excipe, quod rarum, si colludens inferior viribus liberaliter dare intendat, ut cùm ludit pater, avunculus, etc., cum filio aut nepote ludi perito.

Excipe adhùc si uterque ignorârit notabilem peritiæ collusoris excessum, quia aleatoriè in hoc luserunt (c).

4°. Cùm ludo interveniunt fraudes communi ludentium consensu aut loci consuetudine non receptæ (d).

In quo casu fraudis reus restituere debet non solùm quod per fraudem lucratus sit, sed secundùm prudenter æstimatam probabilitatem, si quæ, quòd alter lucratus fuisset absente fraude.

(a) Ut autem ludus licitus sit, fiat recreationis causâ. Et non turpis sit, nec occasio proxima alterius peccati, perjurii, v. gr., blasphemiæ, etc., neglectûs officiorum divinorum aut statûs, præcepti eleemosynæ, solutionis debitorum. In his casibus mortalis esset ex genere suo; et de facto mortalis si in eo finis ultimus constituatur.

Volunt aliqui illicitè ludi pro precibus; quia miscerentur sacra profanis. Verùm communior et timoratorum praxi consentanea est sententia contraria.

Sed sæpè illicitus ludus, quia immoderatus in tempore insumpto et summâ expositâ; sæpèque quia legibus positivis prohibitus, ut ludus aleæ, præsertìm à clericis exercitus. Et idem dicendum aliquandò de sponsione quæ est verus ludus aleæ.

Quodnam autem peccatum committant qui ludo ludunt legibus vetito? Graves olìm in jure civili (et semper in canonico) pœnæ continebantur contrà ludentes aleâ. Peccatum mortale est ex genere suo, inquiunt DD. Antoninus et Raymundus ex Pennafort. Non tamen videtur peccatum aleà ludere sine pactione præmii, nec si moderatè, tempore congruo, non ex aviditate lucri, sed recreationis causâ, levis summa exponatur, ne ludus refrigeat. Sed in peccati mortalis statu existere censet Billuart eum, et maximè clericum, qui publicè et frequenter aleæ indulget, summas magnas exponendo. Secùs, si semel aut bis, secluso scandalo, aut si frequenter quidem, sed privatìm et moderatas summas statui suo congruentes solum exponat.

Et mortaliter peccare possunt qui aspiciunt ludentes, si nimirùm eos qui mortaliter peccant ludendo præsentiâ suâ efficaciter moveant ad ludendum.

Cæterùm victor in ludo prohibito retinere potest quod lucratus est. Et nunc apud nos vigere non videntur leges juris communis, vi quarum concedebatur facultas excipiendi, id est, repetendi solutum in ludo vetito, sive absenti sive præsenti pecuniâ luserint. Ac proindè ex illis legibus concludi nequit, ut olim communiùs, non esse obligationem sic perditum solvendi, utpotè quod posset repeti. *DD. Bouvier, Gousset.*

Lex hodierna solummodò actionem non dat in foro externo pro summâ ex certis ludis debitâ (1965, 1966).

(b) Et non liberam administrationem. An autem tunc obligentur naturaliter? Vide 435 *a.*,

Et ibidem vide de quibus disponere valeant.

Saltem excipiuntur qui ludunt de consensu patris aut mariti prudenter præsumpto, ut si de summâ levi agatur.

Et præsumitur pro filiis et minoribus, cùm ratione studiorum extra morantur, si agatur de summâ levi, aut pecunia fuerit eis absolutè data.

(c) Restituat ergò qui ludendo animum habebat non solvendi, quia non erat æqualitas, et error dedit causam contractui. *P. Ant. à Goritiâ.*

(d) Receptæ sunt quæ communiter fiunt, et cognoscuntur fieri etiam à timoratis, ut cartas aspicere quas alter non statim abscondit, vel eas à tergo dignoscere, modò non fuerint ab aspiciente eo fine figuratæ, aut frequentiori

usu, quem alter non habet, eas non cognoscat; non monere ludentem de errore propter quem perdit, quia in ludo quisque partes suas agit; sponsionem augere cum securitate de lucro, quia alter potest hanc securitatem suspicari et partem relinquere; per metum simulatum adversarium provocare, ut sponsionem augeat; desperantem de victoriâ simulare audaciam, ut alter territus lucro et ludo cedat. Hæc enim ludentes censentur sibi mutuò condonare. *Billuart*, etc.

ARTICULUS II.

De injustitiâ in sponsione.

524. Sponsio (*la gageure, le pari*) est contractus quo plures, de veritate aut eventu rei contendentes, aliquid deponunt quod debeat illius esse qui veritatem fuerit assecutus.

Licitam per se communiùs docent.

In eâ autem fit injustitia, si, re in sensu diverso, à spondentibus intellectâ, unus velit, et alium cogat sponsionem haberi pro validâ.

Sed sæpiùs, cùm alteruter certus est de rei veritate; tunc enim non est spei et periculi moralis æqualitas (*a*).

Certus tamen non est qui initio se certum credens, altero pertinaciter contradicente, dubitare incipit, quia advertit aliàs contigisse non semel falsum fuisse, quod ut certissimum habebat.

Indè restituere non tenetur, etsi peccârit, qui certum se credens dùm sponderet, posteà deprehendit se non fuisse certum, quia reverà erat æqualitas.

Tandem si sponsio ad crimen inducat, nulla est; quia nemo potest se obligare ad malum [525].

(*a*) Etsi, juxtà plures contrà alios, qui certus est alium moneat de suâ certitudine et iste pergat velle spondere, nisi velit aut sincerè condonare certitudinem quæcumque sit (quod difficilè videtur, alioqui se puniret). In sponsione enim, inquiunt, et videtur meritò, spes lucri venditur pro periculo perdendi. Non potest autem æstimari spes lucri, ubi lucrum certum est.

Addit Billuart prosequens eamdem rationem, hìc videri esse errorem circà substantiam. Undè, sicut non posset vendi pro gemmâ gemma certò falsa, ei qui, etsi à vendente monitus pertinaciter vult eam esse veram, pariter, etc.

---

525. Ad sponsionem et ludum accedit loteria, habita communiter ut licita.

Injustitia tamen in illâ fit cum spes lucri pro instituente

excedit notabiliter lucrum quod aliundè ex mercibus suis perciperet.

Sed loteriis publicâ auctoritate institutis, præsertim in favorem rerum piarum, major, ob bonum commune, lucri spes conceditur.

CAPITIS II

PARS III.

DE INJUSTITIA IN IMPLICITIS SEU QUASI-CONTRACTIBUS.

« Les quasi-contrats sont les faits purement volontaires de » l'homme, d'où il résulte un engagement quelconque, envers » un tiers, et quelquefois un engagement réciproque des deux » parties [1371]. »

Hìc autem in sensu magis extento illos contractus sumimus, pro obligationibus nempè justitiæ ex susceptione officii publici resultantibus. Sed ne eadem repentantur, sint

INJUSTITIÆ

Generaliter in susceptione et exercitio officiorum publicorum fieri magis solitæ (*a*).

526. Generaliter autem loquendo injusti sunt munia publica suscipientes et exercentes,

Cùm carent scientiâ et prudentiâ competenti, seu qualem habent, non quidem peritissimi aut peritiores, etc., sed periti et prudentes ejusdem conditionis;

Cùm in officii exercitio eam non adhibent, quam solent prudentes, diligentiam et attentionem relativè ad rei, quæ tractatur, gravitatem et difficultatem ;

Cùm non procurant, quantùm possunt sine gravamine rei proportionato, commoda eorum quibus serviunt, in rebus in quibus iis serviunt; hocque prout, judicio prudentûm, censentur tacitè se obligasse;

Cùm negotia, sine causâ justâ protrahendo, sumptus au-

gent et causant damna, ut eveniret, si testes antè judicium discederent;

Cùm non vigilant ne subalterni injustitias committant;

Cùm in exercitio officii secreta violant sibi, ex susceptione muneris, tacitè commissa;

Cùm majus exigunt stipendium quàm lege aut consuetudine legitimâ taxatum est, nisi laborem extraordinarium impendere debuerint;

Cùm pensiones aut privilegia accipiunt pro longo exercitio muneris quo malè functi sunt.

(a) Contrà alias virtutes sæpè peccant qui officiis publicis funguntur, v. gr.: Contrà charitatem, cùm pauperibus non præbent gratìs ministerium suum; Contrà bonum commune, cùm abusus et scandala non tollunt, in quantùm sinunt sui muneris limites. A fortiori, si exempla mali ipsi præbeant; Contrà religionem, si eam et ministros ejus non tueantur, prout possunt, etc.

SECTIO I.

De injustitiis particularibus eorum qui ad actus judiciales concurrunt.

ARTICULUS I.

De injustitiis magis particularibus judicum.

527. Judex est persona publica legitimâ auctoritate constituta [526], ut, secundùm leges, jus dicat populo, definiendo per sententiam quid cuique ex justitiâ debitum sit, aut quam pœnam mereatur qui deliquerit.

Injusti forent judices,

1° Si judicarent sine ordinariâ aut delegatâ potestate in rem et personam.

2° Si non secundùm leges et ordinem juris, sed pro suo arbitrio, ex malâ commiseratione, metu, spe, amore aut odio, precibus vel promissionibus, suum cuique non tribuerent, pœnam augerent; et saltem contrà justitiam legalem peccarent (a) si pœnam, etiam consentiente actore, minuerent.

Possunt tamen pro tempore et loco, legis spiritum potiùs quàm verba sequi; et parti probabiliori adhærere in civilibus, in dubiis dividendo, vel adducendo ad compositionem,

post rem maturiùs perpensam, nisi uni, ut possidenti adjudicare debeant.

In criminalibus verò, reo potiùs quàm actori favere debent in obscuris, et pœnam minuere si ætas, infirmitas, sexus, et modus delinquendi postulaverint. Imò reum absolvere in dubio; nec possunt eum non juridicè convictum damnare, quia scirent scientiâ privatâ nocentem, sicut nec absolvere quem allegata et probata reum faciunt, cùm saltem, privatâ scientiâ, non certò sciunt innocentem (*b*).

3° Si reum condemnarent ex confessione illius extortâ injustè; ut si eum interrogaverint nullâ præcedente famâ aut rumore publico, aliove indicio sufficienti, nullo deponente teste; aut si metu, dolo, promissisve impunitatis (quæ tunc concedenda) adduxerint eum ad fatendum, etsi posteà confessionem suam ratam habeat. Eum enim damnando, commissa priùs injustitia continuaretur (*c*).

4° Si non judicent secundùm suam, sed secundùm aliorum opinionem, cùm de suâ certi sunt.

5° Si sententias ferant ambiguas, undè novæ interpretationes, novæ lites.

6° Si personas accipiant.

7° Si munera non gratis data (*a*).

8° Tandem si generalem non faciant inquisitionem an leges serventur, vel quis tale crimen publicum patrârit.

Nequeunt tamen inquirere de homine particulari antè famam aut rumorem publicum, quia infamaretur.

Quoàd judices referentes (*les rapporteurs*), injusti forent si jus unius magis quàm alterius exponerent; si partium instrumenta per se non legerent, nisi accipiant excerpta manu peritâ admodùm et fideli (*e*);

Et si in quâcumque commissione munere suo non justè fungantur.

(*a*) Ast an itidem peccarent contrà justitiam commutativam, ita ut si pœna sit mulcta, restituere tenerentur ei cui applicata fuisset? Si actori applicata fuisset, et consenserit remissioni, nulla difficultas. Si autem alteri, vel gubernio, affirmant multi, Suarez, Sylvester, etc.; quia jam habet aliquod jus quod judex debet reducere ad actum. Negant alii cum Lessio, quorum sententia sat probabilis videtur Delugo; quia, licèt judex teneatur ex justitiâ

impedire damna et restituere, si ex culpâ suâ eveniant, non tamen tenetur gubernium, nec particulares per mulctas ditare. Et hic videtur, inquit, usus communis, nec restituunt tunc judices.

(b) Famosè disputant an judex damnare possit juridicè convictum, quem privatâ scientiâ scit certò innocentem. Fatentur omnes omnia esse anteà tentanda. Sed si inutiliter tentata sint, in tres partes scinduntur theologi. Schola thomistica post suum D. authorem, affirmativam tenet, quia sic exigit bonum commune, et quia non judex damnat tunc, sed testes. Negativam tenent alii, quia hoc ex naturâ suâ iniquum. Tandem viam mediam alii numero longè majores tenent, dicuntque id licitum in civilibus, non in criminalibus, saltem si agatur de pœnâ gravi; quia, quamvis Deus dederit reipublicæ potestatem in bona subditorum, quandò id exigit bonum commune, non item in bona alia maximè corporis, nec à fortiori in vitam. Aliundè est contrà jus naturale damnare innocentem. Idem est ac si directè occideretur. Hæc sententia videtur probabilior.

(c) Et sunt qui injustum dicunt judicem qui reum se defendentem in verbis perturbat, vel eum contrà se testimonium dicentem facilè audit, et ex dictis condemnat, quia nemo auditur perire volens [429].

(d) Etiam pro ferendâ sententiâ justâ aut re jam judicatâ. Quandonam autem gratis data non censentur? Ex circumstantiis judicandum, v. gr., si magna sint et à paupere facta diviti. Si intuitu alterius litis futuræ, non facilè, juxtà plures, gratis data supponi debent. Post sententiam liberaliùs agere solent; sed nec hoc tutum; et lex prohibens, ubi viget, generalis est, inquiunt plures. Nam « défendons à tous nos officiers de recevoir aucuns « dons, sous peine de concussion. » (Edictum Henrici III.)

Et jure canonico vetitum judicibus munera, licèt liberè data, accipere. Imò quodammodo jure etiam naturali, quia obcæcant. Tandem sæpè dantur ex motivo injustitiæ, ut nempè judex uni faveat potiusquam alteri. Ergò, ni levia sint, et nisi inurbane recusarentur, recusanda.

Juxtà Collet, Bailly, etc., adest in Galliâ obligatio restituendi munera saltem gravia, etsi liberaliter data; sed nisi lex clarè dicat ea esse restituenda antè sententiam judicis, non conveniunt an antè restituenda. Probabiliùs non. *Delugo*, etc.

Tutiùs et salubriùs id injungendum in pœnitentiam. *Idem. P. Ga'. Ant.*, etc.

19. Addit meritò Collet : si non supplerent quæ ab advocato omitterentur, et tamen de jure forent, ut concedere dilationes, testes non legales excludere.

Sed communiter non tenentur nec possunt supplere quæ sunt de facto, ut monere partem alteram ut certa producat instrumenta, etc., cùm non debeant advocati vices agere. Si tamen factum aliquod aliundè vel ex actis notorium sit, potest judex supplere illud, cùm à partis advocato suppressum est; ut si res esset jam præscripta. Imò plura supplere potest cùm de bono publico, piâ, matrimoniali aut pupillari causâ agatur.

---

528. Non obligat per se sententia certò injusta, ut quæ ex probationibus aut facti præsumptionibus falsis lata foret.

Sed obligare potest per accidens, ad vitanda nempè mala gravia, scandala, etc.

Nec obligat sententia injusta ob omissionem ordinis debiti, aut formæ judicialis, si in essentialibus. *Injustum enim judicium, non est judicium. D. Thomas.*

Sed sic injustè damnatus non eximitur ab obligatione naturali, si quâ teneatur; nec liceret ei contrà justitiæ ministros rebellare.

ARTICULUS II.

De injustitiis magis particularibus advocatorum et procuratorum.

Advocatus dicitur qui, in jure saltem licentiatus, suum in negotiis forensibus litiganti auxilium præbet, consilio, scripturâ, vel vivâ voce causam illius agendo [526].

Procurator verò (*avoué*) qui, litigantis nomine et mandato, causam illius in judicio prosequitur.

Hi injusti esse possunt ergà clientem et partem adversam simul; vel ergà clientem solum, aut solùm ergà partem adversam.

Ergà utrumque simul :

529. 1° Si causam injustam scienter suscipiant et defendant; aut prudenter susceptam, sed demùm injustam cognoscentes, monito cliente, non deserant.

Non tamen debent tunc prodere causæ insufficientiam, ut aliam partem juvent, nec possunt revelare illi causæ suæ secreta (*a*).

Sed non inducant tunc ad transactionem, si jus alterius certum sit [522] (*b*).

2° Si causam suscipiant cujus contraria saltem adeò probabilior sit, ut moralis habeatur certitudo fieri non posse ut judex peritus ipsi non tribuat jus (*c*).

Et à fortiori si stimularent ad litem valdè periculosam.

Si tamen clientem monerent de injustitiâ causæ et ejus probabiliori casu, non ergà eum tunc, utpotè scientem et volentem, sed ergà partem adversam solùm injusti forent, et in defectu clientis tenerentur.

3° Si appellationes injustas consulant.

(*a*) Excipit Deluge, si reus capite damnandus sit, nisi advocatus revelet

actoris injustitiam; aut si agatur de celeberrimâ famâ, honore et statu personæ illustris. Monendus tamen priùs actor quàm prodendus. Quin expendere debet advocatus an non sibi tantùm nociturus sit quantùm alteri profuturus; an non procreaturus grave scandalum. *Collet.*

(*b*) Nisi fortè circà expensas. *Billuart.*

(*c*) E contrà advocatus potest, monito cliente de periculo, suscipere causam quæ sibi privato judicio videtur minùs probabilis, si prudenter æstimet eam judicibus peritis probabiliorem videndam fore, nisi tamen in se injusta sit. Quia potest suo diffidere judicio. *Varii.* Imò etsi ignoret quid judicabitur. *Billuart.*

Notant multi contrà charitatem peccare advocatum causam accusatoris dubiam suscipiendo in criminalibus; quia ipse actor peccat contrà charitatem ergà eum cui tunc potiùs succurrere deberet. *Billuart*, *Collet*, etc.

---

530. Advocati, etc., contrà clientem solùm injusti sunt,

1° Si, eo non monito, causam suscipiant aut dubiam aut æquè vel ferè æquè probabilem.

2° Si motiva aliqua negligant, sub obtentu quòd peremptoria afferant, quia forsan motivis neglectis judices moverentur.

3° Si fundamenta vel secreta causæ adversario detegant.

4° Si parti utrique serviant (*a*).

5° Si causas accipiant plures quàm possint expedire.

6° Si incuriâ damna clienti aut expensas causent majores (*b*).

7° Si salarium injustum exigant.

8° Si (procuratores) procuratorem regium non moneant de prævaricatione partis adversæ procuratoris, qui expensas auget, quas si cliens perdat, solvere cogetur.

(*a*) Ob pactum implicitum cum parte, et quia sic principia.

(*b*) Ut si procurator causam primò acceptam, primò non procuret, nisi, ut ordo juris aliquandò exigit, negotia gravia levioribus præcurrere debeant. A fortiori si scripta plus æquo protendat, aut, re jam judicatâ, faciat.

---

531. Tandem ergà partem adversam iidem injusti sunt

1° Si leges falsas citent aut abrogatas, verasve in sensum alienum deflectant; dolum alium, vel mendacium adhibeant.

2° Si instrumenta (*les faits et pièces*) advocato partis adversæ non communicent.

3° Si parti adversæ crimina vel vitia imponant falsa, aut

vera quidem, sed quæ ad causam non pertineant, vel si conviciis utantur.

4° Si eam dilationibus injustis vexent vel cavillationibus.

5° Si (procuratores) causas protelent, et dilationes indebitè obtineant.

6° Si, quia pars adversa perdidit, expensas ideò augeant.

ARTICULUS III.

De injustitiis magis particularibus notariorum, scribarum et apparitorum.

§ I.

532. NOTARIUS dicitur qui auctoritate legitimâ institutus est ad scribenda acta seu instrumenta publica quæ fidem faciant in judicio vel extrà judicium (*a*).

Notarii injusti sunt

1° Cùm sine causâ suum recusant ministerium.

2° Cùm non describunt fideliter voluntates eorum qui coràm se contrahunt, vel per ambiguas redactiones locum dant injustitiis aut litibus.

3° Cùm partes non monent de clausulis quæ eis nocere, aut de difficultatibus quæ indè nasci possent. Partes enim in ipsis confidunt.

4° Cùm actus faciunt nullos (*b*), aut injustos falsosve, fingentes quæ non sunt, in præjudicium alterutrius contrahentis aut tertii, ut venditiones, permutationes, fidei-commissa [468], etc.; aut hæc consulentes (*c*).

5° Cùm in damnum alterius datas (*dates*) falsas apponunt, aut veras immutant, etsi damnum non intendant.

6° Cùm falsò scribunt summam coràm se aut anteà solutam, si indè damnum eveniat parti alterutri aut tertio. Complices enim sunt contrahentium injustitiæ, si probabiles et fortes rationes habeant quòd ab eis decipiantur, et sic in aliis multis.

7° Cùm partium abutuntur confidentiâ ut contractus faciant sibi ipsis lucratorios, quod perfidia est.

8° Cùm ministris vel transcriptoribus aliquid committunt, si periculum sit erroris.

9° Cùm quid in *protocolo* (*la minute*) immutant, undè jus aliquod violetur aut impediatur (*d*).

10° Cùm actus communicant aliis quàm partibus, aut expeditionem absque sententiâ judicis, dant eidem alteram, ob pericula, etc.

11° Cùm, non sine alterius damno, testimonium aliquod necessarium non exhibent, occultant, aut transcriptum denegant suo clienti.

Item cùm non manifestant instrumenta iis quorum interest, legatariis, v.g., si hæredes moniti non solvant.

Imò prævenire debent partium exigentiam.

12° Si secundario loco scribentes non certiorant se anteà de validitate et justitiâ actûs.

13° Si culpâ suà *protocola* pereant; nullum enim pretiosius depositum (*e*).

(*a*) Non enumeramus hìc nisi peccata contrà justitiam. Alia autem notariorum sunt vel contrà charitatem, vel contrà juramentum, vel contrà veritatem, vel contrà constitutiones regias, v. gr., juxtà P. Gab. Ant. et Coll. Andeg. graviter peccant contrà juramentum, cùm actus usurarios conficiunt, etsi contrà justitiam non sæpè [468]. Jurant enim nihil in exercitio muneris facere contrà leges.

(*b*) V. gr., si accipiant testamentum hominis ratione destituti, aut loco testamenti quod perierit, simile conficiant. *P. Gab. Ant.*

(*c*) Si actus sit sub uno respectu justus, sed injustus notario appareat, non potest deferre dictis partium, nisi sint timoratæ et bonæ conscientiæ. Alioquin examinare debet et præcavere ne fallatur. *Coll. Andeg.*

(*d*) Etiam per formam interpretationis, vel ad supplendum clausulis omissis, de quibus partes convenerunt, nisi partes denuò conveniant. Finitum est enim eorum ministerium. Vel si mutando diem impediant jurium legitimorum prosecutionem. *Coll. Andeg.*

(*e*) Adde: Si uni suadeant ut mutuet alteri quem solvendo imparem sciunt, abutentes simplicitate partis unius in favorem alterius. *Collet*, *Coll. Andeg.*

§ II.

533. Scriba (*greffier*) dicitur qui ad omnia acta judicialia describenda et in librum referenda institutus est.

Plurima quæ de notariis, et de scribis dici possunt; sed insuper injusti

1° Si in distribuendis litibus, favori potiùs quàm ordini pareant.

2° Si in pronunciato judicis immutent, aut tabulas publicas adulterent.

§ III.

534. Apparitor (*huissier*) ille est qui ex officio vadimonia (*citations*) et mandata judicis defert, realesque perficit à judice decretas executiones.

Repetitis modò dictis injusti insuper sunt apparitores,

1° Cùm pretio aut favore corrumpi se sinunt in præjudicium clientis (*a*).

2° Cùm vadimonia simulant (*soufflent les citations*).

3° Cùm tempus ad acta juridica facienda præfixum non concedunt.

4° Cùm diem falsò adscribunt (*mettent de fausses dates*).

5° Cùm in licitationibus publicis non sat concedunt temporis licitatoribus, vel ut amicis vel ut sibi sub alieno nomine res adjudicent, similibusve utuntur fraudibus [470, 2°].

6° Cùm metu, aut pretio corrupti, mandata non exequuntur.

7° Cùm in actis verbalibus (*procès-verbaux*) falsum affirmant.

8° Cùm juxtà taxam *dietas* non computant.

(*a*) Sententiarum significationes protelando, negligendo, vel alia faciendo undè causa sint cur creditor solutionem accipere non possit. Item favendo quibusdam debitoribus solidariis, ut eos in executionibus non comprehendant.

APPENDIX

DE INJUSTITIIS PARTIUM LITIGANTIUM.

Qui postulat in civilibus, actor (*le demandeur*); in criminalibus verò, accusator aut denunciator appellatur, prout agit cum vel sine obligatione probandi.

Ille verò contrà quem postulatur, defensor in civilibus (*le défendeur*); reus (*l'accusé, le coupable*) in criminalibus vocatur

§ I.

De injustitiis litigantium in civilibus (a).

535. Injustæ sunt partes in civilibus litigantes,

1° Cùm nullum jus probabile aut saltem dubium (b), non in juris astutiis, sed in conscientiâ fundatum habentes, litem intentant aut defendunt.

In quo casu damna reparare debent, etsi causâ ceciderint, quia ad ea reparanda non semper sufficit sententiæ executio.

2° Si muneribus, etc., judicum integritatem corrumpant.

3° Si litis omittant instrumenta decretoria, et à fortiori falsa aut adulterata producant (c).

4° Si actus capiant, quos dicunt viales (*actes de voyage*) pro itineribus quæ nec ad novam actionem, nec ad novam scripturam producendam, sed præcisè ad litem sollicitandam, aut ad aliud negotium susceperunt.

Quòd si partìm ad novam actionem, etc.; partem solùm taxæ proportionaliter accipere possunt, nisi tamen solùm per accidens aliud negotium pro quo iter non fecissent, executi sint.

5° Si retineant quod sibi per sententiam formaliter quidem sed non materialiter justam, ob falsam, v. gr., facti præsumptionem, adjudicatum sit.

6° Si injustè, sine rationibus nempè quæ ad litem incipiendam sufficiant, sed ad afferendam parti adversæ moram, molestiam, lassitudinem, etc., à sententiâ appellent, fictève appellare minentur ut compositionem obtineant.

(a) Peccant ordinariè graviter contrà charitatem, qui litem movent etiam justam, sine causâ proportionatâ rei gravitati et litis incommodis, aut non tentatis omnibus moraliter viis conciliationis. Item qui, ut sæpè, litigant ex affectu malo.

(b) Ità ut jus habeatur cogitandi justum esse quod petitur. Sed defensor non tenetur tàm strictè fundum rei examinare. *Coll. Andeg.*

(c) Imò graviter illicitum sibi debitum per falsum recuperare, restituendique sumptus quos fecit debitor ob allegationem falsi. *Coll. Andeg.*: meritò.

§ II.

De injustitiis litigantium in criminalibus.

536. ACCUSATOR injustus est

1° Si falsò accuset, aut probare nequeat.

2° Si ex officio obligatus accusare, negligat, damnaque eveniant.

Eadem dic de denunciatore (*a*).

(*a*) Cùm ex officio non incumbit obligatio accusandi, solum charitatis officium est, et rarò existit, cùm per denunciationem ei suppleri possit.

Ut autem obligatoria sit accusatio, requiritur ut crimen vergat immediatè in reipublicæ detrimentum, quale crimen læsæ majestatis, falsæ monetæ, proditionis, hæreseos; aut in malum grave innocentis, utilisque futura judicetur.

Nec obligatoria est, si crimen sit merè præteritum aut causativum damni minoris quam valeat fama privati; nec si auctor certò sit emendatus et ad reparationem promptus.

Nec si per denunciationem juridicam possit æquè bono consuli; et facienda denunciatio, cùm sine gravi damno accusatio fieri nequit [246].

---

537. Reus verò injustus est, si sub prætextu quòd damnatus non fuerit, damna non reparet, vel non tanta quanta intulerit.

Et insuper si expensas, ad quas, ut bona sua recuperaret aut damna sanaret, coacta fuerit pars læsa, non refundat (*a*), si ea potuerit prævidere et prævenire.

Injustus item si defectus accusatoris aut testis occultos manifestet, ni fortè (*b*) id necessarium sit ut evadat.

(*a*) Reus ad pœnam pecuniariam justè damnatus, appellans etiam ex falsâ causâ, ad restitutionem hujus pœnæ probabiliter non tenetur, si in appellatione absolvatur. *Sanchez*, etc., contrà Beiam.

Nec qui juridicè interrogatus culpam negavit, tenetur ad pœnam pecuniariam ad quam fuisset damnatus; quia tunc violatur solùm justitia legalis. Hæcque est omnium praxis, inquit Delugo post Navarrum et alios communiùs.

Aliter tamen censent Sotò, Molina, etc., quia is cui pœna fuisset solvenda, eâ privatur modo injusto.

Cum Delugo sentirem in posteriori casu; ast contrà sancher in priori. Sed hic reus negans crimen, teneturne restituere expensas quas fecit gubernium in lite prosequendâ? Non videtur si ad eas in pœnam fuisset condemnatus. Secùs si in indemnitatem gubernii, nisi dici possit gubernium eas in se

suscipere; quod nec dicere certò audeo nec negare. Si teneatur, æque teneretur si non fuisset interrogatus. Frustrà casûs solutionem quæsivi.

(b) An autem tunc possit? Alii negant, quia testis jure invadit reum. Alii affirmant, quia injusta est accusatio, cùm testes non sunt omni exceptione majores.

538. Reus juridicè interrogatus, respondere ex justitiâ legali et obedientiâ tenetur, alioqui iniquè interrogaretur (a).

Juridicè autem interrogatur reus, cùm judex est competens sequiturque formam et ordinem juris, id est, non interrogat nisi post plenam aut semi-plenam probationem reo notificatam.

Semi-probatio exurgit ex depositione unius testis omni exceptione majoris ; ex famâ publicâ, aliisve sufficientibus indiciis.

Quin et complices manifestare tenetur reus quandò id exigit juris ordo, bonum publicum aut charitas.

Nota : Si reus non interrogetur juridicè, non potest tamen mentiri ; sed nihil respondere debet, aut appellationem interjicere, aut medium aliud justum adhibere (b).

Nota iterùm : Reus absolutus non tenetur crimen fateri, quia est extrà judicium (c).

(a) An autem mortaliter peccet crimen non fatendo, etsi, ex confessione suâ, morte aut aliâ gravi pœnâ plectendus sit? Communiùs docent et, ut videtur, multò probabiliùs, ob rationem modò allatam, licèt id naturæ repugnare appareat.

Cùm tamen non pauci sint qui contra sentiant, Billuart, etsi priori sententiæ adhæreat, non auderet damnare reum pro quo istorum opinio probabilior esset.

Si autem dubium sit an juridicè fiat interrogatio, juxtà plures, reus non tenetur crimen fateri, quia non, ut miles duci, judici suo debet reus obedientiam, sed ut causa principalis quæ agere debet secundùm suam formam moralem. Aliundè durum videtur et rationi incongruum quòd quis cogatur suscipere onus tàm grave ab eo qui fortè illud imponere nequit. Tandem *in dubio reo favendum est potiùs quàm actori.*

(b) Imò, si aliter evadere non possit, negare potest crimen, inquit Billuart, et dicere : *Non feci ;* quia non dicit falsitatem, sed simpliciter veritatem occultat, cùm, quod non potest probari, falsum reputetur in judicio. Non feci, idem est in his circumstantiis ac : *Non probor fecisse, non feci quod debeam fateri.*

(c) Nec, juxtà non paucos, antè fateri tenetur, si postquàm negavit, simpliciter denuò non interrogetur, quia præceptum transiit. Ast meliùs multis videtur præceptum perseverare, quoàdusquè saltem causa finita sit, aut reus evaserit. An autem expediat ut confessarius hunc reum moneat de proposito

non ampliùs negandi, si denuò interrogaretur (si quidem pœnitere debet eùm culpæ quam commisit, crimen negando), difficilè possem cum Serrà et aliis credere quòd non. Quomodò enim verè contritum credere queam eum qui instanti vix præterito peccavit (supposito quòd reverà peccaverit), si certus quasi sim quòd si propositum non ampliùs idem peccatum committendi ei exponeretur, illud abjiceret? Nam casus nequidem videtur, saltem practicè, idem ac casus duelli de quo n. 354, c.

Sed nùm, prolatâ sententiâ mortis, tenetur qui crimen negavit illud fateri? Non conveniunt. Qui affirmant dicunt reum sub potestate judicis esse donec sententia sit executioni mandata; reum censeri perseverare in falsâ suâ depositione publicâ, vel judicio iniquo perire, quod est justitiæ injuriosum. Addit Collet hanc fuisse Sorbonicorum doctorum praxim, cùm sontes ad patibulum comitabantur.

Qui verò negant, in hoc fundantur quòd, prolatâ sententiâ, totum videatur finitum; quæ sententia sat placeret. Sed ubi confessariorum, qui plectendos comitantur ad mortem, praxis contraria est, et opinio generalis viget reum damnatum teneri etiam post sententiam crimen fateri, scandalum et malam de se opinionem ingereret moriturus qui illud non fateretur. Aliundè hoc posset esse necessarium ad avertendum malum grave publicum, vel ut non plectatur aliàs innocens.

---

539. Jure naturali reo licet fugere, modò non cum resistentiâ publicâ, nec vim inferendo sive ministro se capienti sive custodi carceris, nec hos corrumpendo, nec violatâ promissione (*a*).

E contrà potest reus ex amore justitiæ se offerre judici. A fortiori potest damnatus collum, manus præbere, aliaque facere quæ à ministris justitiæ commodè fieri nequeunt.

Sed non venenum haurire, etc.

Injustè autem damnatus vi resistere potest. Sed si secundùm allegata et probata. id non potest regulariter ob scandala, etc.

(*a*) Juxtà multos, licet reo carceres infringere. Imò, juxtà non paucos, privati possent, non quidem eum in effodiendo juvare, sed præbere instrumenta, etc.

SECTIO II.

De injustitiis particularibus medicorum, pharmacopolarum, etc.

540. Hi injusti sunt

1° Si diu noctuque parati, curationem omnibus modis, attentione, examine, diligentiâ, visitationibus, etc., ut rei

gravitas postulat, non procurent, aliis consultatis, si oporteat, attentâ peritiâ, non amicitiâ.

2° Si è contrà, sine necessitate, alios advocent, eorumve, quia amici aut provecti ætate, contrà conscientiam, consiliis adhæreant.

3° Si jactent se peritos, cùm non sint; et à fortiori si tunc curationem pro tali pretio promittant, artem suam per modum mercaturæ exercentes.

4° Si curationem protrahant lucri causâ, visitationes inutiliter multiplicent, salarium nimium exigant (a).

5° Si remedium adhibeant dubium, dùm certum aut probabilius haberi potest (b).

6° Si ad ditandos pharmacopolas amicos, pharmaca præscribant superflua.

7° Si pharmacopolæ vetusta adhibeant pharmaca, aut fideliter non exequantur medici mandata.

8° Ii quicumque, qui puellis aut etiam fœminis remedia dant ad fœtum ejiciendum.

Nec possunt iniquâ charitate dare tunc remedium indifferens, ne aliâ viâ, aut alio facinoroso remedio abortus procuretur.

(a) Moneant ergò eos quorum interest, utrùm debeant visitationes continuare, cùm desperata est curatio.

(b) Si nullum, nisi periculosum, suppetat, et nulla curationis spes affulgeat, negant Azor et Sanchez periculosum remedium adhiberi posse, quia non licet aliquem exponere periculo breviori tempore vivendi.

Sed affirmant alii communiùs, quia melior est salus incerta quàm mors certa.

Nota : Alia medicorum peccata esse possunt, v. gr., pietatem, charitatem, castitatem non colere : remedia contrà legem Dei adhibere; carnis usum diebus vetitis faciliùs indulgere; alterutris detrahere; ægrotantes de sacramentorum susceptione non monere, occultantes forsan periculum [729, a].

SECTIO III.

De injustitiis custodum.

541. Custodes ii sunt qui sylvarum, agrorum, etc., custodiæ præficiuntur à principe, vel à communitate, vel à domino.

Quibus adjungi et in multis assimilari possunt præpositi ad gabellas (*les employés dans les douanes, etc.*)

Præter autem peccatum quod faciunt contrà juramentum, injusti sunt, et de damnis, in defectu delinquentium, pro ratione spei ea impediendi, tenentur ergà eos pro quibus pacto vel officio ad ea impedienda obligati sunt,

1° Si verè delinquentes in materiâ gravi, vel in levibus multis in gravem coalescentibus, non deferant intrà tempus determinatum (*a*).

Nisi tamen damnificatio facta sit ex necessitate, aut cum aliis circumstantiis quæ judicio prudentûm excusent, v. gr., si prudenter præsumi possit non esse voluntatis domini ut delinquens deferatur (*b*).

2° Si delationem debitè factam, posteà coràm judice ratam non habeant.

3° Si innocentes, aut pro damnificatione casuali deferant.

De muneribus quæ acceperunt ad non deferendum, vide dicta de acceptis pro re turpi [428].

(*a*) Quoàd mulctam ad quam deferendus fuisset damnatus, volunt veteres aliqui, et post ipsos P. Gab. Ant., et Collet, custodem qui non detulit, ad eam teneri ergà dominum à quo præpositus est pro ratione spei quam habebat illam percipiendi; quia dominus mulctæ damnum verè patitur ex omissione delationis ad quam cum eo se obligavit custos. Quamvis enim delinquens ad mulctam non teneatur antè sententiam judicis, custos tamen ex officio conductus est ad deferendum ac proindè se obligavit ad reparationem omnium damnorum ex silentio suo provenientium. Aliundè mulctæ sunt sanctio legis. Addi posse videtur dominum cum mulctis solvere custodes, quos non teneretur habere si non essent delinquentes, et ob hoc includi tacitè in quasi-contractu quòd delinquentes ob mulctam deferentur.

Negant è contrà plures post D. Bernardinum, Delugo, Sylvius, Lessius, etc., quia custodes obligant se solùm ad damna impedienda; ac proindè de iis sicut de damnificantibus ratiocinandum; addi potest mulctas non aliâ ratione imponi quàm pœnæ corporales. In his autem attenditur solùm ratio legis servandæ. Si tamen ex silentio damna augeantur, custodes ad ea reparanda tenentur.

Distinguit D. Dens : si mulctæ sint statutæ, non ut puræ pœnæ, sed in ordine damna aliqualiter reparandi, ut communiter præsumitur, inquit Steyaert et affirmat Collet, maximè cùm illæ mulctæ uni tertio elocantur, custos de illis tenetur. Secùs, si constitutæ sint per modum pœnæ ex intentione impediendi damna.

Hæc media sententia multùm arridet. Sed remanet difficultas. Sciendum enim quâ intentione mulctæ imponantur. Probabiliùs per modum pœnæ ad impedienda delicta. Rationi autem quâ fulciri videtur prima sententia,

nempè quòd, si non forent delinquentes, domini custodes habere et solvere non tenerentur, responderem hoc fieri per accidens.

Idem ac de sylvarum, etc., custodibus, dicendum videtur de præpositis ad gabellas, aut ad merces prohibitas introductione impediendas, de quibus mox. Custodum directa institutio est ut gabellæ solvantur et ut merces non introducantur aut non evehantur. Præpositi ergò custodes qui non deferendo causa sunt cur gabellæ non solvantur, tenentur eas solvere in defectu delinquentium. Ast qui per silentium, etc., causa sunt cur introducantur merces prohibitæ, aut evehantur, ad nihil tenentur nisi forsan ad aliquid, in bonum commune aut pias causas impendendum pro damno quod hinc patitur commercium nationale, et forsan pro eo quod patitur princeps pro imminutione vectigalium mercibus nationalibus impositorum. Fateor tamen hoc ultimum rigidè et à longiori concludi videri.

Nùm rigorosiùs diceretur custodem, qui sinit merces prohibitas invehi, non implere munus ad quod conductus est; ac proindè partem stipendii proportionatam teneri restituere, sicut operarius qui malè tempus insumpsit? Quin si dives sit, et alii ejusdem custodiæ præpositi pauperes, nonne in pœnitentiam justè obligaretur ad aliquid eis tribuendum pro parte quam habuissent in capturâ, si non fuisset impedita à malo custode?

Quoàd partem quæ regi advenisset ex mercium confiscatione, audivi ab uno e principalibus præpositorum, nihil ex eâ ipsi restare post sumptus litis. Notandum quòd nisi custos infidelis deliquerit actu, non apprehendendo merces prohibitas, sed solùm anteà colluserit cum eorum dominis, aut circitoribus (*les contrebandiers*), non magna spes erat quòd apprehensæ fuissent; ac proindè damnum reale quod ex collusione exsurrexit, si quod reverà natum sit, pro ratione spei æstimatum, multum minuatur.

Desiderarem, lector, posse in hâc materiâ asseverantiùs dicere.

(*b*) Notant aliqui meritò custodes peccare posse contrà juramentum, cùm damnis à delinquente reparatis aut à domino condonatis, delinquentes non deferunt; quia instituti sunt pro bono communi quod exigit puniri delinquentes.

APPENDIX

DE INJUSTITIIS PRÆPOSITORUM TRIBUTIS DISTRIBUENDIS AUT COLLIGENDIS.

542. Distributores vel partitores tributorum injusti graviter sunt

1° Si majora quàm sancita, distribuant.

2° Si non ad æqualitatem, habitâ ratione bonorum.

Undè, si ope commissariorum error irrepserit, hunc pro viribus reparent.

Item si a prædecessoribus commissa sit inæqualitas.

Non possunt tamen propriâ auctoritate distributionis modum mutare, si indè aliqui graventur.

Nec aliquibus parcere, nisi de consensu omnium, pro bono communitatis.

Nota : Cùm plures in distributione tributorum concurrunt, si unus inutiliter contrà injustitiam reclamaverit, conqueri debet apud verificatorem.

Hæcque de prædiorum tributo subjectorum æstimatoribus dicta sint.

---

543. Collectores verò injusti sunt

1° Cùm cives impendiis opprimunt injustis.

2° Cùm apparitoribus (*porteurs de contrainte*) suprà taxationem stipendia solvunt.

3° Cùm hæc stipendia inter morosos non justè distribuunt.

4° Cùm minis pecunias indebitas extorquent.

5° Cùm impensas ampliant, aut recepta minuunt, jura extendunt aut restringuunt.

6° Cùm fisco reddere differunt, quasi de suis in antecessum numerantes, ut nempè dona à gubernio accipiant.

7° Cùm in dubiis fisco favent.

Qui autem gabellas percipiunt, injusti sunt cùm merces negligendo inspicere, mercatores retardant, vel eas nimis festinanter inspicientes, *deteriorant*.

Et crudeliùs, si merces prohibitas in domos introducerent, ad eas ibi deprehendendum.

Nota : Si hucusquè dicti de injustitiâ publicè accusentur, cautè eos interroget confessarius, non omni rumori credendo.

Nota iterùm : Hæredes distributoris aut collectoris bonæ famæ dùm viveret, sed post mortem vagè accusati, ad nihil tenentur.

Secùs si malæ famæ cui non possit recusari fides.

Et ad aliquid, si famæ positivè dubiæ.

APPENDIX ALTERA

DE INJUSTITIIS ARTIFICUM ET OPIFICUM.

544. In genere hi (sedulò à confessariis interrogandi) injusti sunt,

1° Cùm opera aut operas non vendunt aut non elocant justo pretio (*a*).

2° Cùm occultos operum defectus non manifestant, et pro aliis non sat minuunt pretium [484].

3° Cùm, ex negligentiâ notabiliter culpabili eorum, in laborando, damnum patitur qui eos conduxit (*b*).

(*a*) Sicut injusti forent qui eos adhibent, si justum eis non darent salarium. Imò si operarius vel artifex convenerit minori quàm opus aut opera valet pretio, falsò putans rem tempore breviori se perfecturum, aut minori egere labore vel sumptu, tenetur conductor supplere defectum pretii; ex ignorantiâ enim, non spontè, in tale pretium consensit operarius. Hic ratiocinandum sicut in venditione. *P. Gab. Ant.* Excipiendum ab hâc justâ decisione, si conventio sit aleatoria (*à forfait, à gain ou à perte*), modò pericula sint utrinque paria; vel nisi conductor noluisset absolutè cum tantis impensis opus suum fieri. Vide Sect. 3, cap. 3, tituli 8, libri 3 Cod. civil.

(*b*) Hic habeto breviter præcipuas opificum in particulari injustitias, ex Coll. And. quoàd plures extractas. Injusti sunt:

Propolæ (*Joailliers*) qui adamantes infrà valorem ab ignorantibus emunt, aut etiam à scientibus, nisi, etc. [473].

Et qui compositos pro naturalibus divendunt, aut naturales taliter faciunt ut alii, aut alterius coloris appareant.

Aurifabri (*Orfèvres*) qui aurum aut argentum ità adulterant, ut non sint ampliùs juxtà præscripta (*au titre des ordonnances.*)

A fortiori qui intrà vacua plumbum infundunt.

Qui scalpella (*les poinçons*) imitantur. Tunc peccant contrà justitiam legalem et legem tributorum.

Et qui furtiva emunt, aut vetera infrà pretium justum.

Pictores, qui falsificatos adhibent colores;

Qui curiosis suprà pretium vendunt, et eo ampliùs injusti, quòd nonnunquàm picturas deterioratas per expurgationem reparatas; difficillimè enim tanti valent quanti si non deterioratæ. In his tamen magna est latitudo in pretio, et industriæ pictoris habenda ratio est.

Pannifices et lanifices (*Manufacturiers en draps, etc.*), qui lanam pretii minoris bonæ immiscent tantique divendunt quanti si tota bona esset, seu suprà pretium, vel vendunt iis qui non nisi ex bonâ lanâ integrè contextum emere volunt;

Qui initium et finem panni voluminis (*de la pièce*) ex meliori lanâ texunt;

Qui pannos nimis undequaque vi extendunt (*tirent trop les pièces à la rame*);

Qui pannos terrâ quâdam vel cinere, non sapone (*savon*) dealbant.

Et hæc de pannorum venditoribus (*marchands drapiers*), ubi necesse erit dicta sunto.

Nota : Nonnunquàm qui ex commissione pannos confectos visitant, operariorum fraudibus connivent.

Nota iterùm : Mercator deceptus in pannos emendo, eos remittat. Nec enim potest alios decipere.

TYPOGRAPHI et BIBLIOPOLÆ qui in majori quàm conventum est numero exemplaria excudunt, et sibi retinent;

Qui adulterinas editiones (*des contrefactions*) contrà jus privilegium habentis faciunt;

Qui emendatores habent imperitos (*de mauvais correcteurs*);

Qui papyrum non ejusdem adhibent qualitatis quam in programmate (*le prospectus*) promiserunt, vel malam bonæ immiscent;

Qui volumen separatum (*un volume détaché*) suprà valorem, in se, si aliundè hic valor legitimè accrescat, divendunt. Valor autem accrescit cùm quis facit illud speciale commercium;

Et qui libros mendis laborantes vendunt pro integris.

Quantùm verò saltem contrà alias virtutes peccent qui libros religioni aut bonis moribus adversantes excudunt, vendunt aut locant, quis excogitet?

MOLITORES qui grana immutant; molas attollunt; in eis denuò malleatis farinam non reponunt; ultrà timoratorum praxim pro salario, de frumento aut farinâ, etc., retinent (*coupent trop fort*), in famulatu fures habent, etc.

PISTORES (*les boulangers*) qui malè coquunt; pro ex tritico puro panem ex siligine, hordeo (vel fabis saltem in nimiâ quantitate) aliâve re immixtum divendunt, pondus imminuunt vel augent fraudulenter.

LANIONES (*les bouchers*), qui corruptas carnes, aut inflatas ut corpulosiores appareant (saltem si ob hoc cariùs) divendunt; vel non sat sanguinis extrahunt, ut pondus augeatur, vel ossa in nimiâ quantitate, etc.

SARTORES et SUTORES qui malè secant aut suunt, corio corrupto utuntur aut, ut cariùs vendant, vel ut petentibus calceamenta ex optimo corio integrè confecta fucum faciant, deterius in bono abscondunt.

PETASORUM OPIFICES (*les chapeliers*) qui petasos rursùm stipatos (*refoulés*) aut iterùm tinctos pro novis, aut à longiori tempore in officinâ extantes divendunt, faciuntve nimis concinnatos (*où il y a trop d'apprêt*).

TINCTORES, qui ex vetustis aut corruptis materiis colores efficiunt, aut quovis medio, adipe, etc., malè tingunt.

OPERARII in GENERE, qui mercede conducti (*les journaliers*) tempus deperdunt, alios cooperarios à labore avertunt, opus malè conficiunt.

Vide sect. 3, cap. 3, tit. 8, lib. 3 Cod. civ.

Hi omnes sæpè tacent in confessione suas injustitias.

PRÆCEPTI SEPTIMI

PARS II.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO PROUT INJUSTITIAM IN BONIS FORTUNÆ REPARARE PRÆCIPIENTE, SEU DE RESTITUTIONE.

545. Restitutio propriè dicta, quæ in genere est reparatio juris alieni læsi, sumitur hic strictiùs pro actu justitiæ commutativæ, quo res aliena, in se vel in æquivalenti existens redditur (*a*), vel damnum injustè in bonis fortunæ illatum compensatur.

Ut autem damnum injustè illatum sit, requiritur et sufficit ut actio vel omissio ex quâ sequitur injusta sit, et per se, modo imputabili, damnificativa (*b*).

(*a*) Nota : Si res aliena sit jam ità *deteriorata*, ut dominus de eâ parùm curet, non peccat qui eâ usquè ad ultimam deteriorationem utitur, modò pretium restituat. Idem dic de fure occulto qui rem non posset reddere sine gravi infamiâ, etc. Ità meritò P. Ant. à Gorltiâ.

(*b*) Actio est per se damnificativa, quandò ut plurimùm damnum ex eâ, attentis circumstantiis, sequi solet, ut ex jactu lapidis in hominem. Secùs si ex eâ ut plurimum sequi damnum non soleat, sed necesse sit intervenire quid aliud quod causa sit physica vel moralis talis damni, v. gr., si avarus moriatur ex dolore concepto ob furtum ipsi factum, aut si quis leviter vulneratus in morbum gravem incidat propriâ incuriâ, præsertim si hæc non fuerint prævisa. *Theol. Pict.* Si damnum fuerit prævisum tenetur. *P. Gab. Ant.* qui in hoc rigidior videtur.

CAPUT I.

DE PRÆCEPTO RESTITUTIONIS IN SE CONSIDERATO, ET CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

SECTIO I.

De præcepto restitutionis in se considerato.

546. Qua ratione prohibetur juris alieni læsio, eâdem sub gravi ex genere suo præcipitur illius reparatio (*a*).

Præceptum hoc, quâ prohibens ne res aliena voluntariè

sine causâ retineatur, obligat semper et prosemper, ut aiunt, id est, singulis instantibus, ità ut toties peccetur quoties cum advertentiâ moraliter possibili continuatur juris alieni læsio per voluntatem interpretativam hujus læsionis, aut formalem non restituendi (*b*).

(*a*) Videtur tamen, contra Esparza, a gravi obligatione restituendi, ac proindè à peccato mortali liberari qui summam levem solùm restituit, si hâc à gravi quam debet detractâ, summa quæ restituenda remanet levis sit.

(*b*) Interrogandi ergò pœnitentes an semper restituere potuerint, quotiesque non restituendi aut injustitias continuandi renovaverint voluntatem.

Quin sunt adeò rudes ut autument se non teneri furtum confiteri, etc., si statim animum habuerint restituendi.

---

547. Prout autem affirmativum, præceptum restitutionis quàmprimùm, moraliter loquendo, impleri debet [737], ità ut graviter peccet vel leviter, qui, sine causâ sufficienti, attentis qualitate et quantitate rei restituendæ, damno quod patitur dominus, etc., differt illius impletionem (*a*).

(*a*) Hinc 1° mortaliter peccant in materia gravi qui nonnisi coacti restituunt aut solvunt. Et sæpè qui, invito creditore, summam dividunt, dùm totam unâ vice solvere possent.

Si tamen nullum tempus sit expressè aut tacitè pro solutione præfixum, de damnis non tenetur debitor, nisi creditor tempore congruo solutionem exegerit; quia censetur dilationem concedere. Sed si tempus præfixum sit, de damnis tenetur, si, ut debet, hoc tempore non solvat, etiam tacente creditore; quia tempus pro ipso interpellat. *P. Gab. Ant.*

Juxtà multos creditor tenetur monere de damno extraordinario si facilè possit, quia debitor solutionem acceleraret; alioquin creditor foret propria causa sui damni. *Theol. Pict.*

Hinc 2° graviter peccare censendi sunt ordinariè qui summam, etiam non multùm notabilem, sine causâ sufficienti ad mortem differunt restituere, aut dubia in materiis justitiæ discutienda hæredibus derelinquunt. Deneganda iis absolutio.

Et deneganda moribundo qui sine magno incommodo rei gravitati proportionato, hìc et nunc quoàd totum vel quoàd partem restituere renuit. Consulendum tamen famæ ejus, sufficereque, omnibus pensatis, sæpè posset ut viro probo, aut (quod rarius) hæredibus summam restituendam committat.

Quòd si moribundus nec pecuniam, nec aliud quod consignari possit, in promptu habeat, obligationem scripto faciat, vel potiùs testamentum in quo si famæ conservatio permittat, summam creditori legabit vel alteri præmonito qui illam reddet creditori.

Quandò summa non est notabilis, sufficit ordinariè ut uxor, filii, hæredes vocati, promittant coràm parocho et testibus discretis (si necesse, et famæ moribundi consulendò) se restituturos. Hæc praxis sæpè insufficiens.

Quin absolvendus foret, non judicatus aliundè indignus, cui hæc faciendi

tempus non suppeteret. Tunc prudentia sæpè permittit ut de moribundi consensu confessarius hæredes moneat.

Nota : Schedula alteri quàm creditori facta sæpè inutilis remanet ob hæredum obmurmurationes aliaque incommoda. Medium ergò aliud adhibendum, si possibile. Sed non sinat ordinariè confessarius aut pastor ut sibi fiat chirographum.

SECTIO II.

De causis à restitutione excusantibus.

HÆ à totali vel partiali solum, pro semper vel pro nunc tantùm, à restitutione excusant; suntque

EX PARTE REI RESTITUENDÆ [358, *b*].

548. Ipsius rei in specie interitus sine culpâ et morâ furis, si jam manifestè apparebat eam apud dominum certò brevi perituram. Tunc enim nullius valoris est (*a*).

(*a*) V. gr., inquit Billuart, furatus es equum ità manifestè ægrum, ut antè diem fuisset moriturus; boves ab irruentibus hostibus et apud dominum et apud te jamjam abducendos; supellectilem et apud dominum et apud te jam flagrante incendio consumendam. Habebantur hæc ut moraliter perdita, nec cœperunt apud te valere, cùm semper fuerint in eodem periculo, et in eo perierint. (In dubio restituendum pro ratione dubii. *D. Bouvier.*)

Hæc à paucis negarentur; sed multùm disputatur an idem dicendum sit de casu in quo injustus possessor esset in morâ culpabili, et res casu fortuito, sine ejus culpâ periret quæ casu itidem fortuito et eodem tempore certò periisset apud dominum, ut in universali incendio, naufragio, etc. Supponitur quod injustus possessor rei dominium non acquisierit, sive eam ut vinum, suis in majori saltem quantitate immiscendo, sive alio modo.

Juxtà communiorem hìc fur non tenetur restituere, quia res perit domino et ejus acceptio non est damnosa, sicut injustus occisor non tenetur de impensis funeris, nisi hæredes occisi majores, ob injustam occisionem fecerint quàm si morte naturali ipsorum auctor fuisset mortuus.

Qui contrà sentiunt dicunt injustum detentorem esse semper in morâ culpabili, et semel obligatum non posse absolvi per casum fortuitum. Verum intulit damnum, quia res verum habebat valorem ex eo tempore quo ablata est. Periculum rei in se suscepit. Et sic juristæ jam olìm communiter.

Jus civile Gallicanum (1302) distinguit inter rem ex contractu debitam et rem furto ablatam : « De quelque manière que la chose volée ait péri ou » ait été perdue, sa perte ne dispense pas celui qui l'a soustraite, de la res» titution du prix. » Sed hæc dispositio non magis jus naturale indicat quàm jus illud contrarium indicabat lex *si plures hœredes* § *sive autem*, in quâ statuitur depositarium qui renuit depositum reddere, debere à restitutione liberari, si res deposita apud ipsum pereat, simul peritura, etsi restituta fuisset.

Sententia communior injustum possessorem à restitutione in dato casu eximens probabilior videtur ex ratione ipsâ quam contrà eam affert Billuart, dicens hunc duplici titulo teneri, ex re acceptâ nempè et ex injustâ acceptione; priorem quidem titulum extingui, sed non posteriorem nec jus pro domino ex eo resultans, quod est jus in personam. Jus enim illud non est nisi quasi accessorium prioris et quædam ejus dependentia solùmque valet pro damnis extrinsecis. Aliundè res perit pro domino cùm nullius culpâ perit. Injustus autem detentor non est causa cur pereat, sed solùm quòd pereat hìc potiùs quàm illìc. Negarem quòd periculum rei in se susceperit pro hoc casu, sed solùm pro casibus quos apud dominum non subiisset.

Sed si res non certò periisset apud dominum, restituendum totum, inquiunt P. Gab. Ant. et Collet, quia in dubio melior est conditio innocentis et possidentis. Fateor me non sentire vim hujus rationis, nec videre justam hìc applicationem principii : *In dubio*, *etc.* Saltem restituendum foret pro ratione dubii; imò quamvis nullum esset dubium et, vel ob momenta sententiæ contrariæ, prudenter restitutio aliqua præciperetur in pœnitentiam saltem. Principia sunt hìc forsan sat dubia ut, etc. Feliciter casus rarissimus est.

Ast sedulò notanda est tota casûs positio; nam 1° si res apud dominum peritura fuisset, non casu fortuito, sed per injustitiam alterius, sicut prior fur alterum præcessit in delicto, ità et præcedit in obligatione, seu potiùs solus eam habet.

Item si non eodem tempore fuisset peritura. Nam si antè periisset apud dominum, fur debebat eam reddere, et mora ejus culpabilis causa fuit cur res perierit. Si autem post periisset apud dominum, obligatio semel contracta eam reddendi, seu potiùs ejus valorem, non extinguitur, inquiunt. Res enim tunc non periit domino, sed furi sub cujus erat præsidio.

EX PARTE CREDITORIS.

A restitutione excusant

549. 1° Compensatio quâ usus fuisset ergà debitorem, modò iste eam certò cognoscat (*a*).

Item solutio à debitore facta creditori creditoris sui. Licèt enim illicita, verè tamen liberat; sed monendus creditor ne iterùm solvat.

(*a*) Compensatio fieri etiam potest, inquiunt aliqui, per aliquid æquivalens à debitore creditori aliunde collatum, per donationem, v. gr., aut alicujus beneficii collationem, per legatum, aut illi procurando aliquod officium, supposito quòd debitor intentionem habeat per hæc suo debito satisfaciendi. Sed ad minùs certus esse debet debitor hæc suo creditori æquè placitura ac restitutionem, et eum ad omnimodam æqualitatem fore compensandum. Et supponitur rem alienam non existere in individuo, aut sine incommodo ipsius gravitati proportionato reddi non posse nisi in valore. Tandem curandum esset ne creditor credens sibi collatum esse beneficium gratuitum, remuneret.

550. 2° Condonatio legitima, saltem, quod non frequens, prudenter præsumpta.

Difficiliùs præsumitur cùm debitum est ex delicto quàm cùm ex contractu, et longè difficiliùs adhùc pro extinguendâ quàm pro differendâ restitutione (*a*).

Ut verò legitima sit restitutionis condonatio, requiritur.

1° Ut fiat ab habente potestatem, qualem non haberet quivis à naturâ vel ex dispositione legum ità in utroque foro inhabilis et impeditus in bonorum suorum administratione, ut condonatio haberetur ut nulla.

2° Ut sit simpliciter libera, quia donatio est [522] (*b*).

(*a*) Condonatio prudenter præsumpta non liberaret, si alter de facto non condonaret. Sed intereà prudenter præsumens, in tutâ esset conscientiâ.

(*b*) Nulla ergò remissio partis valet, si fiat ne culpâ saltem gravi vel fraude debitoris totum amittatur. Nulla quæ fieret coactè, nempe ad vitandas molestias, lites, etc., vel debitori fingenti se pauperem, aut, quod non rarum, ut levem exponenti summam quæ tamen gravis esset.

551. 3° Si creditor re suâ sit abusurus in suî aut alterius perniciem. Tunc statim restituens peccaret in priori casu contrà charitatem, et in posteriori insuper, juxtà communem, contrà justitiam, si posset sine gravi damno differre [262, 263] (*a*).

(*a*) Si creditor re suâ sit semper abusurus, committenda est superiori. Et si semper maneat nociva, nulli utilis, ut liber planè pestilens, pictura nullius usûs nisi pravi, abolenda. Deus, et meritò. Nullius enim est valoris, nec ad eam quis jus verum habere posse videtur.

EX PARTE DEBITORIS.

A restitutione excusant

552. 1° Impotentia, vel solùm moralis, seu magna difficultas, cùm scilicet restitutio fieri nequit nisi cum tanto incommodo aut damno, ut dominus non possit esse rationabiliter invitus quòd omittatur aut differatur.

Hâc autem impotentiâ laborare censentur

Qui restituere nequeunt quin se suosve necessarios, ascendentes nempè aut descendentes et uxorem (*a*) in extremam aut gravem conjiciant necessitatem; nisi tamen creditor in

eâdem futurus sit, si de gravi agatur; aut si de extremâ, in extremam, ex ablatione rei suæ sit dejectus;

Qui restituendo paterentur, in rebus indebitis, damnum longè gravius quàm quod ex dilatione restitutionis patitur dominus, v. g., si agrum viliori pretio vendere cogerentur (*b*); si à statu justè acquisito exciderent, aut hujus amittendi periculo gravi sese exponerent; nisi creditor ipse excidere debeat, et nisi usuris, concussionibus, aliisve injustitiis statum adepti sint aut fortunam ædificaverint (*c*);

Tandem qui restituere nequeunt absque gravi detrimento bonorum superioris ordinis, animæ nempè, corporis aut famæ suî vel suorum (*d*).

Excipe si bonum superioris ordinis ità parvum, et bonum ordinis inferioris restituendum ità magnum sit, ut prudentes æstiment istud pluris valere in ordine ad vitam civilem [358, *b*] (*e*).

Nota : Si in casibus his dominus damnum patiatur ex dilatione restitutionis, de hoc tenebitur ex justâ etiam causâ restitutionem differens, si ex actione peccaminosâ vel morâ culpabili ad eam teneatur, quia illius est causa injusta (*f*).

Nota iterùm ; Tamdiù differri potest restitutio quandiù impotentia durat. Sed parcendum sumptibus et laborandum ut paulatim saltem et successivè fiat (*g*).

(*a*) Quidam addunt fratres et sorores qui forent in tenerâ ætate, nec possent sibi providere, et probabiliter adhùc, si absquè suâ culpâ ad necessitatem gravem redacti essent. *D. Bouvier.* Hìc ex circumstantiis dijudicarem.

(*b*) Damnum eveniens in rebus non debitis debet esse saltem duplò majus juxtà communem, quàm quod patitur dominus. *Theol. Pict.* Id non videtur posse adamussim determinari.

Ast privatio spei lucri magni non est causa restitutionem differendi, nisi prudenter speretur per hoc eventurum ut omnibus creditoribus satisfiat, quod aliter foret impossibile. Non tamen facilè huic spei fidendum pro iis qui hucusquè negotia sua malè gesserunt.

Sed si quis restitutionem distulisset, suppositâ causâ justâ lucri percipiendi, quamvis necessitatem domini ignorans non peccasset, damnum emergens reparare deberet, quia non licet cum alterius damno ditari et melior est conditio creditoris. *D. Bouvier.*

(*c*) Si tamen ignoretur statum esse injustè acquisitum, et è statu excidens debeat indè infamari, causa est sufficiens ad differendam restitutionem. *P. Thomas.*

E statu excideret vir primarius qui artem mechanicam exercere; illustris

qui omnes famulos ejicere deberet, etc. Ii tenerentur tamen parcè vivere; et supponendum, juxtà multos, quòd sumptibus, ludo, etc., in necessitatem non se conjecerint.

(d) Ut si timendum sit ne filia ex fragilitate se prostituat, ne debitor labatur in desperationem. *P. Ant. à Goritiâ.*

Sed nota sedulò quoàd famæ jacturam multa esse media illam restituendo conservandi, restitutionemque publicam sæpiùs medium esse illam recuperandi et scandalum tollendi.

Monendus sæpè ille cui secretò fit restitutio.

(e) Sic plura aureorum millia pluris æstimantur quàm fama personæ vilis.

(f) Item si ex contractu teneatur, et restitutionem distulerit ad vitandum damnum aliquod grave, non ob necessitatem extremam vel gravem. Tunc enim melior est conditio creditoris. *P. Gab. Ant.*

(g) Qui ob impotentiam restituere non potuit, si bonum aliquod, v. gr., domum, supellectilem relinquat, debet, modo magis possibili, famæ non nocivo, curare ut ejus pretium transeat ad creditores, nisi filiis, etc., hæc necessaria sint, quod rarum; nam qui adeò levem accipiunt hæreditatem ordinariè inter plures dispertitam, eà indigere non videntur ad suam conditionem sine casu gravi sustentandam, cùm pauperes sint, et labore vivant.

---

553. 2° Donatio à debitore facta creditori cum intentione se liberandi, si debeat.

Undè, si debiti sui immemor sit, non liberatur nisi subsidiariam et conditionalem habeat voluntatem saltem generalem (a) solvendi aut restituendi (b).

(a) Sic Collet qui addit necesse non esse ut toties renovetur intentio quoties aliquid donatur. Undè, inquit D. Dens, qui obligatus ad dandum in pias causas, dat eleemosynas, censetur liberatus propter virtualem intentionem omnium dantium eleemosynas, satisfaciendi cuivis obligationi ex peccato vel negligentiâ contractæ. Ità etiam fere Habertus.

Sic se liberant eleemosynas faciendo qui pluribus furta levia fecerunt. *Idem.*

Verùm juxtà P. Gab. Ant. sola actualis dispositio voluntatis, non autem conditionatè futura attendenda est, et operatur in pactis, et quod non existit in actu nihil efficere potest. Et sic alibi Collet.

Attamen durum esset iterùm ad restitutionem obligare eum qui sibi proposuisset nunquàm donare ei cui deberet, nisi in solutionem, saltem si identidem propositum renovet, quamvis in instanti quo donat, de hoc non cogitet, maximè si ex signis et conjecturis judicetur quòd velit se liberare.

(b) Addunt non sufficere quòd si scivisset se debere, non donasset; quia donatio non est nec esse potest solutio. Attamen durè solutio et à fortiori ad minùs restitutio propriè dicta tunc exigeretur, quia fuit aliquis saltem error in donatione. Nec negare vellem posse dari casus in quibus prudenter præsumeretur voluntatem domini non esse ut restituatur. Hæc solùm dicere queo.

---

554. 3° Cessio bonorum (*bilan*), remedium ultimum

miseris, sed quod non conceditur pro debitis ex delicto, nec concedendum si res sciretur, pro debitis ex contractu ei qui suâ culpâ, v. gr., ob crapulam, vitam luxuriosam, prodigalitatem factus est debitis impar. Respectu talis, inquiunt, locum habet : *Qui non habet in ære, luat in pelle.*

Sive autem voluntariè, sive obtento legis beneficio, fiat cessio bonorum, non liberat à solutione nisi in quantùm valent bona creditoribus derelicta, et si nova adveniant cedenda sunt usquè ad perfectam solutionem (1270). Vide § 5, sect. 1, cap. 5, tit. 3, lib. 3 cod. civil.

Ergò foro cedens debet, si possit, bona acquirere ut reliquum solvat.

Ergò iterùm cessio bonorum solutionis obligationem sòlùm suspendit, ut necessitas.

Attamen absolutè fieri potest ut creditores liberè cedant misero quæ posteà lucrabitur. Sed ordinariè inviti, pro parte debitorum componunt, et eò magìs quòd sæpè bonorum cessiones fraudulentæ sint, quod cognoscitur præcipuè ex eo quòd foro cessuri denuò mutuo accipiant et emant creditò, in quo peccant graviter.

Possunt tamen ex justè acquisitis aut posteà acquirendis retinere ad parcam suî suorumque sustentationem, attento suo statu, nisi à judice ad hoc accipiant [552, *c*] (*a*).

Et hæc dicta sunto de litteris moratoriis (*lettres de répit*) (*b*).

Nota : Rarò licet concurrere ad substractionem eorum quæ foro cedentes sibi ad vivendum necessaria existimant, quia qui eos adjuvant non sunt sat certi quòd non nisi necessarium abscondant.

A fortiori debitis fictis concurrere illicitum.

(*a*) Et excusantur uxores filiive quorum parentes sine eorum culpâ, ad penuriam extremam redacti sunt, cùm post eorum mortem de eorum bonis occultant quantùm ad aliqualem sui statûs conservationem sufficit. *P. Jos. Ant.*

Sed in his ad minus caveatur perjurium. Nec certò, ut volunt plures, vitari videretur per hanc restrictionem : *Nihil abstuli quæ retinere non liceat.* Judex enim jus videtur habere ut ipsi dicatur quod reverà est. Ad ipsum pertinebit dare foro cedenti undè vivat.

(*b*) Sed non sint obreptitiæ aut subreptitiæ, nec iis utatur debitor in damnum creditorum, bona sua occultando, amovendo, etc.

555. 4° Compositio a S. P. obtenta, cùm nempè ignoratur cui fieri debeat restitutio, et ejus relaxatio haberi potes' ut restitutio in pias causas (*a*).

(*a*) Hic ponunt plures tanquàm aliam causam à restitutione excusantem, ingressum in religionem, modò, inquiunt DD. Thomas et Antoninus, ingrediens bona sua cesserit, et non possit intrà breve tempus satisfacere. Ast contrarium videtur, si sit spes quòd remanens in sæculo ad restituendum, longo etiam tempore lucraturus sit undè se liberet, quia ingressus in religionem de consilio est, restitutio autem de præcepto.

Professio tamen valida esset, et religiosus teneretur solùm, cum superiorum licentiâ, honestè lucrari quantùm posset ad restituendum.

CAPUT II.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS, SEU TITULIS EX QUIBUS ORITUR EJUS OBLIGATIO.

556. Cum agitur de restitutione propriè dictâ, hi tituli ad duos revocari possunt, suntque

1° Res aliena existens in se, vel in æquivalenti apud eum apud quem de jure non debet esse. Hoc vocabatur *res accepta*.

2° Damnificatio quævis formaliter injusta seu omnis talis juris alieni realis læsio, sive per rei alienæ, etsi perierit, ablationem, sive per simplicem damnificationem, absque ullius rei ablatione. Hic titulus dicebatur *injusta acceptio*.

Sæpè ergò concurrunt hi duo tituli.

Cùm autem merè ex contractu, aut ex legis dispositione vel judicis sententiâ aliquid debetur; cùm solvitur, non fit propriè dicta restitutio.

Ergò ex læsione juris alieni merè affectivâ nulla oritur restituendi obligatio. Tunc enim nedùm reponeretur, tolleretur æqualitas.

557. Hinc 1° restituere tenetur qui ponit actionem de se vel ex circumstantiis damnificativam, si damnum sequatur reapsè, etsi non intenderit, diligentiamque, ut non eveniret, adhibuerit, modò potuerit ac debuerit illud prævidere (*a*).

Et idem dicendum de damnis secutis aut lucris cessantibus ex omissione actionis ex justitiâ debitæ, aut ex non solutione tempore præfixo.

In dubio autem an causa damni fuerit posita, aut à quo; vel an damnum sit secutum, vel ex causâ positâ aut ex aliâ; restituendum pro ratione dubii [573, *a*].

Imò cùm jure naturali quisque debeat actiones suas sive in se, sive in effectibus moderari, ità ut, quantùm moraliter fieri potest, non noceant alteri contrà rationabilem ejus voluntatem, restituere tenetur qui, etiam inculpabiliter posuit causam damni, faciendo, docendo, consulendo, dicendo, si eam, quantùm potest sine gravi incommodo, non tollat.

Ab his tamen casibus excipiendus videtur casus in quo qui ponit actionem periculosam, prævidens damnum ex eâ eventurum alteri, jus habet eam ponendi et jus suum non excedit; quia ex lege 193 de regulis juris, *nemo damnum facit nisi is qui facit quod facere jus non habet*, et ex axiomate : *qui utitur jure suo, nulli facere videtur injuriam,* quia jura non sunt contraria (*b*). Diligentiam tamen adhibeat, ne eveniat damnum.

(*a*) Si autem actio non sit damnificativa nisi per accidens, ità ut non sit vera causa damni, sed solùm conditio sine quâ non eveniret damnum, non videtur ad restitutionem teneri qui illam posuit; v. gr., Titius occidit Joannem prævidens homicidium, ob inimicitias, minas, etc., imputandum fore Petro, non tenetur de damnis quæ indè patitur Petrus, nisi ad refundendum ipsi quod coactus est solvere hæredibus Joannis, in quantùm deductivè ipse illis debet. Quia actio Citii non est damnorum imputationis præcisè vera causa moralis, sed solùm conditio sine quâ facta non fuisset imputatio. *Dens*, etc. Alii tamen, ut P. Gab. Ant., Vasques et Wiggers, aliter sentiunt, quia occasio est æquivalenter causa.

Delugo, Lessius et alii communiter talem non obligant nisi intenderit; tunc enim ut causa haberetur. Et sic de pluribus aliis casibus similibus.

(*b*) Supponitur quòd utiliter et non animo nocendi utatur quis tunc jure suo; nam in hâc suppositione jus unius juri alterius prævalet illudque dirimit, seu potiùs jus alterius non est nisi conditionatum, ac proindè illa duo jura non opponuntur.

Ergo qui sine utilitate torrentem in alium derivat, injustus est, quia actio est per se injuriosa et nocens, etsi jus habeat. Si autem cum utilitate et non animo nocendi, non est injustus, quia merè permissivè se habet.

Ergò iterùm secundùm leges : *Si præcindis venas in tuo fundo per quas derivatur aqua in puteum alterius animo nocendi, teneris ad restitutionem; si animo utilitatis tuæ, non teneris,* quia opus tuum ex naturâ suâ et in his circumstantiis est læsivum juris alterius. Secùs si propter rationabilem cau-

sam facis. In priori casu, ob tuam intentionem censeris causa voluntaria damni, non in posteriori. *P. Gab. Ant. Billuart, Dens.*

Nota : Sæpè injusti sunt qui non cavent pro incendiis, qui venena muribus, etc., insidias bestiis feris, etc., præparant. Et salis nitri coctores (*les salpêtriers*) qui non curant ne ex aquâ in quâ sal macerant, jumenta bibant.

---

558. Hinc 2° restituere è contrà non tenetur qui per actionem nullatenùs culpabilem (*a*) damnum intulit, saltem extrà contractum (*b*) et si per leges ad illud reparandum obligetur, non tenetur antè sententiam judicis.

A fortiori, saltem adhùc extrà contractum, si damnum sine ullâ suâ negligentiâ à personis de quibus respondet aut à suis animalibus causatum sit. Vide totum cap. 2, tit. 4, lib. 3 cod. civ.

Sed si damnetur consequenter ad leges, tenetur, quia leges hæ et sententiæ judicum, non solùm in pœnam præsumptæ culpæ (quæ reverà non fuit) sed ob bonum publicum factæ sunt, ut nempè homines attentiores reddantur.

Evidentiùs adhùc nemo tenetur de casu fortuito, nisi ad id se obligaverit, aut res aliena *deteriorata* fuerit, aut perierit in alio usu vel loco quàm fuerit conventum, ut si equum, ad unum iter tibi concessum ad aliud valdè diversum duxeris. Saltem tunc damnareris in foro externo.

(*a*) Si actio sit venialiter peccaminosa, ratione levitatis materiæ, sub veniali solùm restituendum est, saltem si actio fuerit plenè deliberata.

Ast quid si damnum grave illatum sit per actionem venialiter peccaminosam, ob imperfectionem actûs, quia, v. gr., actio non fuit plenè deliberata, vel levis fuit inadvertentia ? Hic mirè variant auctores. Alii, Vasques, Turrianus, de Coq, Henricus à sancto Ignatio, ad totum restituendum obligant sub gravi, quia actio est secundùm se tota voluntaria, cùm potuerit et debuerit vitari.

Alii ad totum, sed sub veniali solùm, obligant, quia obligatio non potest esse major suâ causâ, culpâ nempè; et tamen totum damnum ex culpâ venit.

Alii, Molina, Grandin, Habert, P. Gab. Ant., etc., obligant ad partem proportionatam gravitati majori vel minori culpæ venialis, quæ pars, ait Collet, potest esse gravis, undè sub gravi resultaret obligatio. Quam consequentiam alii negant.

Tandem alii, Navarrus, Lessius, Delugo, Bonacina, Sylvius, Esparza, etc., ad nihil obligant, quia nullus, nequidem illubenter, factus est à delinquente contractus implicitus, seu quia nulla obligatio perfecta resultare potest ex actu imperfecto. Et hæc sunt principia circà vota, circà contractus.

Prima sententia ob suam nimiam rigiditatem communius et forsan communissimè rejicitur.

Et secunda sententia communiùs rejicitur. Non parùm tamen movet ratio quâ fulcitur, nec repugnare videtur 1° quòd non sit tunc proportio inter vim obligationis et illius objectum; nam potest quis in voto obligare se sub levi in materiâ gravi. Et id possunt legislatores. Nec 2° ob eamdem rationem repugnat quòd quis non nisi venialiter peccet retinendo objectum grave, imò gravissimum, quod debet restituere. Aliundè impropriè dicitur quòd retineat bonum alienum grave; nam solummodò non satisfacit obligationi levi reparandi damnum quod grave est.

Non malè fundata videtur tertia sententia, cui assentit Billuart, non diffitens omnes alias probabiles. A patronis hujus sententiæ in hoc dissentit tamen quòd tertiam, decimam, etc., partem restituendam, ad judicium prudentûm æstiment, dùm ipse non nisi quinquagesimam, octogesimam, et quidem solùm sub levi, sicut ferè omnes hujus sententiæ asseclæ.

Quarta sententia magis mihi arridet.

Cæterùm omnes notant pro praxi difficile esse intervenisse culpam solùm venialem, sed mortalem censendam, quia externa facilè sui periculum ingerunt et fortiùs mentem excitant ad sui considerationem aut saltem ad confusam periculi cognitionem.

Attendenda tamen ætas, ingenium et modus ordinarius agendi damnificantis, aliæque circumstantiæ; et in dubio gravitatis culpæ restituendum foret pro ratione dubii, vel condonatio petenda, aut compositio amicabilis facienda.

(*b*) Et hìc scinduntur theologi. Volunt enim multi non necesse esse quòd actio damnosa sit theologicè culpabilis seu peccaminosa, ut quis in contractu, saltem expresso, v. gr., in locatione, commodato, deposito, etc., ex eâ teneatur antè sententiam judicis; sed sufficere quòd sit juridicè culpabilis, seu quòd culpa in foro civili præsumatur. Nam, inquiunt, qui contrahunt, contrahere censentur juxtà præscripta legum, et se saltem implicitè obligare ad eam, quam requirunt, diligentiam, se subjicientes huic oneri à legibus imposito ob bonum commune ad excitandam diligentiam circà res alienas, et ut facilè contractus ineantur. Nec enim, addunt, leges illæ fundantur præcisè in præsumptione culpæ theologicæ, sed in æquitate et honestate naturali; earumque dispositio non tàm videtur pœna quàm conditio contractibus apposita. Et addi forsan posset periculum in his casibus solvendi esse partem pretii, idemque esse ac si de casu fortuito conventum sit.

Alii è contrà dicunt neminem censeri se obligare pro casu fortuito, nisi speciale pactum intervenerit, culpamque merè juridicam seu nullatenùs peccaminosam casui fortuito æquiparari. Addunt leges sic esse usu receptas.

Prior sententia videtur communior et sat probabilis est adhùc ab intrinsecò. Aliundè ad assensum non rapit comparatio culpæ merè juridicæ cum casu fortuito, in præsenti quæstione, quæ tamen ratio fundamentum est sententiæ posterioris.

Ast in praxi res ordinariè ad judicem defertur, aut fit amicabilis compositio. Si neutrum esset possibile, videtur restituendum pro ratione dubii, ex oppositione sententiarum exurgentis, favendo tamen debitori.

Nota 1° : Quandò jus dicit creditorem teneri probare culpam debitoris, ut : (1808) « en cas de contestation (dans le bail à cheptel), le bailleur

» est tenu de prouver la faute qu'il impute au preneur. » Debitor, si non sit in culpâ theologicâ, non tenetur anteà solvere.

Sed è contrà quandò debitori incumbit probare damnum non evenisse ex suâ aut suorum culpâ, ut : (1732) « Le preneur répond des dégradations, à » moins qu'il ne prouve qu'elles ont eu lieu sans sa faute ; et de l'incendie, » à moins qu'il ne prouve qu'il est arrivé par cas fortuit ou vice de con» struction, etc. » Et : (1784) « Les voituriers par terre ou par eau sont » responsables de la perte et des avaries, à moins qu'ils ne prouvent que » c'est par force majeure ou cas fortuit. » Quid tunc ? casus est ipsemet de quo in hâc notâ.

Cæterùm cùm creditor non prosequitur debitorem in judicio, hic certò non tenetur solvere, quia potest præsumere quòd ipsi condonet in casu in quo deberet antè sententiam judicis. An autem creditor possit prosequi debitorem quem certò scit non esse in culpâ, sed solùm hoc non posse probare ? Ex rationibus prioris sententiæ posset, sed certè ab hoc avertendus, et nullus nisi durissimus hoc faceret. Possetne in posteriori sententiâ ? Non audeo negare. Si enim creditor prosequi non posset, debitor non teneretur acquiescere sententiæ.

Nota 2° : Quidam in præsenti materiâ de culpâ in quasicontractibus tutoris, judicis, advocati, etc., ratiocinantur sicut de culpâ in contractibus expressis. Sed communior est opinio contraria, admittiturque à pluribus eorum qui volunt sufficere culpam juridicam ad inducendam obligationem restituendi in contractibus expressis. Nemo enim vellet munia publica exercere cum tanto onere. Aliundè nullæ sunt leges quæ hoc clarè decernant, et si sint, non videntur in praxi receptæ, inquit Billuart, saltem quoàd forum conscientiæ. Nullus aliundè ad hoc se credit obligatum. Sed qui ex stipendio inserviunt, jure naturæ ad majorem tenentur diligentiam quàm qui gratis. Collet, P. Thomas, etc., contrà alios obligant tunc ex culpâ quæ olìm dicebatur levis, imò ex levissimâ Collet, si res sit tanti momenti ut ex naturâ suâ singularem diligentiam requirat. Solummodò videtur hinc concludendum culpam fore faciliùs levem aut latam.

A fortiori qui se profitentes aliis peritiores diligentioresve, ad se ex tali jactantiâ attrahunt qui diligentiores quærunt et optimos. Si enim non sint tales, et errent, de culpâ etiam levissimâ tenentur.

Tandem si intervenerit pactum speciale de majori quàm communiter diligentiâ adhibendâ, ex leviori culpâ, imò ex merè juridicâ, si tale sit pactum, aliquis in quasi-contractibus teneretur. An autem ex culpâ theologicâ veniali in materiâ gravi ? Vide notam præcedentem.

Ex his jam introspicis distingui olìm apud nos triplicem culpam juridicam, latam, levem et levissimam.

Per culpam latam intelligebant omissionem diligentiæ quam prudentes ;

Per levem, omissionem diligentiæ quam prudentiores ;

Et per levissimam, omissionem diligentiæ quam prudentissimi ejusdem statûs in rebus et negotiis similibus adhibere solent, dabantque exemplum : Petrus librum sibi commodatum antè fores reliquit, et furto ablatus est. Culpa Petri lata est. Reliquit illum in cubiculo non clauso, culpa levis est. In cubiculo clauso equidem, sed non tentavit an benè clausum, culpa est levissima.

Alii culpam latam dividebant in latiorem quæ est dolus præsumptus, et latissimam quæ idem est ac dolus manifestus.

Codex civilis non loquitur nisi de culpâ in genere. Innuit tamen, v. gr.,

(1928) variare posse pro circumstantiis culpæ gradus, et verisimile est quòd in praxi judices sese regulis antiquis conformarent, iisque se conformare debet confessarius, quamlibet ex suprà dictis sententiis amplectatur, quia culpa juridica sæpissimè indicium est culpæ theologicæ.

Sed ut jam innuimus, ad judicandum de culpâ attendendæ sunt circumstantiæ. Culpa enim quæ in levibus negotiis, aut ex parte hominis privati levis esset aut levissima, in rebus magni momenti negotiisque periculosis, aut ex parte hominis publici, majorisve stipendii ratione magis obligati, lata sæpè esset.

Igitur sint :

REGULA I.

Cum contractus cedit in utilitatem solius accipientis, ut commodatum ; accipiens tenetur de damno ex culpâ levissimâ, quia hoc æquum. Aliundè sub hâc tacitâ conditione contraxit.

In precario tamen accipiens tenetur solum de culpâ latâ, quia non tantam ac de commodato percipit utilitatem. Lege 8 ff. de precario.

REGULA II.

Si contractus in utilitatem cedat solius dantis, ut depositum, accipiens tenetur solùm de culpâ latâ.

REGULA III.

Si contractus cedat in utilitatem et dantis et accipientis, ut pignus, locatio rei vel operæ, etc., accipiens tenetur ex culpâ levi.

Sed ex levissimâ aut latâ solùm teneri potest, si fuerit et proùt fuerit pactum speciale, aut si natura rei exigat, v. gr., si contractum sit ad transportandam columnam aut res fragiles.

Juxtà Delugo et alios inter quos Collet, nautæ, caupones, stabularii de culpâ etiam levissima tenentur, etiamsi aliquid apud se gratis receperint. Vide in cod. civil. art. 1953-54-58-62-82-83-84.

Nota : Qui rem vel conductam vel commodatam vel depositam remittit per nuntium qui habetur communiter ut fidelis, non tenetur si pereat, etc., quia non est in culpâ. Sed si esset mutuo data, periret pro remittente, quia illius dominus est.

Ex his concludunt eum qui rem alienam habet apud se, posse in necessitate suam, etiam minoris pretii, potiùsquàm alienam servare, si teneatur solùm ex culpâ latâ, ut in deposito, nisi certò sciat damnum rei suæ fore sibi reparandum, uti, inquiunt Delugo, etc., de facto reparandum foret, quia hoc damnum est velut sumptus ad rem alienam servandam impensus ; quod videtur evidens.

Si verò quis ex culpâ levi solum teneatur, ut locatarius, potest res alienas negligere, absque ullâ restituendi obligatione, ut suas majoris, imò æqualis valoris servet. Sed si suæ sint minoris valoris, alienas servet. Ast tunc videtur quòd uterque debeat damnum sufferre pro mediâ parte, quia utriusque causa res periclitabatur. *P. Gab. Ant.*

Tandem si accipiens teneatur ex culpâ levissima, ut commodatarius, po-

test solùm res suas pretiosiores alienis præferre. Ità communiter, quod extendit Delugo ad casum in quo res propria non esset pretiosior alienâ.

Sed observant Lessius, Molina, P. Gab. Ant., Theol. Pict., etc., commodatarium qui rem suam pretiosiorem servavit debere alienæ rei quæ periit pretium solvere, cui conformis est art. 1882 cod. civ.

Negat è contrà Delugo ob rationem mox afferendam, aitque leges in hoc non valere nisi pro foro externo. Ità etiam Sylvester, etc.

Et nota : In casu in quo commodatarius rem suam non magis pretiosam perdidisset ad conservandam rem commodatam, hujus dominus nihil ei debet, quia ipsius solius causâ res commodata periclitabatur. Contrà sentit Delugo, quia perditio rei propriæ est sumptus extraordinarius factus ad conservandam alienam.

---

559. Hinc 3° : Qui prudenter et invincibiliter judicavit se non tantùm, quantùm reverà evenit, damnum illaturum, non videtur teneri ad reparationem excessûs positivè ignorati, maximè si excessus hic distinctus sit à damno præviso, ipsi extraneus et ità per accidens ex eo secutus, ut evenerit extrà omnem prævisionem et dubitationem moraliter possibilem (a).

Secùs si ignoraverit præcisè, seu nesciverit quantitatem damni futuri, ut nescit ordinariè.

Et hùc usquè dicta de culpâ, de morâ solvendi dicta sunto (1147) (b).

(a) Exemplum ponunt : fur arborem ascendit ad colligendos fructus. Dominus latet sub arbore. Cadit fur et occidit eum.

(b) Sunt qui excipiunt eum qui est in morâ non culpabili. Sed videtur de eo ratiocinandum esse sicut de eo qui est in culpâ merè juridicâ. Eædem enim rationes pro utroque videntur militare, nempè : excitanda diligentia ad solvendum, etc.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM IN PARTICULARI AD RESTITUTIONEM OBLIGATIS.

SECTIO I.

De boni alieni possessoribus

PRÆMITTENDA.

560. Possessor dicitur qui rem actualiter detinet tanquàm suam, fructus, si qui sint, percipiendo, et faciendo impensas, si quæ faciendæ sint.

Fructus autem rei seu utilitates sunt

Vel naturales, quos sola vel ferè sola rei natura producit (*le produit spontané de la terre*) (583). Herbæ ergò pratorum, fructus arborum, ad quos revocantur fructus civiles « les loyers de maisons, les intérêts des sommes exigibles, les » arrérages des rentes, les prix des baux à ferme » (584), et ii generaliter qui ex jure alicui concesso secundùm leges percipiuntur.

Vel industriales, qui per solam possessoris industriam proveniunt ex re minimè frugiferâ, ut lucrum ex pecuniâ.

Vel mixti, qui partìm ex re, partìm ex industriâ percipiuntur, ut vinum, etc. (*a*).

(*a*) Jus hodiernum fructus mixtos non distinguit sed ad naturales revocat, v. gr., accrescentium animalium (*le croît des animaux*) et ad industriales quæ ex culturâ percipiuntur. Sed ad expositionem principiorum illa tertia fructuum distinctio necessaria est.

---

561. Impensæ quæ circà rem fieri possunt, sunt

Vel necessariæ, sine quibus res periret aut deterior fieret.

Vel utiles, quæ, etsi non necessariæ, rem faciunt meliorem et ejus augent reditum.

Vel voluptariæ, quæ ad ornamentum solùm et possessoris voluptatem.

Hæ ad utiles aliquandò mediatè revocantur, cùm dominus, si rem vendere vellet, eam pretio venderet majori.

562. Meliorationes, sicut et *deteriorationes* quæ rei evenire possunt, sunt

Vel intrinsecæ, ut dùm res in se mutata fit melior vel deterior, ut si pullus evadat equus, aut equus macer fiat.

Vel extrinsecæ, cùm res manens eadem, pluris tamen, vel minoris æstimatur, mutatis circumstantiis.

Et duplex itidem valor rei.

ARTICULUS I.

De rei alienæ possessore bonæ fidei (550).

563. Possessor bonæ fidei restituere tenetur quidquid boni alieni habet in se vel in æquivalenti, alioquin non reponeretur æqualitas.

In æquivalenti autem habet qui ex re alienâ factus est ditior tanquam ex causâ, non purè occasionaliter (*a*).

Ergò, si res aliena, durante bonâ fide, apud possessorem, etiam culpâ ipsius pereat, aut ab ipso prodigaliter dissipetur, non tenetur restituere, quia putans suam, servare ex justitiâ non tenebatur (*b*).

(*a*) Ut si, rem alienando aliquid acquisierit, aut eam consumendo suis pepercerit, aut donando suam donasset. Quod enim pepercit, succedit loco alieni; sed si donârit rem ipsam alienam, donatarius eam reddere debet. Quòd si rem alienam consumendo, suis in majori quantitate pepercerit, sufficit ut valorem rei alienæ restituat; et si occasione rei alienæ se credens ditissimum, et alienam et suas consumpserit, ità ut ipsi non restet nisi quod restasset, si alienam non habuisset, ad nihil tenetur.

Sed si ditior factus sit solùm occasione rei alienæ, ut si amore rem augendi parciùs vixerit, ad nihil tenetur, nisi ad rem alienam reddendam aut æquivalens.

(*b*) Ergò iterum qui rem alienam, bonâ fide emit a fure, eam restituere debet domino, et quidem cum omni valore suo actuali, quippè qui auxerit pro domino. Res enim aliena clamat domino suo, etiamsi fur eam non reddidisset aut apud dominum periisset, si non fuisset furto ablata.

Nec rem reddendo domino, potest ex jure naturali pretium solutum exigere, quia dominus non tenetur rem suam emere, nisi tamen

1° Emptor eam emerit pretio modico ut redderet domino, qui eam non aliter aut non nisi valdè difficulter recuperasset, quia utiliter gessit domini absentis urgens negotium. Sed si pretium ferè æquale donârit, ad partem solùm hujus pretii, judicio prudentûm tenetur dominus.

Nisi 2° (sed jure positivo), rem emerit in nundinis, sub hastâ, aut (ex codice civ. 2280) ab homine res hujusmodi vendente. Jura enim hæc in bono publico fundata, servanda sunt.

Sed qui rem alienam emit, potestne eam reddere furi ad recuperandum pretium? Hic sudant auctores et in partes oppositas abeunt. Conveniunt tamen sat communiter

1° Quòd si res furtiva nondùm sit in possessione emptoris, possit eam relinquere, sicut, inquit D. Dens, posset relinquere pallium furtivum quod pro suo inadvertenter sumpsisset. Res aliena tunc non redditur, sed relinquitur, quod licitum est ex justâ causâ.

2°. Si dominus facilè possit eam à fure recipere; esset enim tunc irrationabiliter invitus quòd furi non reddatur. Et varii idem dicunt si solùm dubium sit an res sit furtiva, quia irrationabiliter vellet dominus ut emptor molestias subeat super re suâ sibi orituras. *Dens.* Hæc tamen ratio ad assensum non rapit.

Sed extrà hos casus potestne emptor rem reddere furi ut recuperet suum pretium? Affirmant Navarrus, Sylvester, Lessius, Delugo; quia nulla injuria fit domino, nec potest esse rationabiliter invitus quòd, ad recuperandum pretium, res ejus reponatur in statu quo erat, quia emptor jus habet rescindendi contractum ex unâ parte injustum, et ex aliâ per errorem initum; quia ubi par est innocentia, par debet esse causa; quia tandem nemo damnum pati tenetur ut alterius damnum avertat.

Negant verò Medina, Sylvius, Soto, Molina, P. Thomas, Theol. Pictaviensis, Collet, Billuart, Dens, etc., quia res clamat domino qui posset eam de manu emptoris sine injuriâ accipere et eripere; et quia rem reddendo furi, eam, è loco tuto, in periculo exponeret, cooperareturque injustæ ejus retentioni; nec enim potest quis de re alienâ disponere, invito rationabiliter domino; atqui dominus esset rationabiliter invitus quòd res sua ponatur in statu pejori quàm est de facto, cùm apud emptorem sit securè; quia tandem emptor non posset rem alteri revendere.

Ad affirmantium argumenta respondent negando dominum non esse rationabiliter invitum, quòd res sua reponatur in statu in quo erat, cùm nunc sit in statu meliori, et status ille melior ad ipsum pertineat; negando itidem posse rescindi contractum cum alterius injuriâ, et parem esse causam quamvis par sit innocentia; tandem negando emptorem damnum pati ut damnum alterius avertat; nam emptor jàm damnum passus est; ipsius pecunia furto ablata est, et non potest dare rem alienam ut eam recuperet.

Hæc ultima ratio mihi præcipuè videtur reddere sententiam negantem aliâ probabiliorem. Si tamen emptor de furto suspici debeat, sunt qui dicunt eum posse rem reddere furi; quod nollem inficere.

Sed quid si emens rem furtivam, eam bonâ fide revendiderit? Aiunt

1° Quòd si possit, debeat rescindere hunc contractum, reddendo pretium; quia tenetur secundum emptorem indemnem præstare. Dein rem reddet domino, sicut in ejus defectu eam reddere deberet secundus emptor; et recursum habebit contrà furem.

2° Quòd si secundus emptor inveniri nequeat, debet primus reddere saltem id in quo factus est ditior, si pluris nempè rem revendiderit quàm ipsi constiterat, ut fit ordinariè, quidquid in contrarium sentiant multi. Illud enim auctarium non est ex industriâ partum.

Sed si nullum fuerit auctarium in pretio, debetne reddere domino rei totum? Multi, Coll. Andeg. Billuart, etc., id censent post Sylvium, et hanc sententiam jam communiorem dicebat Delugo. Ratio eorum est quòd cùm pretium istud acceptum sit ex re non suâ, ex re non suâ ditaretur primus emptor. Aliundè, inquit Billuart, res aliena existit in suo valore, et secun-

dus emptor non intendit transferre dominium pecuniæ suæ nisi in dominum rei, et nisi in quantùm sibi transfertur dominium rei venditæ [421]. Cùm ergò pretium secundo emptori reddi nequeat, debet ex ejus præsumptâ voluntate reddi domino rei, ut fiat æqualitas. (Alii, sed non plures, contrà sentiunt, dicendo pretium acceptum non præcisè rem repræsentare, sed potiùs obligationem quam venditor sibi imposuit tradendi rem et indemnem præstandi secundum emptorem, si vinceretur. Rem tradidit. Emptor secundus non fuit evictus; ergò.)

Idem dicendum si secundus emptor rem consumpserit. Sed quid, si apud ipsum perierit? Ex ratiocinio Billuart, ipsi pretium reddi deberet, non domino rei, cui res periit sine ullius culpâ. Ità DD. Bouvier et Dens.

Ulterius ratiocinando videtur aliquibus adhùc quòd si emptor rei alienæ eam bonâ fide reddiderit furi, pretium suum recuperatum reddere debeat domino, quia est pretium acceptum ex re non suâ. Sed hoc durum, imò falsum mihi videtur. Nam contractus nullus est, et fur tenetur pretium aut aliam pecuniam in eodem valore reddere emptori, qui non ideò injustus esset quia (etsi scienter) rescinderet contractum, qui non rescinditur utpotè nullus; sed quia rem redderet furi. Et verò si, re bonâ fide redditâ furi, hic pretium non redderet, ad nihil teneretur emptor; cur autem ad aliquid teneretur quia pretium recepit? Pretium hoc habendum videtur ut restitutio.

Nota: In his remotioribus conclusionibus juris naturalis quoàd totam præsentem materiam, possunt ità variare circumstantiæ ut remaneat dubium. Tunc, etc.

564. Cùm omnis fructus non jure seminis, sed jure soli percipiatur, possessor bonæ fidei restituere debet quos sive naturales, sive civiles, sive mixtos quà naturales, percepit, etiamsi dominus eos non percepisset, quia indè factus fuit ditior (a).

Et potest possessor bonæ fidei retinere fructus industriales mixtosque, saltem quà industriales sunt.

Si tamen ad hos comparandos rem deteriorem fecerit, in tantùm restituere debet [401].

(a) Ast jus civile hodiernum, cui, in hoc jam præiverant aliquæ saltem consuetudines (imò, sed non clarè, jus romanum), juri naturali hìc excipit (549), modò possessio sit civilis, ab anno ad minùs (Cod. processùs art. 23). Art. 550 cod. civ. dicit quis intelligendus possessor bonæ fidei.

Valere hæc solùm pro foro externo æstimant auctor tractatûs de justitiâ et jure, Canonicus Turonensis, professor emeritus, et, mutatâ sententiâ, D. Bouvier. Rationes eorum sunt quòd ad forum solùm externum attendisse videantur nostri legislatores, nec sat clarè loquantur ut voluerint exceptionem facere juri naturali; et quòd sufficiat ad non perturbandam familiarum tranquillitatem ut hìc non detur actio in foro externo. Sed hæc non convincunt, quin imò objici posse videntur contrà legem præscriptionis vi cujus fatetur idem professor emeritus retineri posse, elapso tempore sufficienti

(triennio ait), fructus ex re alienâ perceptos à possessore bonæ fidei. Magis movet ratio jurisperitorum et theologorum non paucorum dicentium legem præsentem non fundari in falsâ præsumptione facti, ac proindè valere; cùm etsi juri naturali deroget, seu potiùs excipiat, non repugnet æquitati, nec iniquitati faveat. Quin è contrà, etc.

---

565. Quòad expensas, possessor bonæ fidei potest repetere necessarias et utiles, imò voluptarias quæ à fundo sine ejus *deterioratione* separari possunt (*a*).

Sic habet jus civile (555). « Si les plantations et ouvrages » ont été faits par un tiers évincé, qui n'auroit pas été con» damné à la restitution des fruits, attendu sa bonne foi, le » propriétaire... aura le choix ou de rembourser la valeur » des matériaux et du prix de la main d'œuvre, ou de rem» bourser une somme égale à celle dont le fonds a augmenté » de valeur. »

Sed cùm fructus cedant possessori bonæ fidei, expensæ quas fecit ad eos percipiendos, rem conservandam, etc., debent jam à fructibus deduci; *fructus enim non intelliguntur, nisi deductis impendiis*. Solùm ergò agitur hic de meliorationibus consideratis pro tempore quo rem alienam ampliùs non possidet.

(*a*) Si verò non possint separari, aut fundo accesserint per implantationem, ut arbores, alii dicunt quòd, jure saltem conscientiæ, possessori bonæ fidei non teneatur eas dominus solvere, quia non est æquum quòd solvat expensas quas noluisset facere et quæ ipsi nullam utilitatem afferunt. Sic Billuart, ut probabiliùs.

Contrà sentit D. Dens, si rei æstimatio aucta sit. Equidem, si illa augmentatio valeat domino; sed si non valeat, v. gr., si rem suam vendere nolit? Tribunalia controversiam dirimerent judicando secundùm articulum 555. Vide modò dicta nº 564, *a*.

ARTICULUS II.

De rei alienæ possessore malæ fidei.

566. Tenetur hic

1° Restituere rem alienam adhùc in se existentem [545, *a*] et quidem cum omni valore suo sive intrinseco, sive extrinseco, etiamsi valorem hunc non habuisset apud dominum, vel quia apud ipsum periisset, vel quia citiùs aut tardiùs eam con-

sumpsisset aut vendidisset. Res enim crevit domino suo [548, *a*].

2° Excessum valoris quem habuisset apud dominum (si fortè) cùm vendidisset eam aut consumpsisset; quod judicio prudentûm æstimari debet.

3° Omne aliud lucrum cessans aut damnum emergens domino ex injustâ rei suæ acceptione et detentione. Quæ æstimari debent pro ratione spei, spectatis loci, temporis, opportunitatis et peritiæ domini circumstantiis.

Si autem res aliena non ampliùs existat in se, vel quia apud furem periit, vel quia eam consumpsit sive physicè, v. gr., eam manducando, sive moraliter eam mutando, etc., vel vendendo, ita ut emptor inveniri nequeat, debet malæ fidei possessor restituere quanti tunc valebat saltem intrinsecè (*a*), quamvis meliorationem illam apud dominum non habuisset, quia pretium succedit in locum rei, vel quia augmentum est rei inhærens.

Ast si dominus rem suam servasset usquè ad tempus quo pluris valuisset, restituat valorem rei tempori huic correspondentem, deductis expensis quas fecisset dominus.

Et in dubio an fuisset servaturus, restituendum saltem pro ratione dubii (*b*).

(*a*) Lessius post Medinam et Covarruviam distinguit hìc valorem intrinsecum ab extrinseco. Si rei melioratio sit intrinseca, v. gr., si pullus factus sit equus, ait furem qui rem quocumque modo alienavit teneri restituere omne pretium quod accepit, etiamsi illud non accepisset dominus. Si autem melioratio sit extrinseca, ut augmentum pretii in frumento, sufficere ut fur restituat quantùm res domino valuisset. Augmentatio valoris tunc est fructus industriæ. Pretium est furis cum obligatione indemnem præstandi dominum. Ex lege *qui vas* 48, § ultimo de furtis. Nec fur tunc ditescit ex re alienà, sed occasione ejus. Restituendo rem similem, satisfaceret, compensando damna, si quæ fuerint; ergò à pari restituendo pretium ejus, si rem similem reddere nequeat.

Hæc multùm placent. Sed alii omnes quos legi non distinguunt tunc inter valorem intrinsecum et extrinsecum. Solùm hìc quærunt an fur qui rem consumpsit aut apud quem deterior facta est, eam teneatur restituere secundùm optimum valorem quem apud se habuit, quamvis eum habitura non fuisset apud dominum, quippè qui eam usquè hùc non servasset, aut servasset quousquè de valore intrinseco vel extrinseco decrevit, v. gr., pullum, equum factum, qui demùm senuit; frumentum quod tempore furti valebat 60, valuit 80, et demùm 40.

Varii affirmant, et sunt qui eos non improbent. Ratio eorum est quòd res

debita erat tempore noc quo pluris valebat, et injustè tunc detinebatur. Obligatio autem semel contracta non extinguitur, nisi per restitutionem. Valor, inquit Billuart, non decrevit domino; quia possessor malæ fidei suscipit in se omne rei periculum, et indè fit melior conditio domini.

Durior meritò videtur aliis hæc sententia; et si fur ex re alienâ non fuerit ditior, ut supponitur, sufficere videtur ut dominus indemnis præstetur. Fatetur D. Bouvier qui hanc duriorem sententiam propugnat, quòd injusti detentores ad hoc non adducerentur, forentque in suâ bonâ fide relinquendi. Reverà hæc sententia sensui communi repugnare videtur, et nescio an sit dominus qui non contentus foret cùm solùm indemnis præstaretur.

Nota : Juxtà D. Dens, si fur alienaverit rem viliori pretio, in casu in quo dominus eam itidem viliori pretio vendidisset, tenetur pretium justum domino restituere, quia dominus partem pretii remittere potest, non fur.

Casus rarior est ut illum discutiam. Vide, si quamdam habere possit analogiam cum casu, nº 548, *a*.

(*b*) Totum, inquiunt Collet, Dens, etc., quia melior est conditio innocentis qui possidet. Dubium hìc non videtur versari circà rei proprietatem, sed circà damnum in illâ proprietate illatum. Possessio ergò tunc non magis favere videtur quàm faveret in dubio an quis damnum intulerit alio quovis modo. In hoc autem dubio sufficit restituere pro ratione dubii; ergò et in illo. Sic Delugo.

Quin injustus possessor non videtur teneri stare semper dictis domini quòd rem fuisset servaturus, quòd, etc., ex circumstantiis judicandum quæ fides sit ei adhibenda.

---

567. Idem malæ fidei possessor debet restituere omnes fructus naturales, civiles et mixtos, saltem quà naturales (*a*), sive consumpserit eos, sive non; sive amissi sint fortuitò (*b*), nec ex illis ditior factus sit, quamvis eos dominus non percepisset. Imò licèt eos non perceperit, si dominus eos percepisset.

Secùs si eos non perceperit, nec dominus percepisset.

(*a*) Imò et quà industriales, inquit D. Dens, etsi nec dominus fuisset eos percepturus, quia res fructificat domino. Sed Collet, P. Thomas, etc., aliter meritò sentiunt, quia fructus quà industriales sunt, ad dominum non pertinent, nisi ipse hâc industriâ usus fuisset; tunc enim non fructus quidem quà industriales sunt, ipsi deberentur, sed simplex pro his non perceptis indemnitas.

Equidem jus civile, saltem actuale gallicanum obligat possessorem malæ fidei ad reddendos fructus sine distinctione. Sed cùm hoc pœnale videatur quoàd fructus mixtos quà industriales, iniquus possessor non videtur teneri eos restituere antè sententiam judicis.

(*b*) Si itidem casu fortuito et eodem tempore fructus naturales periissent apud dominum, vide 548, *a*.

---

568. « Celui auquel la chose est restituée, doit tenir compte,

« même au possesseur de mauvaise foi, de toutes les dépen-
» ses nécessaires ou utiles qui ont été faites pour la conser-
» vation de la chose (1381) (a).

(a) Ergò, saltem post sententiam judicis, potest possessor malæ fidei deducere expensas necessarias et utiles. Verum et antè hanc sententiam, juxtà probabiliorem, quia eas potest deducere et simoniacus, juxtà D. Thomam; et quia inter possessorem malæ fidei et dominum, est tacitus et virtualis contractus quo dominus astringit furem ad has expensas. Undè debet eas refundere tanquàm ex suâ voluntate factas. Adderem æquitati consentaneum esse ut sicut dominus pati non debet ex alterius injuriâ, nec ex eâ cum ipsius dispendio ditari.

Contrà tamen autumant Henno, Dens, etc., quia illæ expensæ accreverunt rei, negantque implicitam conventionem de quâ modò. Dominus enim, inquiunt, id tantùm vult ad quod fur, si restituere nolit, obligatur. Obligatur autem ad hoc ut res non pereat. Ergò à fortiori non tenetur eam meliorem reddere. Quòd si faciat, sibi imputet. Undè concludunt rem esse saltem dubiam, ac proindè hic agendum ut in rebus dubiis in materiâ justitiæ, fatendo dominum esse inducendum ad illas impensas refundendas.

Potest sine magno incommodo non ulteriùs discuti hæc quæstio; nam possessor malæ fidei curabit, si opus sit, ut interveniat sententia judicis.

Quoàd expensas voluptarias, si à fundo sine *deterioratione* auferri possunt, videntur posse auferri antè sententiam judicis. Secùs, non. Sed ex articulo 555 cod. civ. potest proprietarius exigere ut auferantur sumptibus illius qui eas fecit. Imò hic potest damnari ad interesse, si locus sit, pro præjudicio quod pati potuit dominus. Et si hic præferat eas conservare, debet malæ fidei possessori valorem materiæ et operis refundere, nullâ habitâ ratione majoris aut minoris valoris quem fundus potuit recipere.

ARTICULUS III.

De rei alienæ possessore dubiæ fidei.

569. Vel cum dubiâ fide inita est possessio, vel, initâ bonâ fide possessione, dubium supervenit.

In priori casu possessor inquirere debet diligenter veritatem, alioquin ut malæ fidei possessor tractandus.

Si inquisitâ diligenter veritate, dubium remaneat quod omninò deponi non possit, v. gr., per possessionem alterutrius aut antecessorum, restituendum pro ratione dubii [404] (a).

In posteriori verò casu, vide de præscriptione [406, *a*, *b*].

(a) In suppositione quòd factâ diligenti inquisitione dubium maneat, et res revendatur, minori pretio revendi debet, monito emptore quòd si dominus reperiatur, res erit ipsi reddenda. *Collet.* Videtur satiùs quòd expec-

tet vendere, et cùm vendere cogetur, si non sit spes quòd dominus reperiatur; si sit alius quàm possessor, vendat rem quanti valet et servet pretium emptori reddendum si dominus appareat; et si non reperiatur, in pias causas dabitur pars ejus pro ratione dubii.

Nota : Sunt qui censeant eum, qui certus de rei alicujus possessione dubitat an se obligaverit ad aliquid ex hâc re alteri solvendum, vel an suæ obligationi satisfecerit, debere solvere pro ratione dubii, quia tunc possessio non magis videtur favere uni quàm alteri. Contrà tamen sentit P. Gab. Ant. pro secundâ parte casûs, cùm nempè certum est contractam esse obligationem, et incertum est an fuerit impleta, aut integrè, quia creditor est possessor, et sic judicarent tribunalia, inquit, etiamsi creditor fateretur se de solutione dubitare. Ità etiam Layman, qui pro ratione dubii solvendum tamen æstimat, si dubitet ipse creditor; quod multùm placet.

SECTIO II.

De iis qui alios impediunt à consecutione boni.

Bonum *impedibile*, vel est ex justitiâ strictâ debitum, ità ut quis habeat in illud jus, etiam solùm *ad rem*, proximum strictum.

Vel non est ex justitiâ strictâ debitum, sed ex aliâ justitiâ tantùm, vel ex gratitudine : vel ex bonâ voluntate alterius à quo pendet, ità ut quis ad illud non habeat nisi jus morale quoddam, remotum, et in hoc solùm sensu strictum, quòd non possit impediri per vim, etc., nisi violetur justitia commutativa seu stricta : his præmissis

570. Ad restitutionem totius tenetur qui quovis modo alium culpabiliter impedit à consecutione boni ad quod jus *in re* strictum habet.

Ad restitutionem verò pro ratione spei, si solùm habeat jus *ad rem;* quæ spes sæpissimè æquivalet toti bono ad quod impeditus jus *ad rem* habebat.

Horum ratio est quòd impediens causa sit cur impeditus non habeat quod suum est aut esse debet.

Ergò ad omnia damna reparanda tenetur (*a*).

(*a*) Cùm beneficia et officia publica dantur in concursu, digniores jus *ad rem* habent ad ea.

Si non in concursu, jus strictum ad illa non habent; sed illud habet Ecclesia et respublica, ut iis conferantur.

571. Si autem impeditus à consecutione boni, ad illud

jus strictum non habeat proximum, id est *in re* vel *ad rem*, sed solùm remotum, ut ad officia publica [388] (*a*), ad speratam hæreditatem; qui illum, etiam malo affectu (*b*), à talis boni consecutione impedit, non tenetur ad restitutionem, nisi vi, fraude, dolo, mendacio, detractione, aliisve mediis injustis impedierit.

In priori enim casu nullum ejus violat jus strictum; in posteriori verò violat jus ejus strictum remotum, seu jus quod habet ut neque ipse, neque ille à quo sperat, suâ libertate privetur.

Restitutio tunc facienda est pro ratione spei quam impeditus habebat bonum consequendi, indèque lucrum faciendi, vel damnum avertendi (*c*).

Quòd si impeditus nequidem remotum jus strictum habuerit, ut indignus ad beneficium, juvenis ad matrimonium cum puellâ quam certò graviter decipit, restituere non tenetur (quamvis graviter peccet sæpè), qui eum à talis boni consecutione privat mediis etiam injustis. Non enim jus ullum habet ad malum.

(*a*) Sed aliter est de jure ad bonum aliquod commune, quod est principaliter institutum in utilitatem singulorum, ut ad ærarium publicum, ad pias fundationes, ad proventus ex bonis communibus, etc., quia hæc singulis debentur ex justitiâ strictâ.

(*b*) Sic communiter contrà paucos, præsertìm veteres. Mala enim intentio non est *læsiva* juris, nec facit opus externum injustum. Sed fieri potest ut mala intentio faciat ut quis causa injusta damni censeatur, qui sine eâ, causa non censeretur; v. gr., qui sine utilitate venas in proprio fundo præscinderet ut puteus inimici aquâ careat.

E contra fieri potest ut quis per mendacium, etc., bonâ præsertìm intentione prolatum, aliquem impediat à consecutione boni, quin, in communi hominum æstimatione censeatur causa damni, ut si, frui cupiens præsentiâ amici, eum ab itinere loretano, in quo eleemosynas domui loretanæ fecisset, sub prætextu latronum insidiantium impediisset. *Delugo*. Aliundè non à datione eleemosynæ impedit, sed ab itinere cum quo eleemosyna non est nisi per accidens conjuncta.

(*c*) Ex his principiis resolve 1° ad restitutionem non teneri (quamvis vulgus imperitum contrarium credat, sintque nonnulli qui sub præsenti prætextu sibi compensent) eum qui blanditiis à testamento condendo aliquem impediunt, aut jam conditum revocare curant, aliudve bonum sibi avocant, etiamsi jam determinata sit bona ejus voluntas ergà alterum. Sed nota quòd sæpè tunc media injusta adhibeantur.

2° Teneri è contrà qui mediis quibusve injustis, testamentum in sui favorem extorquent aut jam factum in favorem alterius lacerari curant, notarii accessum impediunt, etc.;

Qui iisdem mediis dignum ab officio impediunt : quòd si in concursu et in favorem dignioris id faciant, non conveniunt auctores an restituere teneantur. Equidem jus habet tunc dignior; sed in facto difficilè dijudicari potest quis dignior sit;

Qui per detractiones pauperem ab eleemosynâ, ludi-magistrum à pueris habendis, artificem ab operâ, ancillam à famulatu, mercenarium à locatione operæ, quemvis demùm ab aliquid justè petendo impediunt. Hæc tamen pati possunt exceptiones. Sic Delugo post Lessium à restitutione eximit eum qui testaturo crimina occulta narrat illius quem vult instituere hæredem, et ob hæc crimina non instituit, quia, inquiunt, expedit aliquandò ut bona non relinquantur indignis. Aliundè testaturus jus habebat inquirendi de moribus instituendi;

Et injusti qui, ut advocati, medici, mercatores, artem quamlibet exercentes, eos qui alios adire solebant per media ergà istos injusta, ad se alliciunt.

Tandem qui litteras intercipiunt, injustè retinent vel infringunt, tabellarium prætextu quovis retinent, ne alter officium obtineat. Imò, quamvis non malo animo, inquiunt P. Gab. Ant. et Bailly, quia mandatarius jus habet ut procurator diligentiam adhibeat; ac proindè eum retinentes, cooperarentur ejus negligentiæ, et in defectum illius tenerentur.

Et eadem videntur dicenda de eo qui litteras deferens, eas aperit, legit, denuò sigillat et tempestivè reddit; sed ex cognitione indè partâ, alium prævenit in petitione officii, etc., vel ex earum publicatione causa est cur alter prævenerit. Cognitio enim videtur injustè parta.

SECTIO III.

De injustitiæ cooperantibus.

572. Ii sunt qui causa sunt physica vel moralis cur injustitia ab alio fiat, vel positivè, eum ad illam aliquo modo inducendo, vel negativè, eum non impediendo, cùm ex justitiâ impedire tenentur. Vide 261.

Inter cooperatores alii sunt præcipui, quibus tanquàm agentibus et causis principalibus quæ agunt nomine suo, actio injusta tribuitur.

Alii verò minùs præcipui, quibus, ut causæ instrumentali, quæ non suo agit sed causæ principalis nomine, tribuitur injustitia.

Alii positivi dicuntur, qui per actionem,

Alii negativi qui per omissionem, ut suprà, cooperantur.

Alii vocantur, ab aliquibus, causæ totales injustitiæ, cùm nempè ad illam ità cooperantur, ut illius totius causa sint moralis, ponendo, v. gr., actionem de se totius damni *illati-*

vam, et ad illud sufficientem (*a*); vel cùm una causa ità influit, ut ex ejus influxu tota injustitia ponatur, vel tandem cùm alias *concausas* determinat ad totius injustitiæ productionem. Undè multiplex injustitiæ ejusdem causa totalis esse potest.

Alii causæ dicuntur partiales, cùm nempè eorum cooperatio non est de se *illativa* nisi partis ejusdem injustitiæ et non nisi partem de facto causant, aut causare censentur.

Alii tandem causæ sunt necessariæ, cùm nempè sine illis injustitia non fieret, quamvis invenirentur qui eorum loco causa ejus essent, quia indè sequitur solùm quòd hi forent causæ necessariæ, sed non quòd illi non sint; et sicut præveniunt in injustitiâ, præveniunt in obligatione restituendi, vel potiùs soli eam subeunt.

Aliæ causæ non necessariæ, sine quibus nempè injustitia æquè fieret, etsi sine illis non fiat.

(*a*) Ut si duo percutiant simul, et alterutrius percussio sufficiat ad mortem; vel, inquiunt alii, si duo simul suadeant injustitiam, etsi alterutrius consilium suffecisset.

PRINCIPIUM GENERALE.

573. Cooperatores injustitiæ in tantùm ad restitutionem tenentur, in quantùm in injustitiam influxerunt verè et efficaciter. Tota enim eorum obligatio oritur ex influxu efficaci, cùm per eum solum causa realis injustitiæ dici et censeri possint.

Undè qui efficaciter influxerunt in totam injustitiam saltem ut causæ totales aut necessariæ, ad totius in solidum; et qui in partem solùm, ad partis solùm restitutionem obligantur.

Qui certò nullatenùs aut non nisi affectivè, conatuve inefficaci; ad nihil.

Qui probabiliter aut dubiè, *proportionatè* ad probabilitatem aut dubium, attendendo an et quò usquè extendatur (*a*).

Qui ad excessum solum; ad solius excessûs restitutionem pro modo influxûs;

Et cooperatores magis, antè minùs principales, istique antè cæteros (*b*).

(a) V. gr., quousquè quis consilia exitialia dare solitus sit, quis sit, etc. Dubium exurgere potest duplici modo, 1° an causa injustitiæ *cooperativa* fuerit posita, v. gr., an mandatum fuerit datum. 2° An causa de se damnifica, quæ certò posita est, realiter influxerit; v. gr. an mandatum, consilium, etc. verè damni causa fuerit; an ex tuo aut alterius ictu quis occisus sit, supposito quòd unius solùm ictus fuerit efficax.

In prioris modi dubio, certè solùm restituendum est pro ratione dubii; quin et sunt qui existiment nullam tunc esse obligationem restituendi, nisi aliundè habeatur contrà se præsumptio, ut si aliàs jam factum sit, quia, inquiunt, quilibet censetur bonus, donec probetur malus. Sed indè sequitur solùm quòd ex circumstantiis possit, aliquandò saltem, deponi dubium; sed non quòd, eo manente, restitutio pro ratione ejus non sit facienda.

In posterioris modi dubio : in priori exemplo et similibus, cùm nempè dubitatur an causa realiter influxerit, ad restitutionem simpliciter obligant non pauci, quia in dubio præsumptio stat pro damno. Nam, inquiunt, qui posuit actum de se validum, seu natum damnum inferre, potiùs judicare debet, eum suo non caruisse effectu. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Regula 45 juris in 6°. Aliundè nemo præsumitur malum suâ sponte facturus, si non incitaretur. Mihi videtur in praxi judicandum ex circumstantiis; non solùm præcisè ex præsumptionibus his generalibus, nisi in casibus ubi circumstantiæ id postulant. Sic realem fuisse influxum concludi posset, si delinquens usus fuerit mediis suggestis, si fecerit aliqua quæ cooperans suggesserit quæque aliàs non facilè fecisset, etc.

E contrà, inquit Collet, valdè probabiliter æstimari potest consilium, etc. nihil influxisse in damnum, si damnificator qui fidem mereatur, neget se alieno consilio motum fuisse, aut si non statim post mandatum, etc., injustitia facta fuerit, quamvis sese facilis obtulerit occasio, sed post nova advenientia motiva.

Ast, si omnibus perpensis, dubium remaneat, non videtur, stando principiis, restituendum ultra rationem dubii [376].

In ejusdem modi dubii posteriori exemplo (et similibus) cùm nempè dubitatur ex cujus ictu quis occisus sit, certum videtur non esse obligationem restituendi nisi pro ratione dubii, suppositò quòd non fuerit cooperatio communis, quia læsus non videtur habere jus majus. Agitur hìc de facto pro quo vel contrà quod non potest esse præsumptio. Aliud foret si duo ictus effectum habuerint. Tunc enim occisores restitutionem partiri deberent inter se, et unus teneretur in defectum alterius.

(b) Hæ generales ex principio generali conclusiones sunt quasi solæ quæ certò deduci possint. Circà omnes ferè alias scinduntur theologi. Habeto hìc eorum ad quæsita responsiones.

Quæres 1° an restituere teneatur qui ad injustitiam movit jam paratum et promptum, qui eam, nullâ aliâ causâ movente, fecisset æquè facilè et eodem modo?

Negativè respondent post D. Thomam, Navarrus, Paludanus, Bailly, etc. quia nihil influxit influxu efficaci.

Affirmant è contrà Cajetanus, Soto, Medina, Molina, Delugo, si talis verò cooperetur, quia esse causa non idem est ac illâ deficiente, effectum non fieri. Esse causa est quòd reipsà effectus à causâ fiat, quòd reipsà causa in injustitiam cooperetur. Sic possunt esse duæ causæ totales, cùm nempè duo singuli cum catapultæ glande eumdem hominem attingunt et interficiunt.

Sententia negans vera est si agatur de mandante, consulente, etc., cujus

mandatum, consilium, etc., fuit spretum; tunc enim nullatenus influxit, et fuit sicut si non fuisset. Sed falsa videtur si agatur de alio cooperatore cujus auxilium admissum est, quamvis non necessarium, quia egit cum aliis ad opus injustum, v. gr. ad asportandam trabem quam sine ipso asportassent. Idem etiam de ipso mandante, consulente, si verè influxerint. Undè ut cooperatores teneantur ad restitutionem non necesse est quòd causæ fuerint necessariæ injusti operis.

Faciliùs tamen sui influxûs condonationem obtineret qui causa non fuisset necessaria, saltem si, ut sæpè, circumstantiæ sint quasi excusantes aut minuentes.

Quæres 2° ad quid teneatur qui ad solum modum injustitiæ nullatenùs, nec directè nec indirectè damnosum; vel ad eam citiùs inferendam cooperatus est, supposito quòd causa quæ jam determinata erat, non mutasset propositum?

Ad nihil tenetur, respondet D. Thomas, et sic plures, quia talis in injustitiæ substantiam non influxit. Adderem : et quia modus, etsi conjunctus cum injustitiâ injustus sit, possitque ad aliquam satisfactionem obligare, non tamen ad restitutionem nec rei in se nec damni, cum supponatur non damnosus. Si damnosus esset, foret restituendum proportionaliter.

Affirmant è contrà alii, quorum opinionem tunc communiorem dicit D. Dens, qui eam amplectitur et obligat ad totum. Ratio eorum est quòd duo sint concurrentes ad injustitiam, agens et cooperans, licèt inefficaciter cooperetur quoàd substantiam abstractivè. Consulens, v. gr., non consulit modum injustitiæ abstractum, sed injustitiam tali modo, adeòque non in modum tantùm, sed etiam in substantiam actionis influit, quæ ratio coincidit cum ratione affirmantium in præcedenti quæstione.

Hæ rationes mihi videntur et ipsæ multùm abstractæ. Probabilior ergò apparet D. Thomæ sententia : negarem enim dictum cooperatorem influere in substantiam injustitiæ; non enim eam consulit, sed modum ejus aut tempus. Advertendum tamen difficile aliquem esse certum se non influxisse in injustitiæ substantiam.

Quæres 3° an cooperatores qui non fuerunt causæ necessariæ aut totales injustitiæ, teneantur ad restitutionem in solidum, seu unus pro alio qui non vult aut non potest suam partem restituere [432], in suppositione quòd communi conspiratione egerint, v. gr., communi consilio, consensu, operâ, auxilio, confidentiâ, vineam devastârint, aliis consulentibus, aliis adjuvantibus, aliis excubias agentibus?

Plures, inter quos Delugo, negativè respondent post DD. Thomam et Antoninum, quia quamvis influxerint in totum, non influxerunt totalitate causæ. Undè præter partem suam tenentur solùm in quantùm judicari potest quod in damnum ab aliis illatum influxerint. Et verò, pergunt, non tenentur nisi in quantùm sunt causæ, et quamvis damnum foret indivisibile ut furtum equi, obligatio illud reparandi respondet influxui, non effectui, quamvis pro omnibus totali. Aliundè sequeretur quemlibet militem exercitûs qui viribus conjunctis grave damnum intulit, in solidum teneri, quod admitti nequit.

Alii verò multi et graves, Molina, Sylvius, Esparza, Grandin, P. Gab. Ant., Collet, Billuart, Bailly, Theol. Pictav., etc., non distinguunt inter causas totales totalitate causæ, et totales totalitate effectûs; sed eo ipso quòd communis est conspiratio, omnes obligant in solidum, quia in totam injustitiam singuli influxerunt, et quamdam inter se facere censentur societatem. Addunt : ex eo quòd non sint singuli causæ totales, sequitur solùm quòd

non teneantur singuli ad totum absolutè; sed non sequitur quòd non teneantur in solidum. Non partem damni singuli ponunt, sed totum singuli per modum unius; unusquisque causa est non solùm damni partialis quod per se facit, sed etiam damni quod alter facit, nec unius partis potiùs quàm alterius. Tandem et inadmissibile, imò absurdum sequeretur; nempe quòd si duo suffecissent, et fuerint decem, nullus posset in solidum obligari; dùm si fuissent solùm duo, hi duo in solidum obligarentur.

Gravissima sunt utriusque sententiæ momenta; nec tamen ulla rapiunt omninò ad assensum. Communior videtur sententia affirmans et praxi tribunalium conformis. « Tous les individus condamnés pour.... un même délit, » sont tenus solidairement... des restitutions (Code pénal, art. 55). » Sed dura videtur universaliter sumpta et illam sequi nollem in casu militum de quo suprà, qui equidem per modum unius agunt, sed non communi conspiratione; nec à fortiori pro casu in quo tertius quartusve aliis sufficientibus et saltem jam agentibus adjungit se, quia non censetur facere cum eis societatem quæ agat per modum unius, sicut si ab initio cum aliis conspirasset. Eo faciliùs à solidaritate eximerem eum, quòd multi, ut mox dictum est quæsito 1°, eum ab omni restitutione eximant.

Sed cùm fuit communis conspiratio, sicut tàm sæpè nunc in monopoliis, non auderem ullum à solidaritate eximere. Adeò per modum unius causæ agunt quòd ordinariè uni demandent curam omnis operis. Aliundè ut causæ totales probabiliùs reputarentur.

Difficile semper mihi visum est distinguere causam totalem à non totali, cum communi conspiratione aut operà agunt cooperatores.

Nonnè sæpè casus esset sat obscurus, ob militantes utriusque sententiæ rationes, ut pro ratione dubii restitutio præciperetur?

RESOLUTIONES

CIRCA INJUSTITIÆ COOPERANTES IN PARTICULARI.

CIRCA MANDANTEM.

574. MANDANS hìc latiùs sumitur [261] etiam pro eo qui solùm suasione et simplici commissione procurat injustitiam fieri suo nomine (*a*), quia totum opus in se suscipere censetur.

Secùs qui damnum, etiam suo nomine et in sui gratiam illatum, præcisè ratum habet, nisi per hoc causa sit cur alter non restituat, aut damnum novum inferat.

(*a*) Item superiores qui nutibus, etc., significant se gratam habituros injustitiam, et qui scientes damnum ab altero in suì gratiam inferendum non impediunt; si saltem agens sciat propositum suum esse cognitum ab eo cui placere intendit. A fortiori si silentium istius alium determinet. *Varii.* Ii tenentur ut consentientes solùm, aut consulentes, juxtà P. Dens [336, *c*].

Pater familiâs videns damnum inferri ab uxore, filio aut animali suo, juxtà multos restituere tenetur si non impediat; quia eadem cum illis persona. Vide numeris 192, *a* et 874, *a*. Si autem à famulo qui mancipium non sit, aut ab operario, juxtà plures non tenetur, nisi saltem damnum inferant in his de quibus specialiter mandavit. Juxtà verò D. Bouvier, probabiliùs tenetur, quia ii sibi subjiciuntur et eis invigilare debet. Non mihi videtur teneri nisi in casibus in quibus ut mandatarii spectari possunt.

Nota : Quamvis pater non foret theologicè culpabilis de damnis à filio aut animali suo illatis, si ad restitutionem à judice damnetur, restituere debet, quia hæc sententia justa est utpotè fundata in bono publico.

---

575. **Mandans restituere tenetur omne damnum quod mandatarius intulit.**

Et quod ex mandato periculoso secuturum prævidere potuit ac debuit, quamvis mandatarius mandati limites excesserit, ut si vapulari moderatè jussus, ictum dederit undè morbus gravissimus. Sed non quòd ex malitiâ ejus, merè processit, ut si jussus occidere Petrum scienter occidat Paulum (*a*).

Et damnum quod passus est ipse mandatarius, mandans enim censetur ad hoc se obligare, nisi extraordinarium saltem sit quod prævidere non potuerit (*b*).

Excipe, si mandatarius, qui saltem inferior non sit, spontè sese obtulerit, aut quamvis inferior, facilè fuerit mercede conductus.

(*a*) Si autem ex errore mandatarius alteri damnum fecerit, mandans tenetur illud reparare, etsi errorem hunc prævidere non potuerit, quia damnum vi mandati sequitur. Ità non pauci contrà multos quibus assentiri primâ mente inclinarer, si ex mandato ut periculoso, sed extraordinariè et ultrà omnem prævisionem damnum factum sit, ut mox dicetur. Attamen videtur causa damni in se, si non quà tali potiùs quàm tali illato.

(*b*) Sunt enim qui mandantem ad omnia mandatarii damna etsi extraordinaria condemnant, ut si mandatarius equo decidens sibi crura frangat, si fulmine in itinere percutiatur; quia, inquiunt, reverà vi mandati hæc eveniunt, nisi mandatarius se ultrò periculo objecerit undè hæc passus sit.

Non videtur damna venire vi mandati, saltem si nullam cum eo habeant connexionem, ut in secundo casu. Undè nisi pro omnibus omninò damnis, etiam imprævisis et nullatenus connexis, de indemnitate pactum sit cum mandatario, de his mandans non videtur teneri, etsi valdè æquum sit ut ei pro his refundat : et ad id in pœnitentiam posset fortè obligari.

---

576. **Mandans à restitutione liberatur ut mandans si mandatum sufficienter revocaverit, et ejus revocatio, ut sincera,**

pervenerit ad mandatarium, qui eam non fuerit oblitus, aut ex inadvertentiâ ad eam non attenderit. Per revocationem enim expirat mandatum, quamvis ejus executionem, si fortè eveniat, posteà ratam mandans haberet.

Ast teneri semper potest ut consulens, si mandati revocatio non suffecerit ad delenda omnia motiva menti mandatarii per mandatum impressa, etsi id tentârit omni conatu, quia injustitiæ semper auctor esset.

Et teneri potest tunc (*a*) ut non obstans, non faciendo nempè quod necessarium erat ad removendum periculum; quia per suum mandatum causa est cur proximus sit in tali periculo quod ex justitiâ tenetur avertere, cùm proximum huic periculo subjecerit. Restituat ergò, etsi periculum avertere non possit, quia in culpâ fuit.

Hinc qui mandatum revocare nequit, tenetur, si possit sinè longè graviori detrimento, monere eum cui injustitia imminet.

Nota : Ad cognoscendum an mandatum in damnum influxerit, attendenda, 1° gravitas mandati; 2° circumstantiæ, ut modus mandandi; 3° animus mandatarii. Potuit enim heri moveri et non hodiè; et è contrà hodiè moveri mandato, dùm cùm datum est, proprio motu egisset.

(*a*) Saltem id probabile est. *Billuart.*

CIRCA CONSULENTEM [261].

577. Consulens restituere tenetur in quantùm influxit (*a*). Imò solus, si executor bonâ fide processerit.

Ad nihil tamen ergà consultorem, nisi fraudem, etc., adhibuerit. In hoc enim casu consulens mandanti æquipararetur (*b*).

De revocato consilio sicut de revocato mandato dicendum, observando tamen consilium difficiliùs quàm mandatum revocari (*c*).

(*a*) Ad partem ergò solùm injustitiæ si hanc solùm suaserit, nec consilium causa fuerit cur posita sit alia pars ad quam consultor erat jam paratissimus et determinatus; nisi consulantur per modum unius, inquit D. Dens. Vide quæsito 1°, 573 *a*.

Qui consulit furari 10, ubi novit esse 20, ad 20 teneri videtur, si auferantur, quia furem posuit in occasione.

Sed non tenetur, qui determinato furari 20, suadet ut furetur solùm 10, modò eidem personæ; nam si aliam designet, ergà eam tenetur.

Imò ut probabilius docent multi ad restitutionem non teneri eum qui volenti furari pauperi, suadet, si non possit impedire, ut potiùs furetur diviti nullum designando, quia, inquiunt, nullius jus violat. Ita Habert et Collet. Sed hoc non mihi videtur probabilius, quin potiùs è contrà, quia causa prima videtur cur injuria fiat alteri.

Nota : Magis consulentes sunt, qui simul ostendunt modum, v. gr., conficiendi claves, etc. Indè enim nata sunt sequi alia damna ad quæ reparanda tenebitur consulens si ea prævidere potuerit. Et cur non potuisset? *Malum ergò consilium consulenti pessimum.*

Et consulens est, inquit D. Dens, qui furandi modum, etc., narrat coràm eo quem illo abusurum prævidere potest.

(*b*) Qui malum exemplum damnosum præbet eâ precisè intentione ut damnum fiat, restituere teneri videtur, quia consulens est; saltem si alter cognoscat quòd eâ intentione exemplum pravum ipsi præbeatur.

Ast quid, si sine malâ intentione ; sed cum prævisione saltem moraliter possibili quòd malum exemplum imitabuntur? Obligatur tanquàm consulens, inquiunt P. Gab. Ant., Collet, etc., quibus assentire videtur D. Dens, quia damnum est ipsi *imputabile,* cùm non minùs exempla trahant quàm verba; et quia quilibet habet jus ne actio mala fiat cum periculo damni sui.

Contrà sentiunt post Salmanticenses, Molina, Bonacina, Sanchez, etc., quia licèt exemplum malum occasionem det ad damnum, à seipso solo tamen quis ad illud inferendum moveri solet efficaciter.

Nonne statui posset hæc regula : dantes mala exempla damnosa ad restitutionem obligandi sunt in casibus in quibus qui damnum ex exemplo passi sunt, eos ut causam saltem partialem haberent damni quod passi sunt, obligarentque eos rationabiliter?

(*c*) Attamen qui solis precibus, promissis aut falso supposito, etc., consuluerunt, non videntur ampliùs teneri, si consilium revocaverint, quia tota cessat agendi ratio, inquiunt meritò P. Gab. Ant., Billuart, P. Thomas, etc. et idem dicendum de iis qui malam doctrinam docuerunt.

Secùs, si proponendo voluptatem, utilitatem, honorem aut indicando media aut modos quibus securiùs et efficaciùs damnum fiat. Quia remanet, saltem sæpè tota vis consilii, quidquid in contrarium dicere videatur aut supponat P. Ant. à Goritiâ, qui probabiliorem ait suam sententiam si consulens animo sincero et efficaci eloquio conetur alterum retrahere. Supponit enim in conatu efficaciam quæ sæpè non erit [575, *a*].

---

578. Est alia species consulentium, eorum nempè qui decernunt præcisè de bonitate vel malitiâ, justitiâ vel injustitiâ actionum, obligatione vel non obligatione restituendi.

Ad tales autem vel spectat consilium dare ratione officii vel professionis, quales parochi, confessarii, concionatores, theologi, advocati, medici, etc., vel non.

Si priùs, et culpabiliter dederint consilium nocivum, resti-

tuere tenentur ergà eum cui consuluerunt, si quid passus sit, et ergà eum cui iste ob malum consilium nocuerit.

Excipe, si indicaverint se dubitare, rem sic sibi videri, non suadentes consilium suum sequi, sed potius ut alii consulantur. Tunc enim sibi imputet consultor, si sibi aut alteri noceat (*a*).

Si posteriùs, iterùm distinguendum : vel pro peritis consiliariis se gerunt ac profitentur, aut dolosè agunt; vel non.

Si priùs, idem dicendum ac de consiliariis ex officio.

Si posteriùs, non tenentur de damno ergà consultorem, quia sciens est et volens, debetque veritatem ulteriùs inquirere (*b*). Impediant tamen, si possint, effectum malum.

(*a*) Idem dicit Billuart de eo qui respondet secundùm probabiliorem sententiam. Non peccat, etsi fortè decipiatur [169, *a*].

Quid autem de confessario qui præcisè nihil respondet consulenti? Si excusari possit ob distractionem non voluntariam, aut quia persuasus est quòd restitutio fiet (raró) non tenetur. Secùs, teneri videtur sive ergà pœnitentem, si ex silentio concludat se teneri cùm non teneatur (quod raró eveniet) sive saltem ergà tertium, si (quod sæpè erit) pœnitens conjiciat se non teneri cùm teneatur. Non enim, inquit Billuart, silens in his circumstantiis merè negativè se habet tantùm; sed censetur ad non restitutionem positivè concurrere ut suadens aut consentiens.

Adderem silentium æquivalere tunc periculosæ saltem actioni damnosæ.

Non ergò quia pactum cum tertio de monendo pœnitente non inierit confessarius, eximi iste potest, ut volunt qui eum liberant. Verum hoc esse posset, si tacens merè negativè se haberet; sed non ità.

Ast quid si pœnitens non interroget, sed sciat confessarius rem? Obscuras, quamvis totaliter oppositas, omnes quos legi auctores, responsiones hìc faciunt, non distinguendo undè rem sciat confessarius. Si enim eam aliter sciat quàm ex pœnitentis confessione, videtur hunc confessarium ad restitutionem non teneri, neque probabiliter ergà pœnitentem, si falsò credat se obligari, neque probabiliùs ergà tertium.

Non probabiliter ergà pœnitentem, quia confessarius non videtur gestor rerum ejus temporalium, et deberet inquirere.

(Fateor tamen quòd si casus non esset quasi metaphysicus, illum in præsenti puncto examinarem tanquàm dubium; imò propendo in majorem ex adverso probabilitatem, quia pœnitens videtur jus habere ut à confessario sciente non relinquatur in errore conscientiæ qui, quamvis spiritualis sit, importat damnum temporale. Sed quis confessarius non admoneret?)

Neque probabiliùs ergà tertium, ob rationem statim afferendam.

Si autem ex pœnitentis confessione sciat confessarius eum ad restitutionem teneri, quod supponere reor auctores, scinduntur, et ex utràque parte sententiam suam dicunt aliqui communiorem.

Alii enim, Molina, Navarrus, Sylvius, Habert, Collator Andeg., Collet, Bailly, volunt talem confessarium ad restitutionem obligari saltem ergà ter-

tium, etsi pœnitens non interroget, quia ex ejus silentio pœnitens se crederet liberum, et quia aliundè non adit confessarium nisi ut edoceatur quâ ratione debeat reddere cuique suum.

An autem teneatur etiam ergà pœnitentem si fortè malè ex silentio conjiceret se teneri; non dicunt.

Alii verò quos citant et sequuntur Billuart et Dens, Ledesma nempè, Serra, Valentia, Layman, etc., autumant ut probabilius confessarium hunc, quâ talem, sive ex officio curam animarum habeat, sive non, teneri neutiquàm ad restitutionem, saltem ergà tertium cui pœnitens obstrictus esset: quia 1° in ordine ad spiritualia tantùm, non in ordine ad temporalia, agit confessarius. Officium enim illius est totum spirituale; ergò dùm omittit monere, non violat justitiam in ordine ad temporalia, sed in ordine ad spiritualia solùm. Quia 2° nullum nequidem tacitum pactum confessarius iniit cum tertio, vi administrationis sacramenti præcisè.

Addit P. Gab. Ant., non parem esse confessarii ac judicis civilis conditionem, iste enim ex officio omnium jura tueri debet.

Multùm movent hæ rationes, et illis ut probabilioribus adhæreo cum hoc grano salis: nisi fortè ex silentio confessarii concludat pœnitens se ad restitutionem non obligari, quod discernere non est facile, sed quod evenire posset, cùm pœnitens, v. gr., novit confessarium suum apprimè scire rem et de illâ probabiliter nunc cogitare. Igitur confessarius non se conjiciat in anxietatem.

An autem erga ipsum pœnitentem teneatur si ob silentium ejus hic credat se obligari et restituat cùm non debeat? Negativè, sed non tàm firmiter respondet Billuart, ob eamdem rationem, officium nempè confessarii esse purè spirituale. Alii, Dens, Daelman pro hâc parte casûs contra sentiunt, quia, ut jàm dixi, pœnitens accedit ad confessarium ut procuret bonum suum spirituale sine detrimento temporali.

Ast si confessarius sit simul pastor sui pœnitentis, ut parochus, teneturne tunc ad restitutionem ergà tertium? Expressè ut probabile affirmat Lessius; quia deest suo officio. Sed vide nº 348.

(b) Secùs ergà tertium qui indè pateretur, quia nemo debet se immiscere consiliis dandis in iis quæ etiam inculpatè ignorat. *Collet, P. Gab. Ant., etc.*

CIRCA CONSENTIENTEM.

579. Per consentientem non intelligitur is qui præcisè assensum interiorem præbet injustitiæ, aut eam jam factam approbat dicendo: *benè, ità sit*, nisi per hæc impediat ne reparetur (*a*); sed qui ei suffragatur et favet, cùm ex officio tenetur non consentire, ut judex, senator, procer, canonicus et membrum cujusvis cœtûs deliberantis, in quo res suffragiorum numero perimuntur.

Hujus autem injustæ cooperationis rei sunt certò.

Qui pro injustitiâ suffragantur antequàm numerus suffragiorum ad sententiam injustam sufficiens completus sit, etiamsi supponatur æquè ferenda sententia per suffragia subsequen-

tia. Ipsorum enim sicut aliorum nomine fertur et aliundè, si aliter, fieri posset ut nullus ad restitutionem teneri se putaret;

Et qui sententiæ per jam sufficientem suffragiorum numerum ferendæ, revocationem procurare possent(*b*);

Et qui à cœtu vel suffragio abstinent se, cùm injustitiam impedire queunt.

Secùs, si certò sciant præsentiam suam ad nihil profuturam nisi ad excitandas rixas. Sed caveant timorem humanum, et meminerint virtute vinci aliquandò iniquitatem [557, *b*].

(*a*) Aut si ità de facto approbet ut pro palpone haberi possit.

Aut tanquàm causa aliter cooperans.

(*b*) Si completus sit numerus suffragiorum et irrevocabilia sint, juxtà communiorem saltem olim sententiam quæ est Sylvii, Layman, etc., iniquus suffragator qui scit numerum suffragiorum esse completum, restituere non tenetur, quia efficaciter non influit in damnum cùm jam completa sit irrevocabiliter injustitia.

Collet verò qui sententiam suam nunc communem dicit, contrarium ut probabilius saltem, tenet cum Habert et recentioribus, quia istius suffragatoris, sicut aliorum nomine sententia fertur, et est causa non quidem determinationis damni, sed illius illationis, sicut qui in alio casu sese jungeret jam determinatis et sufficientibus ad injustitiam, volens eam tàm suo quàm aliorum nomine fieri (non omninò justa comparatio, quia hic libenter, non ille jungit se damnificantibus). Aliundè fatetur Sylvius quòd si suffragator ignoret jam completum esse numerum suffragiorum, teneatur ad restitutionem, licèt posteà discat jam fuisse completum. Ergò à pari (paritas non videtur in communi hominum sensu perfecta, quia in priori casu cooperator *concausa* censetur faciliùs quàm in posteriori.)

Addit dominus Dens quòd res concludatur nomine suffragantium non habito respectu quis priùs vel posteriùs suffragatus sit, ità ut si ageretur de electione, tota esset simoniaca, licèt solum postremum votum fuerit simoniacum (et claudicans comparatio, quia in casu electionis simoniacæ agitur de nullitate juris positivi).

Et aliam addit rationem P. Thomas ex Charmes, nempè quòd ex perseverantiâ suffragiorum damnum pendeat, ac proindè quòd injustitia nondùm sit consummata; perseverantia enim non finiit nisi in sententiæ prolatione et tunc solùm injustitia consummatur.

Nulla ex his duabus oppositis sententiis dici potest certò probabilior ab extrinseco. Ab intrinseco pariter ferè. Unica quam prioris sententiæ patroni afferunt ratio, magis primo saltem intuitu, movet quàm omnes rationes patronorum posterioris sententiæ. Ille iniquus suffragator scit se inaniter suffragari, et in ventum, ut aiunt, seu suum perdere suffragium. Non certò ergò dicitur quòd velit injustitiam suo sicut aliorum nomine fieri; quin certum videtur injustitiam patientem non esse tam ergà eum quàm ergà alios invitum, et si adeò sit invitus, potiùs de ejus ignaviâ quàm de injustâ illius agendi ratione iratus est. Mitiùs ergò cum eo videretur agendum et ad ali-

quid majus minusve pro rei gravitate et ratione dubii obligandus, saltem in pœnitentiam criminalis illius animi remissionis.

CIRCA PALPONEM [261].

580. Palpo restituere debet prout influxit, etsi injustitiam non intenderit, modò prævidere eam potuerit ac debuerit, etiamsi, ut debet, conatus sit, sed inefficaciter, pravos impedire effectus suæ adulationis, irrisionisve, exprobrationis, susurrationis, etc.

CIRCA RECURSUM PRÆBENTEM [261].

581. Quoquo modo auxilium injusto præbeat quis, est receptans (a).

Sed notandum sedulò aliquem auxiliari posse furi non ut tali; nisi tamen indè audacior evadat, ut si præbeatur ipsi pro futuro spes asyli (b); vel nisi auxiliator causa sit cur non restituat.

Imò licitum et pium intercedere pro reis. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*, et maximè cùm crimen alleviant circumstantiæ.

Excipe, pro malefactoribus malignis et inveteratis; posset enim intercessor esse causa criminum ulteriorum nisi de remedio ipsis provideat.

Excipe iterùm, si intercessio causa sit cur quis alienum, ob sceleris impunitatem, retineat.

Receptans restituere tenetur proùt influxit, et si rem furtivam apud se habeat, eam reddere domino, si possit absquè longè graviori incommodo; si nequeat, damna compenset.

(a) Tales qui furi refugium præstant aut asylum in domo promittunt;
Caupones qui filios familiàs bona parentum impendentes recipiunt, vel scienter pecunias furtivas ab eis accipiunt, aut causa sunt cur ex re furtivâ pecuniam redigant [421];
Vicini qui adjuvant hæreditatem spoliantes, aut ablata abscondunt;
Advocati qui damnificatori, usurario, etc., patrocinantur.

(b) Receptans ergò non est qui præcisè abscondit furem ne comprehendatur, vel hospitio recipit titulo amicitiæ, quamvis, inquiunt P. Thomas, Theol. Pict. et D. Dens, à periculo ereptus, aliis aliquandò damnum facturus sit, quia hoc casuale est respectu occultantis.

Nec advocatus qui præcisè defendit furem in eo in quo potest se defen-

dere, ut si crimen sit occultum et nequidem semi plenè probatum, vel non servato juris ordine contrà eum procedatur, etsi posteà furetur. *Varii.*

Hinc cuilibet malefactori jura advocatum concedunt etiam post semi, imò plenas probationes. Solummodò ergò peccaret, et ut receptans teneretur advocatus cùm fallacias, titulos aut testes falsos aliave media injusta adhiberet.

CIRCA PARTICIPANTEM.

582. Omnis cooperans participans est; sed est modus specialis sine mandato, consilio, etc., injustitiæ, sicut aliis peccatis participandi [261].

Participatio autem hìc locum habere potest vel in re acceptâ vel in injustâ acceptione [556, *a*].

Si prius : participans restituere debet ut possessor bonæ, malæ, vel dubiæ fidei.

Si posterius : ratione sui influxûs.

(*a*) Taliter participant qui rem alienam cum aliis acceperunt, aut ex eâ ditiores facti sunt.

Taliter fabri ferrarii qui claves adulterinas faciunt; famuli qui exploratores agunt dùm heri furantur, currus ducunt, etc.

Taliter qui à fure in solutionem accipiunt res alienas in individuo, seu res quarum fur dominium non acquisivit, ut vestes. Si solum timeatur ne pecunia sit furtiva, licet eam accipere in solutionem, inquit D. Dens. Sed non, si constet eum qui solvit non vivere nisi ex pecuniis furtivis [421].

Non conveniunt de proximitate majori vel minori cooperationis injustæ acceptioni, ut quis ob causam gravem à restitutione eximatur. Vide 262, 263.

Generatim, inquit Billuart, non licet, etiam ad damnum gravissimum, imò mortem, vitandum, immediatè concurrere ad injustitiam, ut eruere muros, parietes fodere, pecunias aliave mobilia arripere, ejicere per fenestras, pecora stabulis abigere, ignem in acervum mittere, quia hæc intrinsecè mala sunt, nec facienda mala ut eveniant bona, nisi tamen, inquiunt alii, sic cooperans intentionem habeat totum reparandi, aut evidentissimum sit damnum esse inferendum, sive cooperetur, sive non, aut legitimè præsumatur dominum, habità ratione ipsius fortunæ, quantitatis damni, etc., non esse invitum.

Sed non ideò consentire tenetur dominus, quòd damnum cooperatori alioquin immineat, quia hæc obligatio esset contraria bono communi et rectæ ordinationi. Fures enim sæpè invenirent adjutores.

Secùs, si mediata solùm sit cooperatio, ut si rusticus à militibus angariatus instrumenta præbeat ad infringendas fores, prædas transvehat, metuens gravia, etc., ità passìm alii [468, *b*].

In his quæ tam longè à principiis distant, multa necessariò relinquuntur judicio prudentis confessarii, et aliorum sapientium omnes circumstantias ponderantium.

Hìc notat D. Bouvier ut injustè participantes habendos milites qui contrà reges nostros Ludovicum XVI et Ludovicum XVIII servierunt in bellis evi-

denter injustis. Equidem Episcopi in regulis pro ministerio tempore deportationis exercendo datis, voluerunt ut coacti ad militiam in præliis catapultas in aerem vanè exploderent. Sed rarò fecerunt; nec scio an cum militaribus, qui saltem duces non erant bellorum nec ea in concilio gubernantium iniebant, aliquis confessarius strictè egerit, si aliundè injustitias alias non fecerint. Bella, saltem plura, erantne contrà reges nostros? Aut saltem erantne cognita ut talia? Nostrum non est tantam dirimere litem.

Aliud est de iis qui innocentes oppresserunt, occiderunt, vastaverunt in Galliâ ipsâ, et de omnibus qui immediatè saltem concurrerunt ad innumerabiles temporis hujus injustitias, nisi fortè, iis non ditati, sic egerint quia id poscebat munus quod exercebant. Tunc si injustitias ipsi non decreverint, et illæ injustitiæ speciem habuerint legalem; ut venditio bonorum emigrantium, eos ad restitutionem non obligare, exigere videtur bonum commune, præsertim cùm aliqualem indemnitatem à gubernio acceperint emigrantes. Hic adhùc decidant doctiores, præsertim ii quorum munus casus decidendi.

CIRCA NEGATIVE COOPERANTES.

583. Ii (*a*), sicut cooperatores positivi, tenentur proùt in injustitiam influxerunt sæpèque sæpiùs in solidum, defectu nempè eorum qui positivè cooperati sunt [541, *a*];

Non tamen tenentur cùm sine damno gravi injustitiam impedire nequiverunt, nisi agatur de bono publico; sic miles cum periculo vitæ tenetur obsistere hostibus in urbem ingredientibus.

(*a*) Innumeri sunt cooperatores negativi quos enumerare longiùs foret. Tales belli duces, custodes, præpositi negotiorum, vectigalium collectores, consultores ex officio qui non consulunt proùt necesse est ad damnum avertendum [574, *b*]; pater tutorve, omnes deniquè qui, quæ ex justitiâ impedire tenentur, damna non impediunt, clamando nempè, scribendo, obsistendo, manifestando sive ut injustitia non fiat, sive ut facta reparetur.

---

584. Negativè cooperantes habent sæpè suos cooperatores, qui proindè eorum loco tenentur.

Quales qui, etiam sine fraude, sed consilio, etc., impediunt ne clament, obstent, manifestent, etc., eos qui ad id ex justitiâ tenentur (*a*).

Imò, qui medio injusto impediret ne clamet, etc., eum qui ad id tenetur solùm ex charitate, aut qui clamare vult, etsi nequidem ex charitate teneatur; quia medio injusto alium impedit à non patiendo damno.

Quin et teneri potest ut cooperans positivè, si sic agendo damnificatoribus animos addat.

Quid autem de eo qui non obligatus ex justitiâ ad damnum impediendum quod tamen volebat impedire, pretium accepit ut non impediret? Restituat quod accepit vel domino, si id sit aut censeatur pars furti. Secùs, vide 428, *a*.

Sed si talis, sic agendo, damnificatorem reddiderit audaciorem, securitatem promittendo, etc., potest teneri ut cooperans positivè.

(*a*) Sæpè hinc tenentur rustici prædatores qui custodes à delatione avertunt, ni, ob bonam fidem, aliquandò justè excusentur. Sed et tunc damna reparent et quidem antè custodes. Vide 541.

APPENDIX

DE ORDINE SERVANDO INTER COOPERATORES IN RESTITUTIONE FACIENDA.

585. In genere ordo hic statuendus non est secundùm majorem vel minorem, sed secundùm magis vel minùs principalem influxum.

Cùm autem dicitur aliquem primo loco teneri, id significat eum teneri antè alios qui ipsi nihil refundere debent, ità ut omninò liberi sint si restituat aut ipsi fiat condonatio, et è contrà aliis restituentibus refundere debeat, nec liber sit si ipsis condonetur.

Cùm verò dicitur teneri aliquem secundo loco, id significat eum, deficiente, sive ob impossibilitatem sive ob nolitionem, qui primo loco tenetur, restituere debere, ità ut si restituat, aut ipsi fiat condonatio, cæteri sequentes liberi sint; et è contrà ipse liber non sit, si sequentibus condonatio fiat, et illis refundere debeat si restituerint, nec refuderit qui primo loco tenetur. Sed tunc iste ipsi refundere debet.

Undè cùm plures æquè immediatè influxerunt, uni totum restituenti alii refundere debent partes suas; et si uni debitum remittatur, non remittitur ideò aliis in eodem gradu obligatis, nisi pro parte istius, quam, si in solidum teneantur, loco ejus restituere debuissent.

Quòd si inæqualiter, quamvis eodem modo influxerint,

secundùm inæqualitatem hanc partienda, etsi solidaria, restitutio, et loco aliorum restituenti refusio.

Tandem si uni totum restituenti, unus ex aliis solidariis renuat aut nequeat partem suam refundere, omnes debent eam inter se dividere, ità ut qui totum restituit, nec plùs nec minùs quàm cæteri quique restituerit (*a*).

Ergò idem cooperans teneri potest ad aliquid primo aut secundo loco, et ad aliquid aliud secundo aut tertio loco.

(*a*) Æstimat Bailly, cum multis, inquit, contrà Concinam, cooperatorem non teneri ad partes aliorum in dubio, per inquisitionem insolubili, an obligationi suæ satisfecerint; quia præsumi debent satisfecisse. Sed ut probabilius saltem crederem contrarium cum Concina et P. Ant. à Goritiâ. Negligentia restituendi tanta est, et adeò sæpè obligati falsam sibi efformant conscientiam, ut forsan etiam plusquàm dubium sæpè saltem remaneat, ac pro ratione ejus restituendum sit. D. Bailly hìc malè applicare videtur regulam juris : *In dubio melior est conditio possidentis.* Quid enim hìc possidet injustus cooperator ? Sua bona ? Equidem, sed cum onere restituendi pro ratione dubii; quin è contrà injustitiam passus possidet contrà eum ut pro aliis non restituentibus restituat.

---

586. Hic autem ordo inter cooperatores servandus :

Primo loco tenetur qui rem alienam retinet in se vel in æquivalenti, etsi inculpabiliter eam acceperit; et si culpabiliter, quamvis ex eâ factus non sit ditior; quia ex regula 36 juris in 6° *pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.*

Secundo loco mandans et ipsi æquiparati, quia cùm mandanti æquiparantur, sibi non serviunt, sed sunt principales in facto. Talis consulens qui adhibuit fraudem quæ causa damni fuit (*a*).

Sed nota mandantem teneri aliquandò antè retinentem, si nempè partem rei ablatæ ipsi in mercedem dederit, aut si cum re furtivâ famulum aluerit. Quin et tunc de damnis ex re injustè detentâ antè detinentem teneretur ut principalis auctor, et videtur pro eo suscipere onus restituendi.

Tertio loco exequens.

Si tamen hic omnium consensu communi conspirantium loco et nomine injustitiam fecerit, ut sæpè, omnes eodem loco simul tenerentur ut principales in facto, et executor, ut executor, loco sequenti (*b*).

Quarto loco alii cooperatores positivi æque immediatè, etsi alii aliis sint tempore priores, quia unus non servit alteri, sed solùm principali, illi nempè præstando auxilium, instrumenta, etc.

Sed si unus, etsi æquè immediatè, minùs influxerit, ad minùs tenetur.

Et potest fieri ut consulens, participans, etc., sit simul executor, et, ut executor, antè alios teneatur, v. gr., advocatus qui post malum consilium datum clienti, ipsi insuper in injustâ causâ patrocinatur. Est enim nomine clientis executor.

Quinto loco et æquè immediatè cooperatores negativi (*c*) ordinariè loquendo; nisi positivè cooperati sint, damnificatores, v. gr., vel fures, silentio aut negligentiâ præteritâ, reddendo audaciores. Tunc enim quarto loco tenerentur.

Quin soli cooperatores negativi teneri possunt, si nempè illorum incuriâ illatum sit bonâ fide damnum quod inferentibus non profuerit.

(*a*) Specificant alii casum palponis qui atrocibus conviciis alium quasi coegit ad injustitiam.

Nota : Possunt esse duo mandantes subordinati : ut si superior supremus mandet inferiori suo immediato ut ipse sibi infimis jubeat injustitiam. Tunc supremus mandans antè mandantem inferiorem tenetur.

(*b*) De executore qui auctoritate et nomine mandantis agit, dubitant quidam an antè alios cooperatores teneatur. Sed probabilior et communior est opinio affirmans, quia quamvis habeat antè se principalem in facto, nempè mandantem, ipse principalis est antè alios, antè consulentem, etc., isti mediatè, ille immediatè cooperatur.

(*c*) Aliquandò tamen ordo, in obligatione impediendi, ob circumstantias particulares immutatur. Tunc ergò ordo in obligatione restituendi inter causas negativas immutari debet. Sic custos specialis restituere debet antè generalem custodem cujus officium est invigilare ut custodes speciales suo munere fungantur.

Et quidam volunt, inquit P. Ant. à Goritiâ, mutum et non obstantem teneri antè non manifestantem. Sed generaliter auctores non faciunt inter eos differentiam, quæ esset ferè aliundè inutilis, cùm ordinariè mutus, non obstans et non manifestans eadem sit persona.

SECTIO IV.

De hæredibus obligatorum ad restitutionem.

587. TENENTUR pro eis, si non satisfecerint, quia non nisi cum hoc onere ad eos transit hæreditas, quæ tota proinde restituenda est, si tota sit injustè acquisita.

Imò ultrà hæreditatis vires tenentur in foro externo (*a*), supposito quòd hæreditatem acceperint aliter quàm sub beneficio inventarii.

Quòd si plures sint hæredes, pro ratâ restitutionem dividere debent (*b*), et si res aliena, in individuo existens, ad unum transierit, alii huic restituenti, pro ratâ refundere.

Sed si nolint, nec cogi possint, æquè restituenda, quia clamat domino.

Nota : Legatarii non universales ad restitutionem non tenentur, nisi bona hæredibus aut legatariis universalibus advenientia non sufficiant (1024) aut nisi res aliena in individuo legata sit (*c*).

(*a*) Quia in foro externo præsumuntur abscondisse, sed in foro interno veritas cedit præsumptioni (et videtur probabiliùs) inquiunt Navarrus, Sanchez, Billuart, etc., contrà Molinam, Reginaldum, etc. Indè tamen non concludas certò, creditorem aut dominum cui debetur solutio aut restitutio, non posse in conscientiâ neque obtinere sententiam judicis, neque obtentâ uti, quandò sciret hæreditatem non sufficere, cùm hæres legum ignarus eam purè accepisset; non certum enim legem tunc hæredem ultrà vires hæreditatis obligantem non fundari in præsumptione generali, seu periculi fraudis [126, *b*].

Decidit Bonacina hæredem sic damnatum non teneri obedire sententiæ judicis, si nihil absconderit. Æstimo durum saltem, si non injustum, creditorem qui sciens hæreditatem ad solvenda debita non sufficere, hæredem bonæ fidei prosequeretur.

(*b*) Ast tenenturne in solidum? Affirmabant veteres canonistæ, et post ipsos Sylvius, Grandin, Navarrus; quia hæredes jus non habent in bona auctoris nisi solutis debitis pro quibus indivisibiliter obligantur, et quia creditor pejoris esset conditionis post, quàm antè mortem creditoris sui.

Negant multò plures, Lessius, Cajetanus, Pontas, Collet, Billuart, etc., quorum sententiæ quam communem, imò communissimam vocant, conforme est jus civile (870, 1220). Creditores enim, aiunt, etsi ex delicto, nullam neque expressam, ut supponitur, neque tacitam habent hypothecam in bona defuncti; et consequenter obligatio hæredum personalis est, nonnisi mediatè bona affectans; et tenentur solùm in quantùm succedunt

personæ. Cùm ergò nonnisi partim personam repræsentent quoàd bona, pariter quoàd onera.

Excipiebant olìm communiter casum in quo bona essent hypothecata, et casum in quo antè mortem testatoris facta fuisset litis contestatio. Sed hæc pro foro externo, inquiunt DD. Bouvier et Gousset, nam hypotheca non mutat naturam obligationis in foro interno, sed solùm datur ad securitatem, ac proindè hæres potest expectare quòd creditor utatur jure suo hypothecario, antequàm solvat pro aliis qui nolunt aut nequeunt solvere. Quod eò lubentiùs admitterem quòd si creditor suo jure non utatur, ipsi videatur renunciare. Vide sect. 4 et 5, cap. 4, tit. 3, lib. 3 cod. civ.

Ab externo certò probabilior sententia negans hæredes teneri in solidum et patronis suis videtur etiam ab intrinseco probabilior, imò aliquibus certa. Tuta teneri potest, inquit Coll. Andeg. Multùm et in eam inclinor vel ex eo quòd legi civili sit conformis. Nam leges in æquitate naturali fundantur; nec video cur fieret distinctio inter debita ex delicto et debita ex contractu, ut volunt quidam; nullam jam faciebat jus antiquum. Sic enim habet lex unica codicis *ex delictis defunctorum* : « post litis contestationem, eo qui » vim fecit, vel concussionem intulit, vel aliquid deliquit, defuncto, te- » nentur successores ejus in solidum. Alioquin in quantùm ad eos pervenit, » conveniri, juris absolutissimi est, ne alieno scelere ditentur. »

(*c*) Si dubium sit an is cujus quis hæres est, restitutioni quam non fecerit, fuerit obnoxius, et illud dubium, factâ diligenti inquisitione perseveret, in defuncti favorem præsumendum est, inquiunt DD. Bouvier et Bailly post Coll. Parisiensem; quia tota perturbaretur societas si ob vagos rumores quisque bona sua relinquere teneretur, undè innumeri scrupuli, etc. Fatetur tamen D. Bouvier tutiùs esse et principiis conformiùs restituere pro ratione dubii, si positivæ, ut supponitur, habeantur rationes dubitandi.

CAPUT IV.

DE SERVANDIS IN RESTITUTIONE FACIENDA.

SECTIO I.

De eo cui restituendum est.

Vel cognoscitur is cui restituendum, dominus nempè (*sub quo communitas intelligitur*) aut ejus hæres, vel justus rei possessor, ut locatarius; vel non cognoscitur.

588. Si cognoscatur, ipsi fieri debet restitutio, alioquin jus læsum non repararetur (*a*).

Excipe si dominus rerum suarum non habeat administrationem, ut uxor, minor, etc.; tunc enim marito, tutori, etc., facienda, curando ut in inventario, etc., summa inscribatur, vel alio modo domino servetur (*b*).

Si tamen administrator, maritus, v. gr. (*et idem dic de usufructuario, etc.*), rem sit dissipaturus, aiunt passim meritò eam pensatis circumstantiis, esse domino, uxori, v. gr., maximè si sit provida, potiùs, acceptâ tamen cautione, restituendam.

(*a*) Restitutio censetur debitè facta domino cùm fit ipsius bonorum administratori, aut negotiorum gestori, modò 1° moneatur dominus de restitutione ipsi factâ; modò 2° nihil obstet, v. gr., suspicio ne res non perveniat ad dominum. *Dens.* Curandum ergò ut summa in registris (*carnet des recettes*) inscribatur. Sed sæpè forsan videretur adhùc monendus dominus.

(*b*) Quòd si minorenni facta restitutio, in ipsius necessitatem aut commoditatem non cesserit, iteratò restituendum foret [455]. Ità plures, et communiter (1241). Cætera vide sect. 1, cap. 5, tit. 3, lib. 3, cod. civ.

589. Si dominus non cognoscatur, vel absolutè ignoratur, vel solùm ignoratur quis sit ex pluribus.

Si prius, generaliter loquendo, res debita in usus pios impendenda est, factâ priùs diligenti et rei gravitati proportionatâ domini aut ejus hæredum inquisitione [394, *a*]. Talis enim præsumitur voluntas domini. Sed præferendæ causæ piæ, pauperes, v. gr., loci domini, si cognoscatur hic locus.

Inquisitio fit sumptibus ex re restituendâ deducendis, si restituens bonâ fide possesserit. Suis, si malâ (*b*).

Si posterius : vel inter paucos dominus ignotus est, vel inter multos.

Si inter paucos, tres quatuorve (*c*) res est inter ipsos dividenda pro ratione dubii, vel eam sorte jaciant, aut arbitrio judicis rem totam committant.

Si inter multos unius pagi, v. gr., civitatis, provinciæ, ut in injustâ deprædatione hostili, in venditionibus multitudini factis, iniquè v. gr., ponderando aut mensurando, restitutio facienda est modo meliori possibili. Summa proindè dividenda pro ratâ, si fieri possit et incommoda divisionis jura singulorum longè non excedant. Si enim longè excedant, præsumi meritò potest eorum esse voluntatem quòd pauperibus vel ecclesiæ loci sui restituatur.

Sed ipsi communitati restituendum si ipsi ut tali facta sit injustitia (*d*).

Si regi, fisco (e).

Nota 1° : Cùm quis foro cessit (*a fait banqueroute*), non ipsi, sed ejus creditoribus restitutio facienda videtur, cùm omnia bona sua creditoribus cesserit. Creditores successerunt foro cedenti, usquequò solutionem integram acceperint.

Nota 2° : Si possibile sit, monendus est fur cui res aliena ablata quovis modo fuisset, et restituta domino, ne in peccato perseveret aut ne iterùm restituat.

Et aliquandò dominus ipse monendus, si secretò fiat ei restitutio; tùm ne sibi compenset, tùm ne redonet, si sub velo donationis restitutum sit.

Et hæc præsentis sectionis omnia, de solutione ex contractu generaliter dicta sunto, sicut quæ in sequentibus dicentur.

(a) Per 15 aut 20 menses, inquiunt aliqui; sed major à malæ quàm à bonæ fidei possessore inquisitio facienda videtur.

(b) Sed juxtà multos, etc. Vide 593. Nota 3°.

Nota : Sic generatìm pauperibus restituunt qui ob multa furta levia multis facta tenentur, cùm quid parvi solùm debetur unicuique, et non nisi difficilè cuique redderetur. Sic etiam restituunt qui paupertatis fictæ titulo eleemosynas acceperunt. Si tamen tunc summa notabilis sit, et ab uno solo aut paucis accepta, danti reddenda, si cognoscatur (et certò semper cognoscitur tunc); quia tunc dantis intentio ordinariè restringi videtur ad personam aut causam particularem, ac proindè ex errore substantiali facta est eleemosyna.

(c) Videtur, etiamsi inter plures quam tres aut quatuor, eo ipso quòd cognoscuntur, si summa sit sat notabilis ut locus sit eam inter ipsos dividendi.

(d) Si summa sit multùm notabilis, et omnibus aut ferè omnibus injustitia facta sit, potest aliquandò præsumi voluntas incolarum, ut, si summa singulis dividi nequeat, in usus communitatis communes restituatur, cùm onera communia sumptibus particularibus sustinentur, quos mos est distribuere sicut summa restituenda divideretur.

Ast, cùm summa debita communitati non notabilis est, sat inter incolas consuetum videtur ut cedat Ecclesiæ communitatis.

Item si uni aut paucis communitatis restitutio debeatur, et nesciatur quibus. Imò cuivis pauperi summa tunc dari potest, si levis sit momenti.

Nota : Cùm furta facta sunt vel damna illata in exteris regionibus (à militibus, v. gr.); si non sint grandia, et sine longè graviori damno non possint ad privatos quosque summæ competentes remitti, vel si, ut ordinariè, ii privati ignorentur, videtur fieri posse restitutio pauperibus quibuslibet, nec necesse ut pauperibus externæ hujus regionis fiat. Si autem sat grandia sint, vel cognoscuntur privati qui ad restitutionem jus habent, et tunc illis restitutio facienda est ni causa legitima excuset; vel non cognoscuntur, et tunc summa mittenda est ad Episcopos locorum qui in usus pios illam impendunt.

Sed meritò observat hìc Collet quòd si incolæ illi infideles sint, pauperibus illius regionis summa danda sit, non verò in usus pios quibus juvari non possent.

(c) Si summa non sit grandis, præsumi potest regis intentionem esse ut in usus pios impendatur [155, *a*]. *Bailly*, et meritò. Vide insuper infrà.

Nota 1° : Quæ gubernio debentur reponi debent apud perceptorem publicum, curando ut summa in registris consignetur tanquam donum aut restitutio gubernio facta : imò, si opus sit, instrumentum depositionem continens, ab eo recipere quod superiori illius tradetur. Perceptor jurium pro successionibus, actis notariorum, etc. (receveur d'enregistrement) præferendus videtur aliis qui ad hæc non habent registra.

Nota 2° : Cùm nunc vectigalia omnia imponantur in antecessum et indirectè consequenter ad prævisas fraudes; non sine ullâ probabilitate diceretur communitatem pati ex illis fraudibus, ac proindè restitutionem in causas pias posse fieri ex præsumptâ ejus voluntate. Fiscus tamen habere videtur jus immediatum in illas restitutiones.

Mihi narrârunt, qui è fontibus hauserant optimis, Ludovicum XVIII dixisse suæ esse intentionis ut fraudes gubernio factæ in causas pias restituerentur.

SECTIO II.

De loco in quo facienda restitutio, atque cujus expensis et periculo.

590. Possessor bonæ fidei tenetur solùm restituere in loco ubi rem possidet in se aut in æquivalenti.

Si ergò dominus absit, satis est quòd res custodiatur impensis domini, usquequò hic à possessore monitus, significet quò velit rem suam, impensis suis, dirigi.

Si tamen prudenter præsumatur domini voluntas, nec res sufficientis sit momenti ut expensæ fiant ad sciscitandum ab eo quò velit rem suam dirigi, non sunt faciendæ. Sed aliàs refundere debet, modò non sint superfluæ. Quòd si res pereat, perit ipsi, utpotè domino (*a*).

(*a*) Et probabiliùs contrà quosdam etsi remittatur solùm in æquivalenti, cùm scilicet consumpta est. Est hìc tacitum negotiorum gestionis pactum : ut si pereat quod rem in æquivalenti repræsentat, pereat pro eo ad quem remittitur. Remittens utiliter gerit.

---

591. Si verò possessor sit malæ fidei aut detentor vel damnificator, restitutio fieri debet in loco in quo dominus rem suam haberet;

Et quidem impensis periculoque malæ fidei possessoris (*a*), deductis tamen probabiliùs quas dominus fecisset rem

suam asportando; quia sufficere videtur eum indemnem præstare.

Si ergò res pereat, quamvis internuncio fideli commissa, denuò restituendum (*b*), quia tunc censetur perire in manibus injusti detentoris. Omne periculum in se suscipit.

(*a*) Etsi impensæ forent duplò majores quàm damnum quod pateretur dominus, fieri deberet restitutio, inquiunt communiter. Sed Theologo Pict. videtur sufficere tunc ut valor remittatur. Judicarem ex circumstantiis an non sæpiùs de hoc contentus esse deberet dominus, aut saltem ut differretur restitutio.

Ast si impensæ sint triplò aut quadruplò majores, differri certò potest restitutio, vel potiùs monendus, si possibile, dominus quid de re suâ velit fieri.

Quòd si restitutio nunquàm fieri possit, sine his magnis sumptibus, videtur facienda, et certò quidem, si sint solùm duplò majores. Sibi enim imputet injustus possessor. Sed si sint triplò aut quadruplò majores? Et ad restitutionem adigunt non pauci. Alii verò existimant sufficere rem dare creditoris consanguineis aut pauperibus. Pensandæ sunt omnes circumstantiæ gravitatis rei, necessitatis aut utilitatis illius pro domino, damni quod patitur, et faciendum quod in communi hominum sensu melius haberetur.

(*b*) Excipiunt meritò Billuart et P. Anti à Goritiâ, si dominus nuncium designaverit, aut eum electioni debitoris reliquerit, quovis titulo res debeatur, sive eadem reddenda sit, sive alia, quia tunc nuncius personam gerit creditoris, et res censetur domino tradita.

Sed observare non immeritò videtur D. Deus aliud esse quòd dominus consentiat ut restitutio fiat per tertium, et aliud quòd fiat per tertium suo periculo. Ergò examinanda ejus intentio, utrùm nempè periculum in se susceperit.

---

592. Si debitum oriatur ex contractu, attendenda hujus natura, ut sciatur ubi, secluso pacto speciali, res tradi debeat, aut ejus solvi pretium; cujus impensis et periculo (*a*).

(*a*) Sic, si res eadem in individuo reddi debeat, ut in commodato, locatione, deposito, etc., reddi debet in loco in quo accepta est; et, ni culpâ reddentis, periret domino. Impensæ autem sunt illius in cujus utilitatem vergit contractus, et ad cujus exigentiam fieri solet. Si in gratiam utriusque, impensæ sunt communes.

Sed si res alia sit numero, quamvis in specie determinata, ut tot modii frumenti, talis summa (ut in mutuo aut pretio mercium), periret debitori, utpotè adhuc domino, nisi creditor hominem designaverit ad eam accipiendam. Sic varii. Sed leges et consuetudines locorum hæc variare facere queunt. Vide præsertim sect. 2, 3 et 4, cap. 3. tit. 3, lib. 3, et sect. 1. cap. 5 ejusdem libri cod. civil.

SECTIO III.

De ordine servando inter debita, cùm debitor non habet undè omnibus satisfaciat.

ARTICULUS I.

De ordine servando, etc., cùm sunt debita privilegiata aut *hypothecata*.

593. Hæc antè alia solvuntur et is inter ea servatur ordo ut quæ sunt simpliciter privilegiata, præcedant privilegiata per hypothecam (2095) (*a*).

« Entre les créanciers privilégiés, la préférence se règle » par les différentes qualités des priviléges (2096). »

« Les priviléges peuvent être sur les meubles ou sur les » immeubles (2099). »

Cætera vide sect. 1, 2, 3 et 4, cap. 2, tit. 18, lib. 3 cod. civ.

Hypothecæ sola afficiunt immobilia quæ sunt in commercio cum accessoriis suis immobilibus reputatis, et usumfructum eorumdem, etc. (521). Vide Cap. 3 ejusdem tituli, et ubi opus erit, sequentia usquè ad cap. 10 inclusivè (*b*).

Ergò simplex creditor qui debitum receperit in præjudicium creditorum privilegiatorum in mobilibus, aut hypothecariorum in immobilibus, illis restituere debet.

(*a*) Tale privilegium habent in mobilium generalitatem (quæ (2101) enumerantur) sumptus justitiæ, funebres, quicumque ultimi morbi, etc., et in quædam mobilia (quæ) (2102), in pretia prædiorum et locationis, in fructus eodem anno collectos. Sumptus pro conservatione rei, creditum in pignus quod quis habet in suâ potestate, pretium mobilium verè solutum, si adhùc ea emptor habeat, etc. Sunt itidem privilegiata in immobilia, debita quæ (2103) enumerantur. Venditor privilegium habet in immobile venditum pro ejus pretio, et qui pecuniam pro emptione immobilis dederunt, etc.

(*b*) Ordo autem inter creditores cum hypothecâ sive legali, sive judiciariâ, sive conventionali, est juxtà diem inscriptionis in registris conservatoris. Sed excipiuntur aliquæ hypothecæ quæ absquè ullâ inscriptione existunt, ut quam habent uxores pro dotibus et conventionibus matrimonialibus in immobilia mariti; minores in immobilia tutorum pro bonorum suorum gestione, etc. (2134, etc.)

Hæc autem pro foro interno valent, quia standum legibus ubi saltem jus naturale nihil præscribit. *Collet*, etc.

ARTICULUS II.

De ordine servando, etc., cùm nulla sunt debita simpliciter privilegiata, aut *hypothecata*.

REGULA I.

594. Res aliena in individuo existens, ante omnia reddi debet (*a*).

Imò venditor rei mobilis, non soluto pretio, si terminus nullus pro solutione præfixus sit, potest intrà octo dies rem suam revendicare, quibusdam casibus exceptis (2102)(*b*).

(*a*) Etiamsi dominus ignoraretur, quia clamat domino. Imò excludit omne privilegium.

Debita certa, sunt ne priùs solvenda quàm incerta ? Hæc duplici modo incerta esse possunt. Primò, ratione suî, cùm nempè dubitatur an fuerint contracta. Secundò cùm certum est ea esse contracta, sed ignoratur ergà quem. In priori casu multò communiùs docent priùs solvenda esse debita certa; sed suæ sententiæ non afferunt ullam rationem, nisi quòd rationi et æquitati id consentaneum sit. Ast stando principiis, videretur aliquid pro ratione dubii huic dubio creditori tribuendum. *Dens, Bouvier.*

In posteriori verò casu, major et fortè longè major pars theologorum post DD. Antoninum et Bernardinum, Delugo nempè, P. Gab. Ant., Collet, etc., tenent priùs adhùc satisfaciendum creditoribus qui cognoscuntur; quia talis est domini incogniti præsumpta voluntas. Sed nonne dici potest itidem præsumptam domini ignoti voluntatem esse ut quod sibi certò in partitione debetur, impendatur in pias causas ?

Opinio ergò DD. Antonini et Bernardini est ab extrinseco probabilior, sed contraria videtur principiis conformior, ac proindè ab intrinseco probabilior. Hanc amplectuntur Daelman, Dens, etc.

(*b*) Si jus naturale hìc attendatur, res empta, etsi non soluta, confundenda est cum aliis bonis debitoris, quia in dominium illius transiit. Ac proindè venditor non posset repetere pretium nisi pro ratà suâ cum aliis creditoribus. Sed jura contraria sunt, et jura conventiones regulant.

REGULA II.

595. Seclusis privilegio simplici et hypothecâ, debita ex delicto debitis ex contractu et vice versâ, non sunt præferenda;

Nec debita priora posterioribus.

Sed omnibus pro ratâ satisfaciendum. Sic jura. Aliundè æqualitas per prælationem peræquè violaretur, jura enim creditorum videntur æqualia (*a*).

Attamen debita ex delicto, vel ex contractu oneroso præferenda forent debitis ex contractu gratuito. In contractibus enim gratuitis subauditur conditio : si habeam undè creditoribus fiam satis. Quod evidens est, si contractus gratuitus sit aliis posterior (*b*).

Nec præferendi pauperes nisi sint in necessitate extremâ constituti.

(*a*) Sat communior et probabilior est sententia eorum qui sic autumant, ut eam pro principio dare posse crediderim.

Quoàd priorem articuli partem pro nostro principio stant Delugo, Sylvius, Grandinus, Cabassutius, Molina, Collet, P. Gab. Ant., Dens, etc., contrà Medinam et alios qui volunt præferenda esse debita ex delicto, et contrà Navarrum, Cajetanum, Pontas, etc., qui volunt præferenda esse debita ex contractu, et non parva est in favorem nostri principii hæc adversariorum oppositio.

Tandem pro nobis est codex civilis (2093, 2096).

Quoàd posteriorem verò articuli partem de quâ non tractant nisi pauci ex iis quos legi auctores, videtur P. Gab. Ant. et D. Dens sat fundata in legibus. Regulæ enim : *Qui potior est tempore potior est jure* (quæ valere solùm videtur inter hypothecarios) opponi potest lex 17, § de privilegiis creditorum, ubi dicitur : *Privilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causâ; et si ejusdem tituli fuerunt, concurrunt. Licèt diversitates temporis in his fuerint.* Et opponeretur praxis tribunalium. Et si velis rationem naturalem : omnes et priores et posteriores creditores æquale jus habent.

Nec dicatur cum aliquibus ordinem à jure inter creditores præscriptum valere solùm pro foro externo, nam... Vide 594 *b*.

(*b*) Sed et quamvis anterior. *D. Bouvier.* Quod mihi videtur longè minùs certum, quamvis æquissimum. Sed casus adeò rarus est ut, etc.

REGULA III.

596. Seclusis itidem, etc., potest debitor, antequàm foro cesserit, solvere creditori debitum integrum, si, saltem in judicio, petatur (*a*).

Quia jura vigilantibus subveniunt. Imò quamvis creditor non petiisset, in foro externo reddere non teneretur (*b*).

(*a*) Ast si extrà judicium debitum petatur? Licitè solvitur et accipitur, inquiunt Sylvester, Lessius, Cabassutius, Pontas, quorum sententiæ ut communiori et probabiliori adhærent P. Ant. à Goritiâ, Dens, etc., quia diligentia facit jure potiorem; et lege 24, § *Quæ in fraudem creditorum,* dicitur sine distinctione, non posse revocari quod solutum est uni creditori debitum exigenti.

Sed alii post Delugo et Vasquez contrarium opinantur, quia sola petitio non dat privilegium et leges loquuntur solùm de petitione in judicio, et sententiâ judicis.

In praxi ob dubias et oppositas sententias, non inquietandus, aiunt aliqui, creditor qui bonâ fide recepit debitum quod petiit, si debitor bonâ fide solverit petenti, non autem ut alios fraudaret, præsertìm si sperabat se satìs postea lucraturum ut omnibùs solveret. Item si creditor petiisset solùm timens ne debitor impar fieret. Nam id exigere videtur pax et tranquillitas. Esset confusio si foret inquirendum de bonis debitorum et juribus creditorum. Sic olim à senatu Aquisgranensi ferunt judicatum. Speculativè tamen sententia Delugo videtur probabilior.

(*b*) Plures contrà alios ad restitutionem obligant creditorem cui non petenti debitum solutum est, quia nulla lex ipsi favet, et reverà videtur cooperari injustitiæ quam suis aliis creditoribus facit debitor.

Nota : Non licet debitori monere creditorem ut prior solutionem petat, et sic ei totum solvat; quia talis monitio est fraudulenta et injuriosa aliis creditoribus. *Dens* et *P. Ant. à Goritiâ,* contrà quosdam.

RESUMPTUM.

1° Reddenda res aliena quæ existit in se.

2° Solvenda debita privilegiata simplicia.

3° Solvenda debita *hypothecata* secundùm ordinem inscriptionis.

4° Solvenda æqualiter debita personalia, sive ex delicto sive ex contractu; sive priora sive posteriora, postponendo tamen debita ex contractu gratuito, saltem aliis posteriora.

OCTAVUM
DECALOGI PRÆCEPTUM.

Non dices contrà proximum tuum falsum testimonium.

Sub denominatione peccati in genere diffamationis gravioris, omnia alia diffamantia directè prohibentur hoc præcepto proùt negativo; indirectè autem, proùt affirmativo, præcipitur famæ et honoris reparatio.

NOTIONES PRÆVIÆ.

597. Fama est communis de alterius excellentiâ existimatio;

Honor verò hujus existimationis testificatio.

Excellentia autem in virtute potissimùm, minùs autem præcipuè in aliis dotibus consistit.

Quæ si solùm apparens sit, non nisi per accidens jus dat ad famam et honorem, semper tamen verum jus, in exigentiâ pacis publicæ fundatum.

PARS I.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO, UT NEGATIVO.

598. Prohibet omnem, sive internam sive externam, proximi diffamationem.

Et quidem sub mortali ex genere suo, graviorique ex se peccato injustitiæ in bonis fortunæ.

Mortalis autem, in genere, censetur diffamatio quæ dissolutiva est pacis et amicitiæ inter homines, ac proindè quæ notabiliter minuit bonam æstimationem quæ habetur de aliquo, qualis, per se loquendo, diffamatio quæ fit in genere peccati mortalis, aut naturalis defectûs, quoàd famam, æquivalentis (*a*).

Sed sæpè diffamatio ex se gravis, per accidens levis fit ratione personarum, utpotè quæ per eam leviter solùm infamentur; sicut è contrario minui notabiliter potest in re de se levi bona de personâ aliquâ æstimatio.

Hìc nota 1° diffamationem in aliquo genere morum, v. gr., talem esse superbum, avarum, iracundum, etc., gravem esse vel levem proùt graviter vel leviter proximus infamatur; intelligendo, aut dando intelligi rem esse in materiâ, relativè ad personam, gravi aut levi.

2° Graviorem esse diffamationem quæ in communitatem cadit, quàm quæ in particularem; et in communitatem redundare sæpè diffamationem quæ fit de ejus membris, vel etiam de uno, quamvis non designatis.

(a) Ut defectus natalium, fatuitas, damnatio parentis ad triremes, aut aliquis notabilis defectus civilis.

CAPUT I.

DE INTERNA PROXIMI DIFFAMATIONE.

599. Interius proximus diffamatur per dubia, suspiciones, opiniones et judicia temeraria.

Hæc autem omnia temeraria sunt, cùm non fundantur *motivis* quæ agant in virum prudentem, quæ proindè majora esse debent ad judicandum firmiter quàm ad opinandum præcisè (*a*); ad opinandum quàm præcisè ad suspicandum, et ad suspicandum quàm ad dubitandum (*b*).

Ad cognoscendum verò an et quæ in his temeritas sit major vel minor, attendenda natura facti et omnes circumstantiæ loci, temporis, personarum, et præcipuè causæ vel occasionis judiciorum, etc. (*c*).

(*a*) Opinio est cùm judicatur cum aliquâ formidine. Si hæc formido sit valdè modica, opinio accedit ad judicium. Si gravis, suspicio est. Sed cum his non sunt confundenda mera cogitatio, repræsentatio, suppositio, quæ possunt quidem esse peccata ratione sui, sed non ratione diffamationis, cùm nullum judicium, suspicionem, etc. includunt.

(*b*) Exemplum affert D. Dens: vidisti hominem furantem. Non temerè ju-

dicas. Vidisti eum fugientem è domo, in quâ furtum esse deprehenditur, non temerè suspicaris eum esse illius auctorem. Sed temerè id judicares.

(c) Pro naturâ facti : aliqua sunt quæ bono fieri animo nequeunt. Alia è contrà. Pro personis ; minora pro variis vel majora requiruntur ad judicandum motiva. Item faciliùs temerè judicasse præsumitur homo levis, juvenis, mulier, ad id propensi, etc., quàm gravis et irreprehensibilis. Pro loco et tempore : faciliùs non temerè judicaretur diversi sexûs personis, noctu, in loco secreto liberiùs, quàm die et in patenti loco colloquentibus. Pro occasione judicii : Rumor publicus aliquandò fundatus est, et aliquandò vagus. Narratio fieri potest ab homine gravi, omnia pensante, vel ab aliquo levi omnia credente. Pro causâ : faciliùs et sæpissimè temerè judicant, suspicantur qui habent defectum quem in aliis putant videre. Item qui malè affecti, ex invidiâ, odio, etc., judicant. Faciliùs tandem juvenes quàm senes qui experientiam habent, etsi hi suspiciosi sæpè sint ultrà modum. Superbia, levis credulitas, curiositas sunt etiam fontes judiciorum, etc.

---

600. Peccata internæ proximi diffamationis, contrà justitiam mortalia sunt ex genere suo, cùm in eis notabilis est temeritas, si saltem usquè ad judicium sive firmum, sive opinativum pervenerint (*a*). Valdè enim injuriosa sunt ei de quo, non nisi levibus indiciis apparet id quod ipsum dedecorat.

Notabilis est autem temeritas cùm motiva judicandi, etc., multùm distant ab iis quæ moveri solent virum prudentem (*b*).

Et graviora sunt hæc peccata si, ut sæpissimè, ipsis annexa sit detractio, seu manifestatio suspicionis, etc., de quo interrogandi pœnitentes.

Nota : 1° judicia, etc., non ideò temeraria non fuerunt, quòd posteà vera fuisse deprehendantur.

2° Ferri posse judicia, haberi suspiciones temerariè de opere, quin personam directè attingant, de iisque conqueri possit, nisi ipsi tribuatur mala intentio; v. gr., cùm quis, ex inscitiâ, mortalia credens verba merè scurrilia, mortaliter peccare judicat qui ea proferunt. Error tunc non est in judicio de personâ, sed de re.

Postulat tamen charitas ut excusetur intentio cùm excusari nequit actio, quin et id postulare potest justitia, saltem si ex intentione pendeat malitia actûs. Si nec actio nec intentio excusari possint, totum judicio Dei committendum dictat saltem prudentia.

3° Suspiciones et dubia sunt in bonam partem interpre-

tanda, saltem negativè, seu mentem avertendo. Imò positivè si aliter periculum sit temerè judicandi, vel succumbendi gravi tentationi contrà proximum, aut non implendi præceptum charitatis.

Sed non temeraria suspicio est, cùm sui aut aliorum damnum præcavetur, quia id fit per modum suppositionis, non per modum persuasionis.

(*a*) Sic communissimè. Sed notant judicia, etc., temeraria sæpè etiam in materiâ gravi levia esse, sive ob non plenam deliberationem, sive quia non sunt notabiliter temeraria. Sed defectus plenæ deliberationis non est admittendus in parùm timoratis qui vitam aliorum attendere et carpere solent. Secùs in aliis qui multis contrà proximum tentationibus torquentur inviti. Interrogati enim responderent se iis non credidisse, aut noluisse credere.

Ast num de dubiis et suspicionibus temerariis dicendum idem ac de judiciis, etc.? Affirmant Sylvius, Medina, Delugo, saltem si in re multùm gravi, quia apostolus (1 ad Timotheum, 5.) suspiciones malas invidiis et contentionibus assimilat; et quia graviter lædunt jus proximi ad famam; cùm nemo sit qui ex iis non habeat se, in materiâ gravi, multùm offensum.

Alii è contrà post D. Antoninum, Alexandrum alensem, Navarrum, etc., quibus adjungi posse videntur DD. Augustinus et Thomas, hæc venialia solùm existimant, nisi annexum habeant affectum graviter malum aut periculum ulterioris peccati gravis.

Ut solùm dubiè mortalia habenda videntur; sed ut certè mortalia si in re valdè injuriosâ et rarâ, ut si quis ex levibus indiciis plenè deliberatè suspicetur aliquem esse Sodomiæ, etc., deditum. Sed sæpissimè venialia sunt, quia non carent indiciis, si non sufficientibus, saltem à sufficientibus non valdè remotis, præsertìm si in eo genere sint in quo quis jam peccarit.

(*b*) Aliqui requirunt advertentiam ad insufficientiam motivorum; sed satis esse videtur quòd ad hanc adverti possit et debeat.

CAPUT II.

DE EXTERNA PROXIMI DIFFAMATIONE.

Fieri potest in judicio et extrà judicium.

SECTIO I.

De proximi diffamatione in judicio.

601. Hæc, quæ ordinariè perjurium annexum habet, peccatum est sæpè gravissimum, obligationem inducens non solùm famam, sed alia damna reparandi.

Hujus autem diffamationis rei esse possunt denunciator, accusator et testis.

Testis vocatur qui in judicio testatur se rem talem vidisse aut audivisse.

Testi assimilantur qui instrumenta publica conficiunt.

Testis, alius idoneus dicitur qui utroque jure admittitur;

Et alius non idoneus, qui vel naturali, ut amens, vel positivo jure rejicitur (*a*).

(*a*) Sed sunt casus in quibus testis jure ineptus, admittitur. Tales casus criminis læsæ majestatis, et alii in jure, maximè si copia testium haberi nequeat.

---

602. Tenetur quisque se in testem offerre cùm id exigit bonum commune aut charitas proximi; et ex justitiâ testimonium ferre, si cum intentione promittendi se obtulerit.

Item quandò, ut in monitoriis, adest præceptum generale superioris;

Tandem cum quis legitimè citatur, etsi jam plures testificati sint (*a*).

Excipe eos qui ex naturâ rei aut legum dispositione à testificando immunes sunt, quales

Qui non satis rei recordantur, aut eam non acceperunt à viris fide dignis, sed rumore publico, nihilque noverunt quod possit judicem instruere;

Et qui testificari nequeunt sine gravi suî aut suorum damno, nisi testimonium eorum exigat bonum commune. Sed curent, si possunt, ut damna aliter reparentur;

Et consanguinei aut affines eorum contrà quos lis instruitur, in quocumque gradu lineæ rectæ (*b*), ni agatur de crimine læsæ majestatis, proditionis patriæ, etc. (*c*);

Et familiares domesticive, ubi sic est praxis, nisi, v. gr., agatur de criminibus quorum soli notitiam habere possunt;

Et reus et complices, nisi legitimè ut tales, interrogentur, etc. Vide, si opus sit, codicem processûs civilis (*d*) [538].

Quin et sunt qui testificari nequeunt, ii nempè qui rem non cognoscunt nisi sub secreto naturali, et qui eam ab istis acceperunt (*e*).

Nota : Cùm per judicis mandatum intenditur solùm rei emendatio, aut partis læsæ satisfactio, testificari non licet nisi reus emendari nolit aut satisfacere.

Nec cùm certò scitur rem de quâ inquiritur, commissam fuisse sine culpâ saltem mortali.

(*a*) Testis unicus, juxtà aliquos, non tenetur testificari, tùm quia accusatio cum uno teste temeraria est et injusta, ac proindè testis ille unicus juridicè non interrogaretur; tùm quia inutilis foret testificatio illius, cùm testis unicus testis nullus sit.

Excipiunt tamen casus in quo testimonium unicum necessarium foret ad avertendum malum imminens reipublicæ, aut illud injustè illatum reparandum, nisi timeatur aliquid grave proportionatum bono quod procurari potest.

Alii vero contrà sentiunt, extrà casum in quo testis unicus exponeretur periculo incurrendi notam calumniatoris, sive ob contrariam rei confessionem, sive, etc., quia testimonium unicum semiplenam dat probationem, postquam judex poterit reum interrogare, et sic veritatem attingere. Probabilior videtur hæc sententia. In dubio, consilium à viro regio (procureur du roi) ut privato quærerem.

Sed aliam graviorem, et magis practicam movent hìc quæstionem, utrùm nempè testis legitimè citatus comparere et testificari teneatur ex justitiâ strictâ, ità ut, si non faciat, debeat damna reparare.

Alii inter quos P. Gab. Ant., Collet, Wiggers, et alii communiùs, post Sotum, Navarrum, etc., affirmant, præsertim si ille testis compareat, imò probabiliùs, licèt non compareret, quia si compareat agit personam publicam ac proindè ex officio, ob pactum quoddam, veritatem aperire debet; et quia si non compareat, excutit onus sibi à republicâ justè impositum. Qui enim imploravit legum auxilium, inquiunt, jus habebat illud implorandi, et per hoc aliud jus acquisivit, nempè ut sibi succurreretur. Idem dicunt, si testis occultet se ut non citetur. Suam sententiam confirmant exemplo judicis qui etsi invitus electus esset ad judicandum, ex justitiâ judicare teneretur, et addit Collet (qui hanc sententiam communiorem dicit), justam legem judicis tribuere actori vel reo jus ad testimonium alterius, sicut ad bona alterius jus tribuit judicis sententia.

Idem ac de teste dicit veriùs P. Gab. Ant., de eo qui subtrahit, supprimit, lacerat, vel tradere renuit instrumenta alteri profutura ad jus suum obtinendum, etiamsi sint in favorem adversarii sui.

Alii verò : Molina, Delugo, Sylvius, Billuart, etc., vident equidem in teste obligationem obedientiæ, religionis, justitiæ legalis, gravem ex genere suo; sed non probabiliùs obligationem justitiæ strictæ, ità ut, si non compareat aut taceat, celet aut non dicat veritatem, de damnis non teneatur. Ratio eorum est quòd jus quod habet judex citandi aut superior monitorium decernendi, non sit strictum, sed solum jus altum ut jus jubendi ire ad bellum, suscipere minoris tutelam. Mandata enim superiorum, quæ versantur circà actiones nostras liberas non inducunt obligationem justitiæ commutativæ. Nec judex habet in actiones nostras liberas dominium; ac proindè non potest illud actori tribuere, officium equidem testificandi impositum est, sed non est acceptatum ; ac proindè ruit comparatio desumpta à judice qui judicat invitus.

Sat arridet hæc sententia. Sed aliud fortè dici posset si comparet testis et deponat, quia tunc acceptat obligationem sibi impositam dicendi verum.

Sed et forte verisimiliùs responderi posset, illam acceptationem non mutare obligationis naturam, sed esse meram obedientiam justitiæ legali.

Certò saltem ad restitutionem teneretur testis si ità in favorem unius testificaretur, ut omitteret ea quæ alteri favere possunt, quia cùm deponit, tenetur ex justitiâ strictâ depositionem facere quæ accusatum plus æquo non gravet, circumstantiasque dicere quæ ei favere possunt.

Item si positivè falsum testificando fuerit causa damni illati, vel inquit Molina, si accedendo ad testificandum in causâ sit, veritatem celando, ut is, in cujus favorem tenebatur verè dicere, non adhibeat alios testes et ideò, causâ cadat.

(b) In quibusdam locis usque ad secundum gradum lineæ collateralis, in diœcesi Bisuntinâ, usque ad quartum pro exemptione deponendi in monitoriis.

(c) Et hæresis ex jure canonico. Idem jus excipit adhùc causas matrimoniales.

(d) Qui non tenentur testificari, non peccant dicendo se nihil scire, quia eorum restrictio mentalis est sensibilis. *P. Jos. Ant.*

(e) Tales advocati, procuratores, medici, obstetrices, etc., aliive à quibus consilium sub secreto petitum est. Id exigit bonum publicum.

Excipe, si rem aliundè noverint, etsi promiserint se non testificaturos; aut si agatur de avertendo damno gravi publico, vel etiam privato futuro, quod ex malitiâ rem sub secreto committentis immineret. Non enim tunc quisquam censetur, nec posset se ad secretum obligare.

---

603. Testis falsus est, non solùm qui falsum affirmat aut verum negat scienter;

Sed et qui ut certum deponit id de quo dubitat, vel se vidisse quod tantùm audivit;

Et qui rem sciens veram, alium qui eam ignorat, inducit ad testificandum;

Et qui falsum condit instrumentum aut verum adulterat, et eo utitur ad pervertendum judicium.

Nec peccatum desinit esse mortale cùm hæc fiunt ad injustitiam, etiam manifestam propulsandum, vel jus certum recipiendum, vel quia qui scripturam publicam amisit, simili indiget pro suâ indemnitate. Res enim publica decipitur tunc in re gravi, et nocumentum fertur fidei publicæ.

In his tamen casibus obligatio non est rem acceptam restituendi; quia debebatur (*a*).

Nota: Testis falsus retractationem facere tenetur juxtà formam juris cum simili, imò majori periculo quàm quod

incurrit injustè damnatus, si aliter non possit damna impedire aut resarcire, cùm ad omnium cujusvis generis damnorum restitutionem obligatus sit.

(a) Ad litis impensas teneri posset quis tunc, quia debitor eas non tenebatur ferre, nisi servato ordine juris. *Collet.*

APPENDIX

DE MONITORIIS.

§ I.

De naturâ monitorii.

604. Monitorium est mandatum judicis ecclesiastici sub pœnâ excommunicationis *ab homine*, latæque ferè (*a*) ubique sententiæ, præcipientis revelationem auctoris criminis alicujus rei publicæ perniciosi, vel damni alicujus valdè gravis proximo illati, et ejus reparationem.

Juxtà communem, graviter peccant qui sine causâ sufficienti aut ex falsâ allegatione monitoria petunt, et judices qui tunc ea requiri permittunt.

De his ergò moneantur qui monitoria impetrare intendunt. Et reis testibusque exponantur in proclamationibus terribiles inobedientiæ effectus.

Per parochum commissum, vicarium aut alium ab Episcopo deputatum fiunt monitorii publicationes, tribus, ex jure, dominicis diebus continuis, intrà missarum solemnia.

Non potest suspendi secunda aut tertia publicatio, nisi de mandato ordinarii aut consensu impetrantis, vel nisi adfuerit intercessio juridica, quæ tunc ad judicem qui monitorium obtineri permisit, deferenda est (*b*).

(*a*) Latæ sententiæ in diœcesi Bisuntinâ.

(*b*) Multis saltem in diœcesibus (sic in Bisuntinâ) suspenduntur publicationes incidentes in dominicas Palmarum, Paschæ, Pentecostes, aut in quas cadunt festa solemnia, uti Nativitatis, Epiphaniæ, et intrà Octavam Corporis Christi.

§ II.

De obligatione revelandi in monitoriis.

605. Omnes diœcesani (etiam impuberes in Galliâ) quamvis maneant extrà parochiam in quâ monitorium publicatur, sub mortali ex genere suo tenentur revelare (ni jure exempti) [602], si habeant factorum in monitorio contentorum notitiam utilem impetranti (*a*) nisi certò sciant mentem ejus non esse ut contrà tales, uxorem, v. gr., vel filios suos, revelent, vel crimen condonatum esse aut expiatum, supposito quòd vindictam non exigat bonum publicum.

Ergò qui, jam factâ unâ proclamatione, ex diœcesi discessurus est, etiam animo non revertendi, antè discessum revelare tenetur.

Secùs, qui, sine fraude, etiam causâ itineris, discedit antè proclamationes, nec redit nisi elapso tempore ad censuram incurrendam præfixo.

Multùm distans, aut lecto decumbens, scribat se habere aliquid revelandum.

Jure naturali ad revelandum teneri possunt extranei.

Revelatio autem fieri debet post primam monitionem, ob mala ex dilatione possibilia, ni excuset justa causa, putà consilium petendum, etc.

Sed excommunicatio non incurritur nisi ultima effluxerit dies præfixa ad revelandum (*b*).

Non tunc tamen cessat obligatio non impleta; perseverat enim quandiù revelatio utilis esse potest, etiamsi, ob impedimentum, statuto tempore fieri nequiverit.

Imò et prævenire tenetur qui prævidet impedimentum (*c*).

Nota : Parochus, etc., excipiens revelationes non suscipit juramentum revelantis. Simpliciter mittit revelationes et novas iterùm, si fiant. Vide Rituale.

(*a*) Juxtà plures, contrà Col. Andeg, revelare tenentur advenæ, si sat diù commorentur.

(*b*) Octavâ die post ultimam publicationem, in diœcesi Bisuntinâ.

(*c*) Qui non novit monitorii publicationem nisi elapso tempore præfixo, revelare tenetur, si res nondùm sit judicio definita. *Suarez, Col. Andeg.*

SECTIO II.

De externâ proximi diffamatione extrà judicium.

Fit hæc per detractionem et contumeliam.

ARTICULUS I.

De detractione.

606. Detractio in genere est hominis absentis, etsi jam mortui, injusta famæ denigratio.

Si denigratio hæc fiat per injustam criminis aut defectûs veri, sed occulti, manifestationem, detractio simpliciter;

Si per impositionem criminis aut defectûs falsi, calumnia;

Et si ad dissolvendam amicitiam, susurratio appellatur.

His affinis est injusta murmuratio.

Quæ omnia in confessione distinguenda sunt; et quod horum, an odium, an invidia, an, etc., motivum fuerit, aperiendum.

Varios detrahendi modos versibus sequentibus expresserunt, quorum unus, includit modos positivè et directè; alter verò modos negativè et indirectè detrahendi.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat aut minuit, retinet, laudatve remissè.

Undè silentium, et à fortiori verba generalia cujusdam criminis suspicionem in audientibus excitantia, detractionem gravem facere queunt.

---

607. In genere mortalis est detractio, etiam viro discreto, aut ex merâ loquacitate animive levitate, modò tamen deliberatè facta, cùm detrahitur ex animo famam notabiliter lædendi, aut cùm de facto notabiliter læditur (*a*).

Major tamen quæ per libellum famosum aut cantilenas, et quæ ex malo affectu, quàm quæ ex levitate et loquacitate merâ.

Major tandem calumnia est susurratio quàm detractio simplex (*b*).

Sed sicut furtum et damnificatio talia non remanent cum dominus non est rationabiliter invitus, jusve amisit ad bona, ità detractio (*c*).

(*a*) Collet à mortali excusaret difficilè detrahentes de iis qui se de criminibus glorificant, ut quæ eos non graviter infamant, ut si narretur duellum de milite. Juxtà verò alios non paucos, ii jus suum ad famam in hoc genere abjiciunt in quantum possunt, mundanorum paucorum famam præferentes. Ergò illis non fit injustitia. Meliùs forsan et certiùs diceretur quòd talis detractio detractio sæpè non sit, quia qui se de talibus glorificant, jàm ut talium capaces existimantur. Multa sunt enim quæ, quamvis gravia, graviter saltem ubique, non infamant, ut ebrietas in Germaniâ ubi communis est. Nollem tamen cum quibusdam extendere hæc ità, ut à mortali excusem semper qui de milite diceret quòd virginem deceperit, de juvene quovis quòd amoribus sit deditus, de quâvis muliere quòd rixetur, de quovis plebeio quòd (si ità sit) pater ejus fuerit patibulo suspensus, quasi ordinariè in istis similia parvi pendantur.

(*b*) Ut cognoscatur gravitas detractionis, attendendum 1° ad qualitatem tùm personæ detrahentis, si gravis sit et discreta, aut garrula et levis; tùm personæ de quâ detrahitur, quia quædam personæ parùm æstimationis deperdunt, undè aliæ multùm. 2° Ad circumstantias loci, ut mox dictum est, et modi quo detrahitur. Nam ut levior habetur detractio quæ fit de communi (modò in communitatem non cadat) quàm quæ de particulari.

(*c*) Hinc 1° injustè non detrahit qui detrahit ad emendationem delinquentis, ad petendum consilium auxiliumve, vel ad damnum tertii avertendum, ut cum agitur de matrimonio infaustè ineundo, de famulâ nequam locandâ, etc., vel ad tollendam famam per hypocrisim partam, si aliis nociva, famam v. gr., medici ignari; vel ad bonum commune et exemplum relinquendum, ut historici faciunt de mortuis, modò emendationem, si quæ fuerit, referant. Sed in his et similibus càsibus, non dicatur ut certum quod levibus conjecturis innititur, nec pluribus quàm necesse sit, nec ex invidia aut odio, nec, ni oporteat, persona nominetur.

Infamiæ compensatio causa non est infamandi nec probabiliùs solatium quærendum in mœstitiâ, quàmvis aliqui causam hanc justam existiment, si res dicatur viro discreto. Nec tandem humilitas causa sufficiens est seipsum infamandi si grave scandalum, malum suî, suorum aliorumque ex justitiâ vel charitate avertendum, indè oriri debeat, ut si se diffamans, hinc inhabilis fieret ad obeunda munia publica. Sed per se veniale est, extrà hoc casus, seipsum sine causâ diffamare.

Hinc 2° non peccat contrà justitiam qui crimen publicum publicitate juris, seu per judicis sententiam publicè latam narrat in locis pro quibus jus ad famam per hanc sententiam ablatum est. Sed potest graviter peccare contrà charitatem.

Nec qui illud narrat in locis ubi per depositionem testium, rei confessionem aut alio modo hic reus, ratione ejus, diffamatus est, etsi narrationi adsit qui adhùc illud ignoret; quia diffamatio tunc non est damnosa, cum parvi pendatur fama quæ restat solùm apud aliquos. Quod verum est, etsi crimen fuerit injustè divulgatum, modò verum sit, quia fama æquè perdita est. Sed si crimen falsò imputaretur, falsitas esset aperienda, præsertìm si ex silentio crimen ut verum conjiciendum sit.

Nec qui crimen narrat in loco ad quem certò et brevi famâ illud perlaturæ est ratione propinquitatis, commercii, etc.; saltem tunc venialis solum foret detractio; quia ibi non multi valet jus quod ad famam diffamatus conservat. Imò parùm tunc, et forsan nullatenùs læditur charitas, et interest reipublicæ, inquit Collet, ut mali, præsertìm contagiosi cognoscantur. Quâ Colleti decisione multi abutuntur. Nollem ergò dicere, cum pluribus crimen posse ubique promulgari. Reus enim jus ad famam conservat ubi non est deperdita, nec statìm deperdi debet, inquiunt meritò de Coq, Steyaert, Daelman, qui et non sine fundamento autumant injustum esse narrare in eodem loco, ignorantibus, crimen injustè divulgatum, seu publicum non per factum, sed per injuriam; quia nihil aliud esse videtur quàm continuare et augere injuriam à primis detractoribus illatam. Semper tamen verum videtur famam tunc in illo loco parvi valere, utpotè saltem difficilè vel apud paucos conservandam.

Sed certò injustus foret qui crimen narraret in loco, ubi non nisi per detractores reus est diffamandus; præveniret enim detractores in injustitiâ. Et si per judicis sententiam reus in illo loco sit diffamandus, vix potest cum charitate conciliari divulgatio criminis, si rumor illud hùc non erat laturus. Nam alteri non feceris, etc.

---

608. Nota 1° graviter peccare qui crimen jàm solùm ex rei confessione aut testium depositione notum revelat, si gravia indè, præter diffamationem, damna diffamato adveniant, quia jus ad famam, etsi tunc in genere famæ parùm æstimabile, remanet tamen.

Si autem nulla talia damna eveniant, peccatum solùm veniale est prævenire ferendam certò moraliter judicis sententiam, quia parvi æstimatur jus mox auferendum.

2° Nihil aut parùm publicæ diffamationi addere narrationem aliorum criminum cum crimine publico connexorum, nisi per eam indicetur perseverantia in crimine quam fama publica non indicaret.

3° Injustè narrari crimen olim, etiam juridicè publicum, sed oblivione aut emendatione deletum, si locus detur judicandi diffamatum adhùc improbum esse; quia jus habet ad famam novam quam acquisivit (*a*).

4° Graviter contrà justitiam peccare qui gravia, sed vaga audita sine causâ narrat, cùm adstantes ea sunt probabiliter credituri ex levitate vel malitiâ; vel si gravem ingerat suspicionem, etsi addat se audita non credere, censetur enim causa damni.

(*a*) Non peccat saltem contrà justitiam, inquit P. Ant. à Goritiâ, qui nar-

rat crimen olim publicum, sed pœnitentiâ deletum, si simul narrat pœnitentiam. Non crederem, si oblivione deletum sit crimen; quia, ordinariè saltem loquendo, pœnitentia non tantùm redderet famæ quantùm auferret narratio criminis, saltem si agatur de crimine non communi et multùm infamante.

APPENDIX

DE AUDIENTIBUS DETRACTIONEM.

609. DETRAHENTI æquiparantur, imò pejùs sæpè peccant, qui eum laudant, interrogant, etc., et qui detrahendi scienter occasionem præbent, significantes id sibi fore gratum, vel alio modo.

Sed affectivè solùm contrà justitiam peccant, realiter tamen contrà charitatem, qui de detractione interiùs præcisè lætantur.

Tandem contrà justitiam qui detractionem non impediunt, cùm ad id ex officio justitiæ tenentur. Vide n° 874 *a*.

Si autem audiens teneatur solùm ex charitate impedire, contrà charitatem tantummodò peccat, non impediendo detractionem, peccato quidem mortali, si gravem in proximum infamiam conjiciat detractio sitque impeditu facilis; levi verò solùm, si è contrà; ac proindè sæpissimè (*a*).

Et hæc dicta sint de legentibus libellos famosos, qui occulta, etsi vera, sine ratione sufficienti, crimina referunt.

Nota : Non semper expedit ut incœpta detractio statìm abrumpatur, quia fortè parva narrabuntur, et ne longè pejor opinio in animis audientium relinquatur.

(*a*) Excusatur à peccato qui non impedit detractionem 1° ergà eum de quo detrahitur, cùm non est moraliter certus de injustitiâ detractionis; 2° ergà eum qui detrahit, eum nempè non corripiendo, cùm non constat quòd peccet mortaliter. *P. Ant. à Goritiâ.* Vide 245.

Obligatio sub gravi impediendi detrahentem rara est inter æquales et rarissima in inferioribus ergà superiores. *Le Coq. Billuart.*

Plerùmque, inquiunt alii, solùm venialiter peccat qui non impedit detractionem, sive quia non impediens prudenter præsumit rem esse publicam, vel detrahentem justam habere causam eam revelandi, vel eum graviter offensum iri si reprehendatur, vel auditores rem faciliùs tunc credituros, vel resistentiam fore inutilem, vel ob reverentiam, vel, ut ait D. Thomas, ex timore, negligentiâ, verecundiâ, perplexitate, vel ob narrationis præci-

pitationem, vel quia modus prudens impediendi menti non occurrit, vel quia res levis est, aut non credetur facilè.

Quidquid sit de illis rationibus quarum primæ non multùm arrident, quia raræ forsan; faciat unusquisque quod in simili casu pro se fieri rationabiliter exigeret. Et hæc regula mihi videtur sufficere pro timoratis, qui in hâc materiâ mirè sæpè cruciantur. Ordinariè ille de quo detrahitur non vult malè audienti timido qui detractionem non impedit. Sed absit quòd excusentur qui detrahenti aut temérè judicanti, etiam ex timiditate contrà mentem, consentiunt per semi-verba aut signa. Respondendum ad minùs *nescio*, aut quid simile, aut nihil. Directè resistere non expedit sæpissimè, sed si detractio duret, ostendenda facies tristis, alio sermo convertendus, aut discedendum, si commodè.

ARTICULUS II.

De contumeliâ.

610. Contumelia (ad quam revocatur derisio ad rubore vel confusione suffundendum, et omissa honoris exhibitio) est injusta honoris læsio irrogata præsenti et scienti.

Fit verbis, v. gr., per exprobrationem criminum vel defectuum; et factis, per alapam, v. gr., aut alia signa contemptûs.

Si crimen occultum objiciatur, aliis præsentibus, est detractio et contumelia simul.

Contumelia, alia stricta, quâ culpæ contrà mores;

Alia, quæ dicitur convicium, quâ vitia animæ aut corporis;

Et alia, quæ improperium appellatur, quâ necessitates præteritæ, vel officia olim præstita exprobrantur ad contemptum.

---

611. Contumelia detractione, sicut rapina furto, gravior est, specialem habens malitiam, cui sæpè alia mortalis, odii nempè, iræ et imprecationis, adjungitur.

Augetur autem hæc malitia vel minuitur intentione graviter vel leviter lædendi; deliberatione, vel subreptione; qualitate contumeliatoris et contumeliati, etc. Mortalia saltem sæpissimè forent verba contumeliosa levia in se, si ergà personas speciali honore dignas proferrentur. E contrà si à superiore ergà inferiorem, culpa levior est, et forsan nulla, si ad correptionem (*a*).

(a) Hinc à mortali excusantur ab aliquibus pueri, mulierculæ, etc., conviciis apud plebeios usitatis, se lacessantes, quia his non habetur fides, nec honor vilium personarum multùm hinc minuitur. Saltem absit intentio graviter mala, nec facilè absolvantur talibus assueti.

PARS II.

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO PROUT AFFIRMATIVO.

CAPUT PRIMUM.

DE OBLIGATIONE REPARANDI FAMAM ET HONOREM IN SE CONSIDERATA.

612. Qui interiùs solùm jus alterius ad famam læsit, tenetur solùm se retractare interiùs, benè de eo sentiendo.

Qui verò exteriùs jus illud læsit, exteriorem reparationem facere tenetur apud omnes ad quos pervenit diffamatio, si, ut ordinariè, hoc prævidere potuerit, et si auditores immediati non reparaverint (a).

Undè si ignoretur ad quos pervenerit diffamatio, sed sciatur quòd ad multos, publica esse debet reparatio.

Et tenentur injusti cooperatores in defectum diffamatoris, ii proindè qui diffamationem non impedierunt cùm ad id ex officio justitiæ tenebantur. Vide n° 874, *a*.

Iique omnes tenentur de damnis in bonis fortunæ, si quæ ex injustâ diffamatione, ipsis imputabilia, advenerint, quæ obligatio, utpotè bona affectans, transit ad hæredes.

(a) Quia *qui occasionem dat damni, damnum videtur dedisse*. Cap. ultimo de injuriis.

Ità communiter. Quod verum est, inquit P. Gab. Ant., etsi detractor probabiliùs putasset auditores immediatos audita non relaturos. Excipiunt Billuart et alii plures, si detractor cum iis stipulatus fuerit silentium, aut prudenter existimaverit eos non revelaturos; quia ulterior divulgatio ei non censetur voluntaria, sed vel ipso invito, vel fortuitò accidisse.

Faber et P. Ant. à Goritiâ (sed qui aliquandò mihi visus est benignior, et aliquandò rigidior) contrà hos autumant, dicendo diffamatorem non teneri reparare famam nisi apud auditores immediatos, quamvis prævidere potuerit ad alios diffamationem perventuram, nisi eâ intentione diffamaverit. Non audeo dicere quòd mihi non videatur nisi causa remota et per accidens ulterioris diffamationis, utpotè à causâ liberâ procedentis. Malo assentire sententiæ communi.

Attamen praxis et confessariorum et pœnitentium non videtur ipsi con-

formis, inquit Delugo; et eam praxim excusare conatur, partim propter impotentiam moralem (quæ est ratio Faber) partim et potissimum quia detractor reparando apud auditores immediatos, videtur illis implicitè committere curam retractationem apud alios divulgandi. Quandò autèm ratio est prudenter judicandi quòd non facient, remanet obligatio, addit idem.

CAPUT II.

DE MODO REPARANDI FAMAM ET HONOREM.

613. SIMPLEX detractor dicat se malè, ex irâ, etc., de tali locutum, vel se talem injustè diffamasse; nisi tamen hinc concludatur eum dixisse falsa.

Ast hic modus, qui cum ignaris et plebeiis pluribus saltem sufficere posset, coràm ingeniosis et sagacibus, malum augeret. Coràm istis ergò laudet diffamatum, eum honorificè alloquatur, etc., et consultiùs sæpè, mediante tertio, veniam petat (*a*).

Calumniatori unicum suppetit medium, si veniam obtinere nequeat, dicere nempè se falsum dixisse, et si ipsi non credatur, retractationem suam juramento confirmare, si agatur de re gravi.

Tandem contumeliatòr exhibeat saltem benevolentiæ signa, si superior sit (*b*); doloris, si æqualis; et veniam petat si inferior (genuflexus quidem et coràm testibus si valdè gravis fuerit contumelia), aut saltem humilia et affectuosa personæ offensæ præstet obsequia.

Si contumeliam passus vindictam sumpserit, hancque contumeliator tolerârit, hic, ni multùm inferior sit, liber est saltem apud eos qui vindictam nôrunt.

Inter æquales amica salutatio, laudatio, ad mensam invitatio aliquandò sufficit. Imò inter rusticos sæpè æqualia fuerunt convicia, improperia, factaque est statìm compensatio; ità ut sæpè magis de odio ex his orto extinguendo et faciendâ reconciliatione, quàm de contumeliæ reparatione, quæ in reconciliatione aliundè sæpè est, anxietur confessarius.

Nota : Quæ dicta sunt de eo qui inculpatè posuit causam

damni in bonis fortunæ, applica illi qui inculpatè detraxit. Prævenire debet, si possit, diffamationem et malos ejus effectus.

(*a*) Non video cur non pauci ad veniæ petitionem obligatum æstiment eum qui non potest aliter famam reparare [358, *b*], si honorem non læserit; cur enim magis ad petitionem veniæ teneretur quàm qui non potest restituere bona fortunæ? Per petitionem veniæ fama deperdita non rediret, ut supponitur. Aliundè sæpè detractor ignoratur, nec vellet cognosci. Faciliùs crederem cum P. Gab. Antoine detractorem cognitum teneri per signa doloris satisfacere pro mœrore illato, in quo sensu alii sunt forsan intelligendi.

(*b*) Non sufficerent sola benevolentiæ signa. *P. Ant. à Goritiâ.* Judicandum ex circumstantiis.

CAPUT III.

DE CAUSIS A REPARATIONE FAMÆ ET HONORIS EXCUSANTIBUS.

614. Eædem sunt in genere quæ excusant à restitutione bonorum fortunæ. Nota solùm 1° mutuam condonationem facilè præsumi inter æquales (*a*), modò tamen alterutrius condonantis diffamatio in alios non redundet, v. gr., in familiam aut communitatem.

2° In dubio an reparatio frustrà facienda sit, facienda tamen, nisi prudenter timeatur magìs nocitura. Frustranea autem est cùm fama jam reparata est per evidentiam facti, bonorum testimonium, vitæ integritatem, testium depositionem, judicis sententiam, modò tamen hæc reparatio non sit nisi partialis, ut sæpè fit cùm per calumniam fama ablata est, quia sæpè aliqua opinio mala remanet.

Sed quid si diffamatio sit in oblivione sepulta? Sæpè putatur oblitum quod in mentibus remanet. In dubio non est facienda reparatio, si prudenter timeatur ne species sepultæ excitentur, saltem si agatur de diffamatione per simplicem detractionem. Si autem per calumniam, facienda, supposito quòd retractatio sufficiens erit ad delendas potiusquàm augendas species. Quisque faciat quod in simili casu pro se faciendum vellet. Sed semper reparanda damna alia ex diffamatione secuta [358, *b*].

3° Quoàd impotentiam : aliquando oritur ex nimiâ et moraliter insuperabili difficultate auditores revocandi à præoccupatâ opinione, vel ab eorum distantiâ, si scribi non possit. Aliquandò etiam, sed rarissimè, ex morali periculo perdendi famam longè præstantiorem, ad bonum commune conducentem. A fortiori esset impotentia si vita diffamatoris ex reparatione periclitaretur, nisi ipse diffamatus periculum vitæ subeat, aut grande malum publicum ex non reparatione sequi debeat vel grave scandalum, etc.

4° Quòd si pro reparatione famæ et honoris fiat transactio pro summâ, hæc solvenda est, sicut mulcta, si qua à judice infligatur.

(*a*) Sunt qui autument valere hîc compensationem inter æqualiter reos, cùm unus non vult reparare, quia *paria crimina compensatione delentur*.
Contrà sentit P. Ant. à Goritiâ, quia ambo infames manent, ac proindè non reponitur æqualitas.
Videtur probabiliùs eum qui non vult reparare irrationabiliter exigere ut alter reparet, et hoc sensu fieri compensationem : sed si unus velit reparare, alter non eximitur.

APPENDIX

DE ALIIS LOQUELIS CONTRA PROXIMUM.

§ I.

De violatione secreti.

615. Violatio secreti vel solùm tacite promissi (quale quod pendet à conditione advocati, medici, etc.), peccatum mortale est ex genere suo, si fiat sine causâ sufficienti, quia secretum est verum depositum.

Gravitas autem vel levitas materiæ æstimatur ex nocumento resultante (*a*).

(*a*) Qui artem morbi pellendi arcanam sub secreto didicit, non tenetur secretum servare, si aliter exigat bonum universale. *Collet.* Sed nonne ordinariè exigit ?

§ II.

De mendacio.

616. Mendacium est locutio, vel quodlibet signum contrà mentem.

Potest ergò mentiri quis dicendo verum, et è contrà.

Sed culpæ mendacii reus esse potest qui, verum dicendo, per defectum debitæ inquisitionis, præproperam festinationem, aut multiloquium, exponit se periculo falsum dicendi.

Hinc 1° Amphibologia et æquivocatio mendacium sunt, cùm ex solâ mentis restrictione determinantur ad alium quàm quem secundùm se vel circumstantias, sensum habent; ex his enim pendet locutionis sensus.

Aliter mendacia non sunt (*a*).

Hinc 2° Restrictio purè mentalis, quâ aliquid in mente adjicitur vel subintelligitur quod veram redderet locutionem, sed, quo non prolato, falsa et spectatis omnibus circumstantiis et signis externis, verum mendacium est.

Secùs restrictio non purè mentalis, seu realis, cùm scilicet locutio, spectatis solis verbis, falsa est, sed adsunt circumstantiæ quæ significant aliquid esse subintelligendum quod loquens in mente tenet, et quo subintellecto, locutio vera est (*b*).

Undè metaphora, hyperbolæ, etc., mendacia non sunt.

Hinc 3° Hypocrisis, quâ simulatur sanctitas quæ non habetur, mendacium est.

Secùs occultatio peccatorum præcisè.

Secùs etiam simulatio accepta pro compositione (*c*).

Mendacium aliud jocosum, quod ex solo desiderio placendi;

Aliud officiosum, quod in ordine ad utilitatem propriam vel alienam;

Et aliud perniciosum, quod animo vel cum periculo nocendi profertur.

(*a*) Sed solùm occultatio veritatis ex justis causis licita. Idem dic de se-

quenti modo mendacium evadendi : Quæstio : *Fecisti hoc?* Responsio : *Quarè fecissem?* Dens.

(*b*) Exempla : In nundinis quidam dicit : *Vidistine Petrum?* alter respondet : *Non*, sub intelligendo *heri*. En restrictio purè mentalis. E contrà si quærens velit illicò loqui Petro, et dicat : *Vidistine Petrum?* Et alter respondeat : *Non*; quamvis heri viderit, aut manè, sed jam abierit. Est restrictio realis, quia responsio restat conformis quæstioni.

Ob eamdem rationem, mendacia non videntur usitatæ ostiariorum responsiones : *Herus non est domi*. Id est : *ut possis ei loqui*. Item : *Mutua mihi pecuniam*. Responsio : *Non habeo*. Sed hæc, et similia, mendacia forent ergà eos qui tales respondendi modos ignorant, nec suspicantur.

(c) Cùm Christus, v. gr., coram discipulis euntibus Emmaus, finxit se longiùs ire. Solùm enim composuit gressus sicut is qui longiùs iturus fuisset, ad excitandos discipulos ad hospitalitatem. Et nunc quotidiè faciunt qui apud aliquem hospitari desiderant. Sic etiam parentes ostendunt se quasi iratos ut à malo pueros cohibeant. *Dens.*

---

617. Omne mendacium peccatum est, quia est contrà rectam rationem, contrà Deum qui est summa veracitas, et contrà proximum cui veritas debetur.

Imò mendacium perniciosum ex genere suo mortale est.

Jocosum autem et officiosum, per se solùm venialia, etsi per accidens, sed raro, mortalia esse possent.

Peccant ergò graviter theologi, casuistæ, jurisperiti, medici, etc., qui, seu in fide, seu in materiâ morum, seu in interpretando leges, etc., aliquid falsi docent undè immineat pietati aut proximo detrimentum grave; nec ulla, in fide aut moribus, excusare potest levitas materiæ.

Et qui in concionibus falsa miracula, falsas reliquias aut indulgentias annuntiant, aut sanctis dotes imaginarias attribuunt.

Quoàd hypocrisim : mortalis est si sanctitatem contemnat hypocrita, aut eam simulet ut doctrinam falsam spargat, beneficiumve aut officium notabile obtineat, quo indignus sit.

§ III.

De adulatione.

618. Adulatio, quâ quis ergà proximum excedit in laude et complacentiâ, mortalis est, si graviter charitati contrarietur; ut si de peccato mortali sit, aut ejus occasionem proximam præbeat.

Adulatio affabilitati opponitur per excessum,

Et affabilitati per defectum opponitur asperitas in conversatione quæ proximo molestiam affert et tædium.

Venialis solùm est, ex genere suo.

Sed quot bona affabilitas in superioribus, quot mala, etsi rarò forsan gravia, procreet eorum asperitas, nôrunt qui ex eâ patiuntur.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ

ET PECCATA ILLIS ADVERSANTIA.

Pro primo et quarto Ecclesiæ præcepto, vide tertium Decalogi præceptum.

SECUNDUM ET TERTIUM

ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Duo præcepta hæc continentur in canone Concilii Lateranensis IV, *omnis utriusque sexûs,* quem hìc ex parte transcribimus. Est 21, relatus in jure canonico lib. 5, decretalium, titulo 38, cap. 12. Vide etiam in collectionibus conciliorum Labbe, etc.

« Omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti.... suscipiens reverenter ad minùs in Pascha, Eucharistiæ sacramentum : nisi fortè de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ. »

VARIÆ DISPOSITIONES

Hujus canonis expenduntur.

619. Omnis *utriusque sexûs fidelis, etc.,* ergò infirmi. Et ad ipsos Eucharistiam deferre præcipiunt Ritualia (*a*).

Discretionis annos cognoscet parochus per catechismos.

Confiteatur proprio sacerdoti, id est, parocho, sub quo eminenter veniunt Papa, proprius Episcopus, et ab ipso delegati, saltem specialiter pro tempore paschali. Undè à pa-

rocho, non ab delegato, petenda alium adeundi licentia. non sine causâ gravi deneganda.

Quæ, ex Innocentio III, de validitate confessionis intelligenda sunt (*b*).

Saltem semel in anno, suscipiens ad minùs in pascha Eucharistiæ sacramentum. Tempus ergò confessionis non designat canon; sed consuetudo à Tridentino approbata videtur designare tempus quadragesimæ et paschatis.

Pro communione autem quindenam paschalem ab dominicâ in palmis ad dominicam in albis. Sed Episcopi tempus hoc anticipant aut protendunt (*c*).

Nisi fortè... duxerit abstinendum. Confessarius, ob indispositionem pœnitentis non solùm judicat abstinendum, sed et sæpè præcipit differendo absolutionem. Confessarius enim tenet locum proprii sacerdotis (*d*).

Alioquin et vivens, etc. Pœnæ istæ non sunt nisi ferendæ sententiæ. Non debet parochus eas infligere propriâ auctoritate.

(*a*) Etiamsi paulò anteà communicaverint. Sed non tenentur nisi jejuni; si nondùm elapsum sit tempus ad iterùm per modum viatici communicandum [58, *d*].

Si tamen spes affulgeat quòd infirmus poterit paulò post ecclesiam adire, parochus poterit differre communionem paschalem. *Bailly*.

Sed confiteri tenenturne qui venialia solùm admiserunt? Affirmant multi contrà multos. Ratio priorum est quòd Ecclesia urgere non posset impletionem sui præcepti per pœnas exteriores; omnes enim dicerent se non peccasse mortaliter. Ratio autem eorum qui negant, est quòd Ecclesia non plus præcipiat quàm Christus. Christus autem non præcipit confessionem venialium. Imò Ecclesia dicendo : *Omnia peccata sua confiteatur fideliter*, non intelligit sanè etiam venialia.

D. Thomas sententiam affirmantem amplecti videtur, sententiam non improbans contrariam.

Saltem ad vitandum scandalum sacerdoti suo præsentare se debet iste fidelis. Cæterùm quæstio tàm parùm ad praxim attinet ut inutiliter eam ulteriùs discuteremus.

(*b*) Tempore paschali regulares privilegiati et approbati possunt omnium confessiones audire (ex variis constitutionibus SS. Pontificum et ex declaratione Cleri Gallicani, anni 1656). *Billuart*.

Ubi non viget usus ut, ex tacito saltem Episcopi consensu fideles apud quemlibet approbatum sine restrictione, etiam tempore paschali confiteantur, expedit sæpè ut parochi promulgando Canonem Lateranensem singulis annis, licentiam hanc expressè concedant, saltem aliquos designando, si timeant ne apud laxiùs *practicantes* sui confiteantur.

In diœcesi Bisuntinâ usus est ut apud quemlibet approbatum confessio annua fiat.

Qui defuit debito paschali, non potest absolvi ab extraneo, *Praxes Camberiensis et Genevensis.*

Excipe ubi usus contrarius, aut concedunt parochi.

Et à proprio parocho aut alio ab ipso deputato recipienda communio in paschate, quamvis id expressè non dicat Canon; innuit enim dicendo ab ipso obtinendam licentiam communionem differendi. Aliundè talis est consuetudo vim legis habens; et hoc necessarium est ut cognoscat parochus eos qui præcepto non satisfecerunt. Non possunt ergò religiosi ad audiendas confessiones tempore paschali privilegiati, communionem hoc tempore ministrare pro debito paschali. Imò ex declaratione sacræ congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, anni 1610, non licet die paschatis communionem recipere in ecclesiis regularium, quamvis se præsentans in propriâ ecclesiâ jam communicaverit, aut sit communicaturus. Collet contrà Billuart.

Ad communicandum in alienâ ecclesiâ, sufficit proprii parochi consensus prudenter præsumptus. *Billuart, P. Gervais, Dens,* etc. Sed addunt: cum voluntate post factum ipsi indicandi. Reverà hic non agitur de valido. Sed sæpè leviter consensus hic præsumeretur.

Rituale Bisuntinum monet parochos ut inscripta habeant nomina parochianorum qui debito paschali non satisfecerunt, eosque sæpiùs inutiliter monitos ordinario denuncient. Sed hoc ultimum usu abolevit, ob multitudinem delinquentium. Non item abolevit quod addit idem Rituale, nempè parochiæ alienæ fideles ad proprium parochum pro communione paschali remittendos, etiamsi, quod valdè notandum, tempus paschale elapsum sit, ni parochus aliter permiserit aut ordinarius; quia alioquin, inquit, præcepto non satisfacerent. Ergò sub gravi lex obligat quoàd locum sicut quoàd tempus.

Ubi notandum 1° Ecclesiam metropolitanam aut cathedralem pro generali parochiâ communiter non haberi; benè verò quæ, quoquo titulo, proprium pastorem habet, ni aliter statuat usus.

2° Quòd qui habet duo domicilia in diversis parochiis, in quâvis debito paschali satisfacere possit. Sed recta ratio dicit ibi potiùs satisfaciendum ubi longiori tempore quis commoratur, et multi contrà alios dicunt satius esse ut qui in urbe commoratur non se transferat in villam ad communicandum. Juxtà alios debet necessariò debito satisfacere ubi est instante præcepto.

3° Peregrinos, advenas et vagos debito satisfacere ubi sunt. Sed ex pluribus ritualibus, qui tempore paschali abfuerint, debent per scriptum testificari se debito satisfecisse, et ad hoc hortatur Bisuntinum.

4° Convenire ad minùs, inquit idem Rituale, ut sacerdotes communicent vel celebrent semel in suâ parochiâ. Attamen ex usu satisfaciunt ubicumque celebrent. Aliundè ab alio, non seipsos communicantes respicit canon.

(c) Sunt qui à januario ad januarium computant tempus annuæ confessionis nec autumant obligare consuetudinem quoàd tempus quadragesimæ et paschatis, nisi ubi sunt statuta illud designantia, ut in Galliâ, pro quindenâ paschali.

Autumant Billuart et P. Ant. à Goritiâ sufficere quovis modo tempus computetur, si inter unam et alteram confessionem non intercipiatur plùs quàm annus.

Juxtà multos annus computatur ab unâ quindenâ paschali ad aliam, et ità fidelium et pastorum praxis *P. Gab. Ant.*

Parvi momenti discussio foret pro praxi, cum usus sit confitendi pro communione paschali; et utrumque præceptum pro debito paschali habeatur, si non essent qui communioni paschali desint, et tamen confessi sunt initio anni, imò quadragesimæ. Ii autem in plurium sententiâ præcepto confessionis pro hoc anno satisfecissent.

Ex principiis ubi de impletione legum concludi facilè potest quandò tempus hæc Ecclesiæ præcepta implendi præveniri debeat [130], et quomodò adhùc urgeant, cùm non fuerunt impleta. Nam facta sunt ad urgendam, non ad finiendam obligationem. Notando tamen pro præcepto communionis quòd duo importet, juxtà multos, nempè communionem in anno, et tunc videtur onus anni, et designationem paschatis, et tunc videtur onus hujus temporis. Undè concludunt Henno, Billuart et alii, quòd qui antè tempus paschale communicavit, possit, si tempore paschali non communicet, expectare annum ab ultimâ communione computandum, quin novum admittat peccatum omissionis. Peccavit quidem non communicando tempore paschali; sed illud tempus transactum est, ac proindè onus huic tempori affixum, et solum remanet onus annuæ communionis. Quod sat verisimile, imò probabilius videtur. Sed ordinariè qui non communicant in pascha, jam à paschate præcedenti, et sæpè à pluribus non communicârunt.

Ex quâ sententiâ sequitur 1°, et quòd qui prævidet quòd non poterit communicare in paschate non teneatur prævenire, si jàm in anno communicavit, quia non prævenitur onus affixum tempori. Sed tutius, etc.

Sequitur 2°, eum qui pascha prævenit ob prævisam impossibilitatem tunc temporis communicandi, videri obligatum ad iterùm communicandum in paschate, si impossibilitas de facto non eveniat; quia tunc urget præceptum quoad circumstantiam temporis. Juxtà alios hoc solùm tutius est.

Sequitur 3°, eum qui in paschâ non communicavit, si à paschate præcedenti non communicaverat, continuò urgeri præcepto annuæ communionis; quia pro urgendæ ejus impletione, non ad eam finiendam tempus paschale designatum est; etsi à paschate præcedenti communicavit, eum, elapso ab hâc communione anno, continuo item urgeri præcepto, ità ut quò magìs in utroque casu differt, eò magìs augeat peccatum. Imò addunt non pauci eum peccare mortaliter toties quoties advertens suam obligationem, eam implere recusat aut notabiliter differt. Quod quidem omninò conforme videtur principiis.

Cæterum unâ confessione et communione satisfit confessionibus et communionibus omissis.

Attamen juxta Suarem, Sylvium, Theol. Pict., etc., qui uno anno omittit confiteri, si initio anni sequentis confiteatur, non satisfacit pro utroque anno, saltem si antè finem anni in mortale labatur.

Eadem ferè habet Collet.

(*d*) Sic communiter. Sed requiritur, inquit D. Dens, ut causa propter quam differtur communio, se teneat ex parte confessionis; alioquin ad proprium sacerdotem, strictè loquendo, recurrendum.

---

620. Notanda specialiter :

1° His Ecclesiæ præceptis non satisfit per confessionem voluntariè nullam (*a*); aut per confessionem præcisè, non receptâ absolutione, neque per communionem sacrilegam.

Undè ipsomet tempore, pro paschali debito assignato, iteranda communio est.

2° Ex dictis ubi de impletione legum [127], ponens obicem confessioni annuæ, aut communioni, reus est violationis præceptorum (*b*).

(*a*) Vel etiam involuntariè nullam, quia non ponitur res præcepta; Ecclesia enim id præcipit quod Christus, receptionem realem non putativam sacramenti reconciliationis; et Alexander VII damnando propositionem contrariam in quo *voluntariè* reperitur, non ideò subintelligit satisfieri præcepto per confessionem involuntariè nullam. Hæc ergo iteranda, si nullitas ejus advertatur. Ità meritò Billuart.

Existimat Collet eum qui non potest hìc et nunc peccatum aliquod confiteri, teneri probabiliùs declarare alia, ut satisfaciat præcepto [54, *f*].

Juxtà P. Ant. à Goritiâ non satisfit præcepto per confessionem venialium; ita ut qui jam confessus solùm venialia, si in mortale laberetur, teneretur iterùm eodem anno confiteri. Rationem non affert.

(*b*) Talis qui non vult odium deponere, à censurâ se liberare, etc.

Imò idem videtur dicendum de eo qui prævidens aut potens, moraliter loquendo, prævidere sibi ob frequentes in eadem mortalia relapsus violataque proposita, protrahendam absolutionem, et communionem ultrà tempus paschæ, non incipit emendationem vitæ, non relabendo. Verè enim obicem ponit impletioni præcepti.

QUINTUM ET SEXTUM
ECCLESIÆ PRÆCEPTUM.

Jejunium ecclesiasticum est abstinentia et delectus ciborum juxtà præceptum et consuetudinem Ecclesiæ, ad carnem mortificandam.

Locum habet per totam quadragesimam, quatuor anni tempora, et vigilias, secundùm statuta et consuetudines.

Quæ de delectu ciborum, quoàd carnes, dicentur, facilè applicabuntur abstinentiæ feriæ sextæ et sabbati, triduique Rogationum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE SERVANDI JEJUNII.

621. Lex jejunii ecclesiastici, sub peccato ex genere suo mortali obligat omnes baptizatos, ab ánno 21 completo (*a*) in eo quod spectat ad unicam in die refectionem;

In eo verò quod spectat ad delectum ciborum, eos omnes qui rationis usum sunt adepti.

Lex tria includit : delectum ciborum, unicam refectionem et certam hujus refectionis horam (*b*).

(*a*) Nullo firmo innixa fundamento videtur opinio eorum qui anno ætatis 60 aut 70 desinere autumant obligare legem jejunii. Solùm faciliùs in senectute possunt existere causæ ab eà lege excusantes.
(*b*) Quæ violata, faciunt, juxtà plures, peccata specie diversa.

SECTIO I.

De delectu ciborum.

622. Carnes, id est substantia animalium in aquis non viventium;

Et quæ ad carnem pertinent, ut sanguis, adeps, jusculus;

Et quæ à carne immediatè veniunt, ut ova et lacticinia, tempore quadragesimæ prohibentur.

Aliis verò jejunii et abstinentiæ diebus, carnes solùm, et quæ ad substantiam carnis pertinent.

Quæ ad pisces pertinere possunt, ut ranæ, testudines, imò alicubi aves aquaticæ, non veniunt nomine carnium (*a*).

(*a*) In his omnibus variant tamen consuetudines. Sic alicubi lacticinia in quadragesimâ non interdicuntur, et alicubi interdicuntur in omni jejunio ecclesiastico.

In diœcesi Bisuntinâ lacticinia et ova interdicuntur in quadragesimâ, ita ut singulis annis eorum usus permittatur expressè, excepto usu ovorum quibusdam diebus. In eâdem diœcesi et aves aquaticæ interdicuntur.

Quidam, sed contra communem sententiam, arbitrantur usum lacticiniorum et ovorum sub levi solùm interdici.

Hìc quærunt quænam ciborum interdictorum quantitas requiratur et sufficiat ad peccatum mortale? Alii semi-unciam; alii et ipse Diana, octavam partem unciæ ad mortale sufficere existimant. Ast quis determinare posset? Ut certum teneri potest contrà quosdam rigidiores, dari hìc levitatem materiæ. Buccella, v. gr., inquit dominus Dens, aut quantitas quæ parùm nutrit, inquit P. Gab. Ant., ut quid leve haberi debet.

Non certò ergò de mortali statìm accusarem mulierem pauperculam quæ cum parvulâ adipis quantitate, offam sibi et suis conficit. Sed eò fortiùs, in spiritu tamen mansuetudinis arguerem, quòd ab antiquâ observantiâ deviet; quòd in his esse possit error conscientiæ, et aliquandò contemptus; quòd ubi nihil certi definiri potest, debeat quis sequi partem tutiorem; quòd sæpiùs dictæ mulieres ex negligentiâ sibi aliud condimentum licitum non procurent; quòd à minimis incipiant qui in maxima proruunt, et quòd tandem id sibi non permittant mulieres timoratæ conscientiæ, quin potiùs sine ullo condimento offam faciant.

SECTIO II.

De unicâ refectione.

623. Hæc unica refectio, quæ de essentiâ jejunii est, in eo consistit quòd à mediâ nocte ad mediam noctem nullus saltem cibus (*a*) per modum cibi sumatur nisi in unicâ refectione, moraliter non interruptâ (*b*), nec diutiùs protractâ (*c*).

Ecclesia tamen, jàm à multis sæculis, cœnulam tolerat, etiam pro eâ non indigente, cujus cœnulæ qualitas et quantitas, pro variis regionibus, ex usu timoratorum determinanda est (*d*).

(a) Videtur ex D. Thomâ, cui non pauci assentiunt, potum, etiam aliqualiter nutritivum, ut vinum, mulsum, cerevisia, *café*, etc., imò, juxtà aliquos *chocolat*, posse equidem contrariari virtuti temperantiæ, sed non legi jejunii nisi sumantur in fraudem; quia Ecclesia non intendit interdicere sumptionem potûs qui sumitur magis ad alterationem sedandam quàm ad nutritionem, licèt aliquo modo nutriat. Hæc enim non sunt de se ad manducandum ordinata, sed per ea manducatio solet compleri, et eorum usus manducatio non vocatur communiter. Vide D. Thomam in 4. dist. 15, q. 3., art. 4, quæstiuncula 1.

Sed quid intelligit S. Doctor per *facere in fraudem?* Juxtà aliquos intelligit *immoderatè*. Juxtà alios, *ex solâ voluptate*. P. Ant. à Goritiâ existimat non agi in fraudem, etsi liquida non sumantur ad sitim extinguendam, et facilitandam digestionem, sed ad ventris famem propulsandam. Vide adhùc S. Doctorem 2 2, q. 27, art. 6 ad 2. Billuart, qui S. Doctoris mentem ordinariè saltem videtur optimè assequi, existimat eum per *facere in fraudem*, intelligere *sumere per modum cibi,* id est, ad sedandam famem et ad nutriendum. Ad id enim cibus ordinatur. Addit idem theologus famosum adagium: *Liquidum non frangit jejunium,* nunquàm fuisse à S. Doctore traditum, et esse falsum 1°, quia licèt omnis potus sit liquidum, omne tamen liquidum non est potus, ut patet de lacte, jusculo, *chocolat* et similibus; 2°, quia juxtà eumdem S. Doctorem, potus etiam propriè dictus potest per accidens frangere jejunium, si nempè sumatur per modum cibi, aut si contraria sit consuetudo (ut in Galliâ inquit Collet).

Atque hæc consuetudo, quæ non est ubique eadem, regula est quam quisque sequi debet, quia potest legem facere, sicut modificare et abrogare. Non inquietarem ergò eos qui stomacho laborantes, liquida potant ad digestionem et quasi per modum medicinæ; imò nec si aliter, ubi sic usus timoratorum. Sed exciperem *chocolat*, cùm eo nutriantur homines et ad nutriendum sumatur. Item lac et *café* lacte mixtum, nisi forsan alicubi talis abusus, si fortè possibile, in consuetudinem legitimam desierit. Item ubi consuetudo omnia hæc interdicit, ut interdicere videtur apud nos, illi obtemperandum.

Ast quænam cibi quantitas, præter cœnam et cœnulam requiritur, et sufficit ad peccatum mortale? Hic multùm variant. Alii plusquàm duas uncias, alii tertiam, alii quartam, alii quintam partem cœnæ ordinariæ assignant. Billuart ut gravem habet quantitatem æquivalentem levi jentaculo, vel cœnulæ, vel tertiæ parti cœnæ. Gravis videtur aliis, et forsan sapientiùs quantitas cœnulæ æquivalens, unà vel pluribus vicibus sumpta.

Quid autem de eo qui jàm sumpto cibo in gravi quantitate præter cœnam et cœnulam, iterùm cibum sumit? Juxtà Delugo peccat iterùm mortaliter, quia continuat jejunium frangere graviter, saltem à fortiori, si post secundam cœnam, tertiam sumat; quia jejunium semel fractum, semper obligare videtur, cùm præceptum ejus sit negativum semper et pro semper vetans. Ecclesia enim unam solam refectionem permittens, alias omnes prohibet. Undè probabilius rejicienda sententia Navarri, Ferrari, etc., existimantium fractum semel jejunium, ampliùs frangi non posse; et sententia P. Ant. à Goritia, qui in ulterioribus jejunii fractionibus, quantumvis magnis, non videt nisi veniale peccatum.

Nota : Qui pluribus ad jejunium obligatis leve quid singulis ad manducandum præberet, non nisi venialiter peccaret, quia quantitates pro præbente non coalescunt.

Nota iterùm non peccare graviter qui lautè prandit ut faciliùs jejunium sustineat, quia cibi quantitas lege ecclesiasticâ non taxatur. Sed peccaret saltem contrà temperantiam qui ità cœnaret ut jejunii difficultatem nullatenùs sentiret.

(*b*) Hic distinguunt: vel interruptio fit post sufficientem refectionem, vel antè; vel ex rationabili, vel sine rationabili causâ; vel cum intentione resumendi, vel cum intentione non resumendi.

Qui sufficienter, licèt non abundè, est refectus, peccat mortaliter contrà substantiam præcepti, si surgat cum intentione finiendi, et posteà, eidem aut alteri mensæ assideat, etsi intrà tempus communiter concessum. Ità plures. Et reverà videtur ibi cœna duplex. Alii tamen, quibus assentitur Billuart, non vident ibi nisi veniale peccatum, si interruptio non sit notabilis, v. gr., solius semiquadrantis horæ; quia cœna est eadem.

Qui verò, sive sufficienter, sive insufficienter refectus, sive cum, sive sine animo repetendi, cœnam abrumpit absque causâ legitimâ, et post tempus notabile, putà unius horæ, etiam intrà limites temporis ad cœnam concessi repetit, peccat mortaliter, contrà substantiam jejunii quidem, si sufficienter refectus; contrà modum verò si insufficienter.

Leviter verò, si unius quadrantis aut semi-horæ solùm fuerit interruptio, maximè si sine causâ interrumpens non sit sufficienter refectus. Si mora fuerit levis, nullum erit peccatum. *Billuart.*

Sed quis non videt omnia hæc esse moraliter æstimanda, peccareque mortaliter qui in dubio agit. Hæc ergò relinquenda judicio prudentûm ad omnia attendentium. Fateor tamen multùm arridere sententiam eorum, qui autumant frangi jejunium per quantitatem cibi notabilem ab eo sumptam qui prandium finierat.

Tutò excusant parochum qui ut succurrat ægroto, mercatorem qui, ut aliquid notabile vendat aut emat pro occasione, etc., cœnam abrumpit. Plures etiam excusant ministros mensæ et lectores in communitatibus qui aliquid antè cœnam sumunt ut præservativum ne deficiant, modò hora non anticipetur. Aliundè, aiunt, hoc est quasi cœnæ initium; quæ ultima ratio non videtur peremptoria.

(*c*) Pauci ex omnibus quos legi tempus quo unica refectio protendi potest, determinare audent. Billuart illud dicit duarum circiter horarum. Lacroix, Dens et Henno duarum horarum. Certè potest adeò protendi ultrà limites, ut jejunium non censeatur servatum.

(*d*) Circa cœnulam tot sensus quot capita.

1° Quoàd quantitatem : aliqui eamdem pro omnibus determinant. Alii sextam, alii quintam, alii tertiam partem cœnæ ordinariæ assignant. Quartam fortiorem æstimat Collet. Pro quintâ stabat olìm doctrina et usus timoratorum in diœcesi Bisuntinâ. Quisque tutò sequitur usum timoratorum suæ regionis, ratione tamen habitâ complexionis et laboris. Plus enim concedi potest seni seu debili qui multùm cibi in unicâ refectione sumere non potest, quàm juveni aut robusto; plùs voraci quàm fame carenti. Major quantitas si solùm fructus sumantur quàm si alia magis nutritoria.

2° Quoàd qualitatem : multi, in quibusdam saltem regionibus sub gravi, eam præscriptam non reputant, modò non sumantur cibi hâc die vetiti. Bonacina et Navarrus hoc generaliter dicunt. Ast in Galliâ non videntur permissi nisi cibi frigidi et leviores. Inquieti tamen non videntur plures timorati qui ex causâ non gravi jusculum sumunt ex hordeo confectum. Usus piscium frigidorum non videtur sufficienter introductus in diœcesi Bisuntinâ; benè verò usus casei.

Regula generalis : usus cœnulam introduxit. Ergò eam regulare debet.

Nota : Non licet, sub gravi, inquit Natalis Alexander, manè sumere cœnulam, quia præveniretur hora præcepti substantialis, benè verò circà meridiem ex rationabili causâ. Si sine causâ, peccatum est, sed solùm veniale ; quia servatur substantia præcepti.

Ergò qui manè sumpsisset prandium, ob iter faciendum quod non fecit, debet vespere sumere cœnulam.

Ergò iterum qui incautè sumpsit jentaculum, debet expectare cœnam usquè ad vesperam, nisi ex rationabili causâ, v. gr., ut præsit communitati, debeat cœnam sumere in meridie, inquiunt.

SECTIO III.

De horâ refectionis.

624. Hora hæc est nunc ex consuetudine meridiès circiter (*a*).

Et communiter docent mortalem esse notabilem horæ hujus anticipationem, nisi causa legitima, ut debilitas stomachi, iter aggrediendum, hospes dimittendus, excuset (*b*).

(*a*) Multis saltem in locis, et notanter in diœcesi Bisuntinâ, ruricolæ, quandò jejunant, prandium sumunt horâ undecimâ. Communitates undecimâ et sesqui, non contradicentibus superioribus.

(*b*) Quænam anticipatio notabilis sit, non conveniunt. Duarum horarum certò, juxtà Sylvium, et unius horæ probabiliùs, juxtà Azor. Sed supponitur non esse causam anticipandi anticipationi proportionatam. Videtur unius horæ anticipationem sine causâ sufficienti esse dubiè notabilem, ac proindè, etc.

CAPUT II.

DE CAUSIS A JEJUNIO ET ABSTINENTIA EXCUSANTIBUS [140].

Ad impotentiam et dispensationem revocantur.

625. Impotentiâ laborant communiter

Infirmi ; convalescentes ; qui vehementes capitis, stomachive dolores jejunando patiuntur ; prægnantes ; nutrices (*a*) ;

Pauperes qui non possunt habere sufficienter ad unicam refectionem ; quin et carnes manducare possunt si aliter non nisi valdè incommodè vitam sustentare queant (*b*) ;

Opera pietatis valdè utilia exercentes, si sint cum jejunio incompatibilia, etsi ex officio non exercerentur ;

Laborantes corpore vel spiritu, cùm labor æquè fatigat ac fatigaret jejunium ipsum (*c*);

Iter ex rationabili causâ agentes, si, omnibus attentis, sit cum jejunio incompossibile. Sed iter pomeridianum non excusat à jejunio antemeridiano, et vicissim (*d*).

Nota : Causa potest excusare ab unicâ refectione quin excuset ab abstinentiâ à carnibus et vicissim. De causis dispensationis idem dicendum (*e*).

(*a*) Fames, nisi sit canina, macies aùt pallor à jejunio non excusant. In dubio medici timorati judicio standum, et sumi potest necessarium ad vitandum quod timetur prudenter, unus plùs, alter minùs. Et in dubio petenda est dispensatio.

Sponsi non ideò excusantur quod impotentes fiant ad reddendum debitum excepto casu in quo succurrendum foret evidenti periculo incontinentiæ compartis. Diebus jejunii à debito potiùs abstinendum.

(*b*) Absit tamen ut cum aliquibus dicatur pauperes solo pane, ordinariè loquendo, non teneri vivere, vel in casu in quo sic pluribus diebus vivere cogerentur. Nam non aliter diebus non jejunii vivunt. Tunc saltem cum eis non dispensarem nisi pro offâ ex jusculo vel adipe [142, 626].

(*c*) Supponitur defatigationem non venire ex labore illicito. Sed laborem illicitum non credit Billuart venationem honestam, quòd crederem ipse si sit ratio non modica venationi vacandi. Infirmitas, etsi ex labore inhonesto, imò ex crimine proveniens, excusat. Sed hoc prævidens contrà legem peccavit.

Cùm unâ die cessatur à labore, possunt vires esse ità debilitatæ, ut lex die hâc non obliget.

Hic observant aliqui hominem non teneri facere totum quod potest ut jejunium cum labore consociet, quia lex jejunii bono et æquo animo dijudicanda, prudentisque est confessarii aut pastoris eam applicare, attentis fatigatione, nutritione, complexione, consulendo experiri vires. Labor tamen susceptus præcisè ad faciendum magnum lucrum non necessarium, à jejunio excusare non videtur.

Ast teneturne dives ab assueto labore omninò cessare, ut jejunare possit? Non pauci arbitrantur. Sed non videtur talem esse Ecclesiæ mentem, alioquin tales in otio viverent. Equidem D. Thomas eos ad cessationem à labore obligari credit, ubi sic est consuetum; sed respondet Billuart post Sylvestrum, etc., jus antiquum, juxtà quod labor non necessarius à jejunio non eximebat fuisse modificatum ab Eugenio IV anno 1440. Declaravit enim hic S. P. artifices laboriosa opera exercentes, et rusticos, sive sint divites sive pauperes, non teneri ad jejunium sub præcepto. Hanc declarationem plures referunt. Aliundè, addit Billuart, praxis et pœnitentium et confessariorum ipsi est conformis. Hoc enim discutere non solent. Solummodò ergò tales tenentur inter labores eligere eos, si qui sint, qui cum jejunio magis compossibiles sunt, nec cum eis scrupulosiùs est agendum.

Aliqui à jejunio eximunt sutores et textores, sed meliùs videndum in particulari utrùm, omnibus attentis, jejunare queant, et sic de cæteris, etiam spiritualiter laborantibus quos alii contrà alios particulariter excusant.

(d) Ex propositione damnatâ ab Alexandro VII, iter unius diei, si non multùm defatiget, à jejunio non liberat. Ordinariè, sæpè saltem, non multùm defatigat iter unius aut alterius diei equo aut rhedâ factum. Ac proindè certò tuta non est sententia eorum qui generaliter definiunt iter trium aut quatuor dierum à jejunio eximere.

(e) Auctores, ut jam innuimus, non conveniunt an lex jejunii quatenùs unicam refectionem cum cœnulâ permittens, sit individua, ità ut ille cui non sufficit illa unica refectio cum cœnulâ possit ad libitum manducare, quin peccet contrà legem jejunii, etsi peccaret forsan contrà virtutem temperantiæ. Ex principiis positis ubi de adimpletione legum [127], talis videtur teneri ad id quod potest, v. gr., abundantiori contentus esse cœnulâ, si ei ordinaria non sufficiat, aut parcè jentare, si opus sit. Ridiculum enim foret, v. gr., permittere jentaculum, prandium et cœnam diebus ordinariis consueta illi cui sufficit prandium et cœnula duplo major consuetâ. Igitur cùm causa à jejunio excusans non excusat nisi à parte, ut sæpè labor non multùm defatigans, ità ut cum prandio et cœnâ possit supportari sine gravi incommodo, hæc solùm permitterem, imò aliquibus cœnulam copiosiorem tantùm, aliis aliquid manè sumere, sed cum nullis scrupulosiùs agendo.

Notat Billuart non peccare mortaliter qui putans se habere causam justam non jejunandi, non jejunat, nisi ignorantia ejus crassa sit, quia, ut ait Cajetanus, moralia sunt moraliter interpretanda; nec Ecclesia intendit interjicere laqueum animabus. Quæ non acciperem nisi stando principiis ubi de actibus humanis enunciatis, minùs tamen rigorosè hìc quàm in pluribus aliis materiis applicandis.

---

626. In præceptis jejunii et abstinentiæ dispensant non solùm Papa et Episcopus, sed et parochus ubi non est ad Episcopum recursus, imò et in ejus præsentiâ ubi sic usus (a). Sed dispensare nequit confessarius. Potest solùm declarare quandò lex non obligat.

Et cum multitudine dispensat Episcopus ob causas gravissimas quas enumerat Benedictus XIV, et cum debitâ saltem, inquit, ad sedem apostolicam reverentiâ. Vide breve *libentissimè* datum 10 junii 1745, et ad omnes Episcopos directum.

Sed notandum 1° dispensatum ut carnes comedat non posse in cœnulâ.

An autem, cùm dispensatio multitudini concessa est, carnes edere possint pluries in die ii qui jejunare non tenentur? An pluries in dominicis quadragesimæ qui ab esu carnium ob dispensationem, non interdicuntur? Ex intentione dispensantis vel ex usu legitimo judicandum (b).

2° Dispensato patre-familiâs, non ideò familiam dispensari (c).

3° Dispensatum præcisè pro quadragesimâ, non dispensari pro diebus, etiam quadragesimæ, veneris et sabbati (*d*).

(*a*) Et in absentiâ parochi vicarius. *Collet.*

Romæ dispensant parochi, inquit Lacroix. Item in diœcesi Bisuntinâ, sed puto, non nisi casualiter, cum infirmis quoàd esum carnium.

(*b*) Ex epistolâ Encyclicâ Clementis XIII, *Appetente* 20 septembris 1659 ad omnes Episcopos directâ, concludit P. Ant. à Goritiâ, sed fortè malè, dispensatum in esu carnium nequidem diebus dominicis quadragesimæ posse, nisi in unicâ comestione carnes edere.

Quidquid sit, excipienda loca ubi non viget hæc encyclica, vel ubi sciente Episcopo usus contrarius est. Sic in diœcesi Bisuntinâ.

(*c*) Cùm pro permissione datur eleemosyna, pendi debet ab eis qui cibis vetitis utuntur, non ab hero. *Dens.* In diœcesi Bisuntinâ solvitur à patre familiâs pro totâ familiâ, ità ut si à singulis solvi debeat, quod non clarè dicunt litteræ Episcopales pro quadragesimâ, dispartitus censeatur.

(*d*) Sententia Sylvii, Collet, etc., autumantium dispensatum ut carnes manducet, posse simul comedere pisces, videtur rationi consentanea; attamen consulendum saltem interroganti, sequi, ut tutiorem, sententiam oppositam quæ est plurium, notanter Benedicti XIV, in responsione ad Archiepiscopum compostellanum diei Julii 18 anni 1745 et in Epistola ejusdem encyclicâ diei 10 Junii ejusdem anni. Hæc enim interdictio piscium cum carnibus, venit, inquit doctissimus S. P., ex naturâ præcepti jejunii ac dispensationis quæ non datur ut deliciæ quærantur, quales sunt pisces; et quarumdam diœcesum statuta eam ciborum permixtionem vetant.

Attamen dicit idem S. P., piscium esum non interdici iis quibus ova permittuntur iis diebus quibus sunt: et juxtà multos, ova non interdicuntur cùm caro permittitur; quia à carne originem ducunt. Quod verum existimo.

Nec cum paucis credere vellem interdictionem commixtionis piscium cum carnibus extendendam esse eò usquè quòd qui in unâ refectione carnem comedisset, non posset in alterâ comedere pisces, si ipsi duas refectiones sumere liceat. Nam S. P. loquitur de permixtione in eâdem mensâ ciborum licitorum et illicitorum; per illicitos autem intelligit pisces. Clariùs adhùc se exprimit cùm in eâdem Encyclicâ vetatne permittatur mensam eamdem carnibus et piscibus instruere. Aliundè ridiculum foret interdicere cibos quadragesimales in unâ refectione ei qui ex dispensatione potest totâ die vesci carnibus. Idem esset ac si ipsi interdiceretur servare partem præcepti.

Et consulendum ad minus sequi decreta Clementis XI 2 februarii 1702, et Benedicti ejusdem XIV in constitutione *non ambigimus*, statuentium dispensatum in esu carnium non nisi carnibus salubribus vesci posse. Per salubres autem carnes intelliguntur quæ sunt respectivè tales. Sic, aiunt, in Hispania carnes suilæ à medicis permittuntur ægrotis ruricolis.

Fateor hæc posse dispensatis injicere scrupulos et anxietates in discernendis carnibus salubribus in genere. Undè hìc bono animo agendum.

Nota : Ubi dictæ suprà et hìc constitutiones et litteræ saltem receptæ sunt et per usum contrarium non abrogatæ, res definita est. Iis obtemperandum ex præcepto sub gravi ex genere suo obligante.

APPENDIX

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS.

Hæc conjungimus quia multa in genere principia utrisque, cum paucis differentiis, communia sunt. Sed mediante indice rerum et verborum, quisque facilè poterit invenire quod de singulis in particulari desiderabit.

PARS I.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA ET DIVISIONE CENSURÆ ET IRREGULARITATIS.

SECTIO I.

De naturâ censuræ et irregularitatis.

627. Censura, ut hìc sumitur, est pœna spiritualis medicinalis in foro Ecclesiæ exteriori inflicta ad tempus, quâ baptizatus delinquens et contumax primariò privatur bonorum quorumdam spiritualium usu;

Secundariò verò et indirectè, ob bonum commune, quibusdam bonis temporalibus.

Depositio ergò, quâ clericus in perpetuum et sine spe restitutionis, omni privatur beneficio et officio clericali, solo retento canonis et fori privilegio;

Degradatio, quâ insuper omni canonis et fori privilegio idem, solo retento caractere, privatur;

Et cessatio à divinis, seu prohibitio, ob injuriam Deo vel ejus ministris illatam, et in signum mœroris, ea certo in loco celebrandi, non sunt censuræ, quia de se in perpetuum feruntur, dùm censura usquè solùm ad delinquentis emendationem.

628. Irregularitas verò est impedimentum canonicum de se perpetuum, quo primariò impeditur ordinum susceptio, et secundariò ordinum susceptorum usus.

629. Censura ergò directè fertur in pœnam et correptionem.

Secùs irregularitas, quæ proindè non est pœna strictè dicta; imò non semper supponit peccatum. Sed directè fertur in honorem ministerii.

Sed censura omnis, et irregularitas ex peccato, non incurruntur nisi peccatum sit :

1° Mortale, in se aut circumstantiis, vel in fine à legislatore intento (*a*).

2° Externum (*b*).

3° Consummatum in specie et malitia à legislatore eo prohibitâ, nisi lex contrarium dicat.

Undè censura non incurritur nec irregularitas ab eo qui putat se eam per actum suum incurrere, si actui huic de facto non sit annexa.

Undè iterùm cùm lex seu præceptum censuràm ferens comprehendit et facientes et cooperantes ; mandans, consulens, etc.; censuram non incurrunt, si mandatarius, consultus, etc., rem non faciant, supposito quòd lex aut præceptum directè et principaliter respiciat executorem, et cooperantes indirectè tantùm, ut in percussione clerici; nam si lex æquè principaliter afficiat et executorem et cooperantes, ut in excommunicatione contrà assassinos (*cap. de homicidio in* 6°) incurritur pœna à cooperantibus, effectu etiam non secuto (*c*).

(*a*) Non conveniunt an res sub mortali prohiberi censeatur hoc ipso quòd prohibetur sub comminatione censuræ gravis. Res extrà dubium esse videtur, si lex dicat censuram applicari posse sine nova monitione. Sed, etsi id non dicat, probabiliùs videtur meritò pluribus contrà alios rem prohiberi sub mortali, quia tunc superior judicare videtur rem multùm conducere ad bonum commune. In hanc sententiam inclinat Benedictus XIV, lib. 7 de synodo diœcesanâ, cap. 44. Saltem peccatum esset dubiè mortale. Consulendus foret superior.

(*b*) Hinc censura non incurreretur per actum exteriorem qui sub lege censuræ non caderet nisi quia esset cum interiore conjunctus, si conjunc-

tio exteriùs non appareret; v. gr., censuram contrà hæresim latam non incurreret qui die vetito carnes manducaret spiritu hæretico, si hic spiritus non appareat.

(c) Censura autem censetur in executorem principaliter ferri, inquit D. Dens, quandò superior movetur præcipuè actûs, non propriâ mandati, consilii, etc., turpitudine.

SECTIO II.

De divisione censuræ et irregularitatis.

630. Censura alia est *à jure*, quæ lege vel statuto permanenti indiscriminatìm fertur in futuros delinquentes, nec expirat morte, etc., illius qui eam tulit;

Et alia *ab homine* quæ fertur à judice per modum sententiæ aut mandati transitorii in præteritos vel præsentes reos, ut particulares consideratos, pro facto particulari et tempore determinato. Hæc, si delinquens eam nondùm incurrerit, expirat cùm eam ferens morte, aut alio modo, jurisdictione privatur.

Censura *ab homine* dividitur in justam et injustam.

Justa dicitur cùm ex bono motivo, secundùm omnes leges et formas etiam accidentales, fertur à superiore, excommunicationis etiam occultæ, ac metûs etiam injustè incussi experte.

Injusta verò cùm ipsi deest ex his aliquid.

Si quod deest essentiale sit, ut legitima potestas non impedita; causa sufficiens (*quæ non sit propria ferentis*), monitio particularis, etc., invalida dicitur.

Secùs valida est, etsi injusta; timenda proindè.

Nota 1° censuram à jure justam semper præsumi, nec ab eâ appellari posse. Doctrina contraria damnata est à Pio VI in bullâ *Auctorem fidei.*

2° Censuram fundatam in falso crimine, coràm Deo ligare quoàd receptionem, administrationemve sacramentorum, ordinis executionem, è societate elongationem, id exigit enim bonum commune.

3° Censuram à jure non requirere aliam monitionem quàm quæ ab ipsâ lege fit; sat enim tunc contumaciæ in non obediente.

Idem dicendum tùm de censurâ *ab homine* pro futuro, tùm de suspensione et interdicto quæ feruntur per modum pœnæ puræ, ex informatâ conscientiâ (657). Vide Benedictum XIV de Synodo diœcesanâ, lib. 12, cap. 8, n° 3.

Ast pro aliis censuris *ab homine* ferendis prærequiritur ad validitatem monitio particularis (*a*) quamvis non canonica, nisi eam jus exigat; nec à fortiori trina, licèt nisi instet periculum, trina fieri debeat per modum unius, seu una pro tribus, præfixo temporis spatio quod pro trinâ sufficeret.

Insuper censura alia latæ et alia ferendæ sententiæ (149).

Alia reservata, à quâ solus qui eam tulit ejusve superior aut delegatus;

Et alia non reservata à quâ quilibet sacerdos simpliciter approbatus absolvere potest.

Et hìc nota censuram *ab homine* semper reservari ei qui eam tulit, aut ejus superiori et successori (*b*). Censura autem *à jure* non reservatur nisi id dicat lex aut ferat consuetudo (*c*);

Tandem censura alia est denunciata et alia non denunciata.

Et ut censura denunciata sit, non satìs est ut qui eam incurrit nominetur in sententiâ judicis, sed requiritur ut hæc sententia denuncians valvis ecclesiæ affigatur, vel coràm populo in ecclesiâ collecto promulgetur.

Percussi censurâ non denunciatâ, tolerati; denunciatâ verò, non tolerati, seu vitandi dicuntur.

(*a*) In his tamen disputatur. Negat Sanchez, affirmant alii. Saltem non potest procedi per censuræ declarationem et executionem, sine aliâ monitione, quia sic censura ferri posset pro crimine omninò præterito et emendato. Imò, ut declaretur censura latæ sententiæ, debet citari delinquens ut de ejus crimine constet.

In dubio debet quis gerere se tanquàm censurâ affectum.

(*b*) Ergò si sit censura strictè sumpta, nullus potest ab eâ absolvere, nisi ad id sit specialiter deputatus; ac proindè facultas generalis absolvendi à casibus reservatis non extenditur ad censuras *ab homine*. Et idem dicendum de censuris *ab homine* ab Episcopis latis.

Hìc tamen notat Billuart sibi videri quòd si censura *ab homine* lata sit per generale statutum quod eam non reservet, et P. Ant. à Goritiâ quòd si lata sit per sententiam generalem in omnes, v. gr., qui tale crimen commiserint, qui tale factum non manifestaverint, non determinans personas, non videatur reservata, nisi mandatum id dicat; quia sententia sic generaliter lata non continet propriè sententiam judicis, cujus rescissio per alium, foret violatio ipsius jurisdictionis. Sed potiùs continet præceptum sub tali censu-

râ impositum, ideoque ex hâc parte censuræ juris æquiparatur. Sed, juxtà Collet, hæc dici nequeunt de excommunicatione in monitoriis, quia etsi sententia videatur generalis, attamen particularis est.

(c) Si censura, aliundè non reservata, ad forum contentiosum deducta sit, tunc probabiliùs reservata est. Sed si reus se purgaverit, etiam falsis probationibus, tunc iterùm non reservata remanet, quia deductio ad forum contentiosum manet sine effectu. *Collet.*

Nota : putant multi suspensionem esse semper reservatam. Sic P. Gab. Ant., qui idem dicit de interdicto locali saltem et personali generali. Id certum est de suspensione latâ in perpetuum ob culpam præteritam; sed hæc suspensio non est censura. Si verum sentiunt ii multi, non video ad quid valeant in formâ absolutionis hæc sacerdotis verba *ab omni vinculo,. suspensionis*, nisi dicatur cum nonnullis hæc ex concessione Ecclesiæ valere pro ignorante suam suspensionem. Consulendus est Episcopus, et videndum quid docere permittat in suâ diœcesi.

---

631. Irregularitas alia est perpetua, quæ solâ dispensatione tolli potest;

Et alia temporalis, quæ solo cessat temporis lapsu;

Alia totalis, quæ absolutè et totaliter ab omni ordinum susceptione usque, et ab omni beneficio removet;

Et alia partialis, quæ non omnes effectus istos habet (*a*).

Irregularitas quæ incurritur à laicis, semper totalis est, exceptâ quæ venit ex defectu ætatis et scientiæ; item totalis quæ à clericis incurritur, quoties purè et absolutè annexa est casui in quem incidunt.

Insuper irregularitas alia ex defectu dicitur, ea nimirùm quæ ex indecentiâ etiam inculpabili venit;

Et alia dicitur *ex delicto*, quæ ex indecentiâ mortaliter culpabili contrahitur (*b*).

Hæc ergò semper voluntaria est et solâ dispensatione tolli potest; secùs illa quæ sæpè cessat cessante defectu.

Nota : duplicis hujus generis irregularitas ex eodem facto oriri potest, si nempè annexa sit alicui crimini quod sit infamans. Oritur enim tunc ex delicto et ex infamiâ.

Proùt veniret ex infamiâ, sine dispensatione cessare posset, non proùt ex delicto ut delicto.

(*a*) V. gr., partialis est irregularitas proveniens ex carentiâ digiti indicis; reddit enim ad sacerdotium, non ad diaconatum inhabilem. Cæcitas sacerdoti superveniens, irregularem eum reddit pro missâ celebrandâ, sed non pro confessionibus audiendis. Surditas pro confessionibus, non pro missâ.

(*b*) Ergò sufficit ut delictum sit apparenter culpabile. *P. Th. ex Charmes.*

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE CENSURÆ ET IRREGULARITATIS.

632. Concilium generale solum et S. P. censuras et irregularitates instituere possunt, non consuetudo, ex quâ solùm concludi potest talem casum censuram aut irregularitatem annexam habere.

633. Potestas verò censuras in jure designatas ferendi, quæ non ordinis est, sed jurisdictionis contentiosæ, residet in omnibus quorum jurisdictio est quasi episcopalis, et in eorum delegatis (a).

Sed non idem dicendum de irregularitatibus etiam in jure specificatis; non incurruntur enim nisi quæ in jure exprimuntur.

Et nota sedulò duplicem aliam adhùc inter censuram et irregularitatem differentiam, quòd nempè nulla sit irregularitas *ab homine*, aut *ferendæ sententiæ*; et quòd irregularitas nunquàm pariat irregularitatem, quoquo modo violetur, sed solùm peccatum ex genere suo mortale.

(a) Etiam laicis, ex dispensatione S. P., juxtà multos.
Vult D. Bailly hujus potestatis mentionem esse specialem in litteris vicarii capituli, ut eam habeat. Esto, quia videtur delegatus à capitulo. Sed aliter cum D. Dens sentirem de vicario generali Episcopi, quia habet unum tribunal cum Episcopo. Tutiùs tamen hæc facultas in litteris vicarii generalis specialiter exprimeretur.

CAPUT III.

DE SUBJECTO CENSURÆ ET IRREGULARITATIS.

634. Censuras quæ veniunt à jure communi ubique vigente, et irregularitates incurrere possunt omnes Ecclesiæ subjecti, etiam probabiliùs impuberes, nisi, ut sæpè, expressè excipiantur (a).

Attamen Episcopi, etiam solùm electi et confirmati, cæteri-

que Prælati Episcopis superiores, non incurrunt censuras, saltem suspensionem et interdictum (*b*) nisi de ipsis expressa fiat mentio. Cap. 4. de sent. excom.

Censuras autem quæ non sunt in jure communi incurrunt, et quidem soli qui subjecti sunt eas ferenti, nisi sint à jurisdictione ejus per S. Pontificem exempti, quales reges, reginæ et eorum filii, cum limitatione tamen à Tridentino appositâ, sessione 6, de reformatione, cap. 4, et 25, cap. 12 (*c*); quales adhùc regulares complures in eo in quo sunt exempti.

Nota : Superior non potest ferre censuras in suos subditos extrà degentes, nisi pro crimine quod censeatur commissum et consummatum in suâ diœcesi.

Et vice versâ, Episcopus degens in diœcesi aliena, non potest suum subditum censurâ plectere, nisi obtento Episcopi loci consensu, vel nisi sit è suo territorio injustè ejectus.

Nota iterùm : Viatores et vagi sortiuntur, ratione delicti, forum episcopi loci in quo sunt (*d*).

Nota tandem quòd si clerici non teneantur statutis suæ diœcesis è quâ absunt (*e*) nec proindè subjaceant censuris per ea latis, non idem dicendum sit de religiosis pro censuris à suis superioribus latis. Habent enim mundum pro territorio.

(*a*) Excipiuntur præsertim à censuris per statuta particularia latis.

Et excipiuntur à censuris *ab homine*. Si tamen Episcopus eos non excipiat expressè, foret consulendus, nam in impuberes absolutè ferri possunt.

(*b*) Benè verò excommunicationem. *Collet.*

(*c*) Et judices pro rebus sui muneris. *Bailly*, post Sambovium.

(*d*) Multi contrà multos excipiunt censuras non per præceptum transiens, sed per statutum latas. Ast communiùs et probabiliùs docent extraneos et vagos eas incurrere, hocque conformiùs principiis positis ubi de subjecto legum. Excipe si constet Episcopum noluisse in suis statutis comprehendere nisi extraneos qui veniunt cum animo per sex menses aut ampliùs commorandi.

Sed exceptio hæc locum habere non videtur in diœcesi Bisuntinâ, ubi sententia quam hìc ut probabiliorem habemus, olìm saltem ut tutior habebatur non contradicente archipræsule, ità ut existimem sacerdotem, imò subdiaconum extraneum, apud nos plusquam octo dies in eodem loco commorantem, teneri sub pœnâ suspensionis gestare vestem talarem.

(*e*) Docent tamen P. Gab. Ant., Layman, Dens, etc., quòd si censura lata sit per sententiam vel mandatum transitorium, v. gr., si sub pœnâ suspen-

sionis prohibeatur clerico peregrinaturo ne aleâ ludat, tunc exceptio sit regulæ generali. Mandatum enim, inquiunt, afficit immediatè personam et absentem sequitur.

In dubio hoc tutius eligendum; sed certum est censurâ semel plexum, eâ ubique ligari.

CAPUT IV.

DE EFFECTIBUS CENSURÆ ET IRREGULARITATIS.

635. Prænotandum eamdem personam posse pluribus, tùm ejusdem, tùm diversæ speciei censuris et irregularitatibus innodari, easque multiplicari pro specie et numero peccatorum quibus annexæ sunt (a).

Id insuper habent commune censura et irregularitas, quòd si denunciatæ sint, auferant (*excepto interdicto*) jurisdictionem, vitandique sint tunc illis irretiti in rebus in quibus iis afficiuntur. In paucis ergò irregulares (b), si fortè in aliquibus vitandi sint.

Secùs, non sunt de præcepto ecclesiastico vitandi à tempore Bullæ Martini V, *ad evitanda scandala.*

Sed sedulò notandum bullam hanc non juvare ipsos irretitos: « per hoc tamen, inquit, non intendimus relevare nec » juvare sic excommunicatos, suspensos et interdictos. » Hi ergò debent, excepto scandali, infamiæ, vel alio necessitatis casu se gerere ergà fideles, sicut si essent denunciati.

(a) Multi quoàd numerum, de irregularitatibus negant.
(b) Decretum apprehensionis corporis, debitè intimatum, est æquivalens irregularitatis denunciatio. *Collet, P. Jos. Ant.*

636. Alii irregularitatis effectus sunt quòd, si totalis sit,

1° Impediat sub mortali, licitam ordinum, imò et tonsuræ, susceptionem et exercitium, si virtute ordinationis exerceantur. Secùs, si ut laici solent.

Si verò partialis sit, potest ab unius non ab alterius ordinis exercitio, vel ab aliquo, non ab omni ordinis actu removere.

2° Quòd, paucis casibus in jure exceptis, reddat illicitam et probabiliùs invalidam collationem beneficii et pensionis;

nec hic juvat clausula absolutionis in litteris apostolicis apponi solita, quia irregularitates non respicit.

Ergò fructus beneficii in irregularitate obtenti restitui debent, proùt bonâ vel malâ fide percepti, nisi obtinendo ab irregularitate dispensationem, simul obtineatur restitutionis condonatio.

Ergò iterùm nulli sunt actus eligendi et præsentandi, vi juris in beneficio sic obtento fundati; nulla, excepto casu tituli colorati et erroris communis, jurisdictio ordinaria ex illo beneficio proveniens.

Ergò adhùc injustè percipiuntur fructus beneficii in irregularitate obtenti.

Ergò tandem, ordinariè saltem, nova obtinenda beneficii provisio, aut dimittendum beneficium (*a*).

Ast irregularitas non privat beneficio jam obtento, nec, excepto ordine, receptione sacramentorum, nec sepulturâ ecclesiasticâ, nec officiis, modò in his non fiat quod sit ordini annexum.

Tandem non impedit quin validè et licitè recipiatur jurisdictio delegata et ea omnis quæ non ex titulo intrinseco, sed ex commissione venit; à solâ enim voluntate delegantis pendet delegatio.

Sed illicitè reciperetur jurisdictio quæ exerceri non posset sine ordinum exercitio, ut ad audiendas confessiones.

(*a*) Hæc damus ut communiùs tradita. Non pauci enim contrà sentiunt. Ast teneturne irregularis restituere fructus beneficii in irregularitate obtenti, si in illo beneficio denuò, sublatâ irregularitate, instituatur? Potest saltem condonationem illorum fructuum obtinere, si munia obierit. Sed teneturne illam petere? Si qui in excommunicatione beneficium obtinuit, denuò illud legitimè obtineat, non videtur teneri fructus anteà perceptos restituere, si munia obiit, quia vacant et pertinent ad successorem, inquit Bonacina; vacavit autem beneficium, et excommunicatus legitimè tandem institutus fit successor illius qui illud anteà possidebat. Fortè pariter diceretur de beneficii fructibus ab irregulari perceptis. Saltem non video disparitatem.

CAPUT V.

DE IIS QUÆ A CENSURA ET IRREGULARITATE EX DELICTO EXCUSANT.

637. EXCUSAT 1° impotentia, metusque, quæ à peccato mortali excùsarent, ut metus scandali, judiciorum temerariorum, detractionum.

Sed non præcisè metus excitandi admirationem, aut frequentem de re sermocinationem (*a*).

(*a*) Si metus sufficiat quidem ad eximendum ab impletione legis ecclesiasticæ, sed non ab impletione legis naturalis cui ecclesiastica fuerit adjecta, ut si sub censurâ Ecclesia prohibeat quod jure naturali jàm prohibitum sit, alii volunt metum gravem à censurâ tunc non excusare, quia Ecclesia potest prohibere sub censurâ quod Deus prohibet sub pœnâ damnationis æternæ. Ità Collet. Contraria sententia quæ est Bonacinæ probabilior videtur. Tunc enim nullum fit peccatum contrà legem Ecclesiæ, nulla proindè pœna ecclesiastica incurri debet. In praxi tutior pars foret eligenda, saltem ex consilio.

638. Excusat 2° ignorantia invincibilis (*a*) etiam concomitans, sive juris, sive facti, sive censuræ, sed non irregularitatis, facto annexæ.

Et idem dicendum de oblivione et inadvertentiâ leviter solùm peccaminosâ; ad censuram enim, etc., requiritur peccatum mortale.

Ratio autem cur ignorantia pœnæ ipsæ solius à censurâ excuset, est quòd censura sit pœna medicinalis ex naturâ suâ; pœna autem medicinalis suum deperdit effectum contrà eam invincibiliter ignorantes, nec est tunc sufficiens contumacia (*b*). Sed hæc dici nequeunt de irregularitate quæ non est strictè pœna. Ad eam incurrendam, sufficit ut delictum existat.

Imò, si lex ferens censuram his utatur verbis : *qui scienter, qui temerario ausu, qui præsumpserint*, etc., ignorantia crassa (*c*), etiam à mortali non excusans, excusat à censurâ.

Sed non item ignorantia affectatâ, quæ dolo æquiparatur; nec dubium quod quis non curat elucidare; videtur enim tunc sat contumax.

Nota : Dubium facti non excusat ab irregularitate in casu homicidii (*d*) ex c. 8, de homicidio.

(*a*) Imò strictè vincibilis, modò non supina aut saltem non crassa, juxtà multos. An autem debeat esse ità invincibilis ut à mortali excuset, negant, ut probabiliùs, Billuart, Dens, Daelman, etc., quia nondùm est contumacia eo ipso quòd quis ignorat ex negligentià præcisè sufficienti ad mortale. Hi insuper fulciuntur Cap. 2° *ut animarum*, tit. 2. lib. 1. de constitutionibus in 6°. « Ut animarum periculo obvietur sententiis per statuta ordinario» rum prolatis, ligare nolumus ignorantes, dùm tamen eorum ignorantia » crassa non fuerit aut supina. »

Affirmat è contrà Collet, quia ignorantia quæcumque mortalis in jure crassa reputatur aut supina.

Hæc parum utiliter pro praxi longiùs discuterentur. Quis enim dignoscere præcisè potest gradum negligentiæ in ediscendo, ut ignorantia reputetur solùm strictè vincibilis, crassa aut supina? Si negligentia sit levis, peccatum veniale est, si gravis, mortale. Hoc jàm difficilè cognoscetur. Si gravis judicetur, difficilè adhùc videbitur an crassa aut supina. Sæpè ergò tunc remanebit dubium in quo, etc.

(*b*) Ità Suarez, Sylvius, Daelman et alii plures contrà pauciores, modò, juxtà ex iis aliquos, ignorantia censuræ sit invincibilis. Et hæc sententia sat probabilior visa est ut eam pro principio poneremus; rationibus enim jàm allatis addi potest quòd quamvis lex moneat et non ignoretur, non sufficiat quælibet monitio, sed monitio medicinalis contrà contumaces requiratur, seu monitio sub comminatione pœnæ.

Momenta alterius sententiæ sunt quòd in eo qui scit, aut moraliter scire potest legem, sufficiens sit in eam contumelia, ac proindè contumacia si violetur lex. Addunt rationem adversariorum qui requirunt modum specialem inobedientiæ ad contumaciam constituendam, nimis probare; probaret enim ignorantiam vincibilem à censurà excusare, quod ex eis plures negant. Sed hæc totam rationem priorum non evertunt; probant solùm sententiam Billuart, etc., quæ certè non est improbabilis. Nostra tenet medium.

(*c*) Etiam supina. *Dens*.

(*d*) In aliis verò casibus, juxtà Suarez, Cabassut, Collet, Bailly, P. Thomas et alios communiùs, nulla in dubio facti est irregularitas, quia jus non dicit eam tunc existere; nulla est autem irregularitas, nisi quæ in jure exprimitur, et Clemens III decidendo in capite 8° de homicidio, habendum esse ut irregularem qui dubitat an occiderit, exceptionem facit. Sed hæ rationes, prior præsertim, omninò infirmæ videntur. In priori enim conclusio est fortior præmissis. Et quoàd posteriorem, dici forsan veriùs posset Clementem III decidendo casum dubii in homicidio omnes similes decidisse. Qui enim dubitat an fecerit id cui annexa est irregularitas, hoc ipso dubitat an sit irregularis, ac proindè debet se gerere quasi irregularis esset.

Multò adhùc communiùs docent in dubio juris nullam esse irregularitatem; quia nulla est nisi quæ in jure clarè aut probabiliùs exprimitur. Contrà tamen sentit Billuart cum aliquibus, dicendo debere tunc aliquem gerere se tanquàm irregularem, quæ sententia etsi minùs probabilis, sanè tutior est. Consulerem Episcopum.

---

639. 3° Censuram suspendit appellatio legitima, seu ex

causâ rationabili facta, à sententiâ judicis inferioris ad judicem superiorem, modò appellandi tempus nondùm sit elapsum (40 dies à publicatione censuræ) nec appellans jam incurrerit censuram, quippè quæ, v. gr., lata sit sub conditione nondùm positâ.

Hæc pro censuris *ab homine*. Sed pro censuris *à jure*, appellatio eas non suspendit, suspendit solùm sententiam earum declaratoriam.

Nota : Appellatio ad Papam qui censuram confirmaret, eam ipsi reservatam redderet.

CAPUT VI.

DE CESSATIONE CENSURÆ ET IRREGULARITATIS.

640. Censura purè pœnalis, ut interdictum ad tempus, aut donec talis conditio impleatur, cessat elapso tempore, aut conditione impletâ.

Cessat et irregularitas ex defectu, cessante causâ ejus transitoriâ.

Imò quæ venit ex infamiâ facti per emendationem, et quæ ex hæresi, in Galliâ per conversionem.

Et baptismus aliquas irregularitates tollit, v. gr., eam quæ venit ex defectu lenitatis (ex delicto nullæ esse possunt in non baptizatis).

Tandem irregularitatem quæ venit ex defectu natalium aufert professio religiosa, sed solùm ad ordines recipiendos.

Cæteræ irregularitates, nisi sint juris naturalis, per dispensationem cessare possunt. Ast censuræ propriè dictæ, non nisi per absolutionem. Sed

Prænotandum duplex distingui forum Ecclesiæ : externum et internum.

Externum, seu contentiosum in quo res exteriùs discussæ judicantur secundùm terminos juris.

Internum, hocque duplex :

Forum conscientiæ, in quo res absque judiciali strepitu, extrà confessionem tamen sacramentalem judicantur;

2° Nulla est absolutio dolosè obtenta, aut per vim metumve injustè incussum.

Neque valet nolenti data vi rescripti vel privilegii cujus usus pendeat ab acceptatione illius in cujus gratiam concessum est;

Nec à delegato data, nisi absolutus à contumaciâ recesserit.

Sed ab habente potestatem ordinariam invitus potest à censuris absolvi (et ab irregularitatibus dispensari) si censura sit pro delicto transeunte et ipso facto completo.

Secùs, si delictum sit successivum, ut hæresis. Alioquin legem superior suspenderet.

Item ordinarius posset contumacem remanentem talem absolvere, in casu in quo in pejus rueret, nisi ipsa contumacia censuram inducat. Alioquin adhùc legem tolleret.

3° Sublatâ reservatione censuræ, cessat reservatio peccati cui annexa erat, quia quamvis et peccatum et censura reserventur, plùs tamen censura quàm peccatum.

4° Non necesse est in tribunali pœnitentiæ uti formâ speciali, nec exprimere causam propter quam pœnitens incidit in censuram. Sed sit iste præsens (*c*).

In foro verò externo dari potest absolutio absenti; et sive præsenti detur, sive absenti, utendum ad licitatem formâ in rituali præscriptâ; nec ad validitatem sufficeret actus merè internus, quia hæc absolutio est actus jurisdictionis exterioris.

5° Absolutio à censuris datur vel absolutè, vel sub conditione de præterito, præsenti vel futuro, ut: *Si intrà mensem restituas.*

Alia adhùc datur ad cautelam, si nempè quis forsan censurâ innodatus sit. In formulâ ordinariâ reperitur: *Absolvo te imprimis ab omni vinculo, etc.* Ubi notandum verbum *suspensionis* semper poni in absolutione clerici etiam simplicis, quia posset esse suspensus ab officio.

Alia datur *provisionaliter*, ut nempè quis possit litem pro beneficio prosequi.

Alia sub *reincidentiâ*, seu onere, quo non impleto, censura reviviscet.

Et alia ad effectum, quæ solet præmitti in bullis pontificiis, et quæ est potiùs dispensatio quàm absolutio.

(a) Censent tamen non pauci sacerdotem pro censuris reservatis approbatum, posse, jàm incœptâ, non autem finitâ confessione, à censuris absolvere pœnitentem, cùm id exigit ratio sufficiens, putà ut missæ intersit et officiis quibus solebat, et à quibus sine aliquo scandalo, recedere nequiret. Sed requirunt ut ex ipsius dispositionibus moraliter conjiciatur eum, absolutâ confessione, dignum fore qui absolvatur. Tutiùs tamen id non faciendum inconsulto Episcopo, nisi specialis ab eo habeatur approbatio. *Collet* post Gibert.

(b) Nisi, juxtà quosdam, pœnitens absolvi nequeat, quin præmiserit satisfactionem.

Notant hìc Billuart et alii eum qui nescit aut non recordatur se esse excommunicatum; vel bonâ fide credit priùs se à peccatis absolvi posse quàm ab excommunicatione, validè absolvi; quia excommunicatio non tollit à sacerdote suam in pœnitentem jurisdictionem; sed prohibet simpliciter excommunicato ad sacramenta accedere.

Item si sacerdos obliviscatur ab excommunicatione priusquàm à peccatis absolvere.

(b) Vide tamen formulas in rituali tuo. Si vis, hâc utere, includendo in formâ ordinariâ absolutionis; *Dominus noster J. C.... concessâ* (et notanter: *Apostolicâ auctoritate mihi specialiter delegatâ*) (cùm nempè opus est) *absolvo te ab... in quam* (vel *in quas*) *incurristi* et ab omni alio *vinculo excommunicationis*, etc., ut in formulâ ordinariâ.

Si agatur de suspensione aut interdicto, enunciantur sub ordine et loco, v. gr., post verba ordinaria: *Imprimis ab omni vinculo excommunicationis et suspensionis in quam,* etc.

Si danda sit dispensatio ab irregularitate, dic post pronunciatam totam absolutionis formulam: *Deindè dispenso tecum super irregularitate (vel irregularitatibus) in quam (vel in quas incurristi....* et convenientiùs: *Habilem te reddo restituoque executioni vel susceptioni) ordinum et officiorum tuorum. In nomine Patris,* etc.

SECTIO II.

De dispensatione in irregularitatibus.

646. In irregularitatibus seu potiùs incapacitatibus juris naturalis, ut ex defectu scientiæ, nemo;

In omnibus juris ecclesiastici Papa dispensare potest.

Sed nunquàm ad dispensandum in irregularitatibus delegare censetur nisi dicat expressè.

---

647. « Liceat Episcopis (*a*) in irregularitatibus omnibus » et suspensionibus ex delicto *occulto* provenientibus, *exceptâ eâ quæ oritur ex homicidio voluntario*(677), *et exceptis*

» *aliis deductis ad forum contentiosum*, et in quibuscumque
» casibus occultis, etiam sedi apostolicæ reservatis, delin-
» quentes quoscumque *sibi subditos* in diœcesi suâ per se ip-
» sos aut vicarium ad id *specialiter deputandum, in foro*
» *conscientiæ* gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. »
Trid. sess. 14, cap. 6.

Ergò 1° Episcopi dispensare nequeunt in irregularitatibus ex defectu, excepto 1° in eâ quæ venit ex defectu natalium, ad tonsuram, minores ordines et beneficia simplicia. 2° In eâ quæ ex bigamiâ similitudinariâ oritur.

Sed et in irregularitatibus ex defectu sicut in omnibus aliis possunt dispensare cùm dubiæ sunt, quia casus dubii non reservantur.

Et cùm non patet recursus ad Papam, ob paupertatem, scandalum, imminens detrimentum populi, etc.; sed in hoc ultimo casu Episcopus potiùs permittit irregulari functiones obire, quàm in irregularitate dispensat. Undè quàm primùm moraliter ad Papam recurrendum.

Ergò 2° dispensare possunt Episcopi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, præter tamen in eâ quæ venit ex homicidio voluntario, et in aliis deductis ad forum contentiosum.

Undè nihil possunt in irregularitatibus quæ, etsi ex delicto occulto, forent ad forum contentiosum deductæ, quamvis probabiliùs venirent ex violatione censuræ à proprio Episcopo latæ, quia irregularitas fertur à jure communi.

Occultum autem censetur delictum, juxtà Gallos, cùm non est notorium notorietate juris. Sed in pluribus Galliæ diœcesibus (*b*) admittitur, sicut in aliis regionibus communiter, publicitas facti, seu cùm res est certò et indubiè à tot cognita ut nullâ ampliùs tergiversatione celari queat (*c*). Non sufficiunt ergò meræ conjecturæ.

Ad forum verò contentiosum deducitur delictum cùm defertur judici et delatio parti intimatur, hæcque citatur.

Ergò 3° non nisi subditos suos et quidem in suâ diœcesi dispensare hic possunt Episcopi (*d*).

Ergò tandem si Episcopi per vicarium in irregularitate

dispensent, debent ipsi specialem ad hoc concedere facultatem, quâ, sicut Episcopus, non nisi in foro interno uti potest.

Nota : Irregularis absolvi potest ab omni delicto aliundè non reservato, etiam ab eo ob quod in irregularitatem incidit quin in irregularitate dispensetur.

(*a*) Ergò, inquiunt aliqui, Episcopi hìc dispensant non auctoritate propriâ, sed vi commissionis Ecclesiæ, cui in Bullâ cœnæ derogatur pro irregularitate ex hæresi.

(*b*) Sic in Bisuntinâ.

(*c*) Sufficit ad notorietatem facti, juxtà aliquos, ut decem personæ illud cognoscant. Alii volunt ut à majori parte communitatis res cognoscatur.

Sed sufficitne crimen esse publicum in ratione criminis, ut irregularitas reservetur ? Censent nonnulli saltem, quia sic fert textus Tridentini. Ast multi inter quos de Sainte-Beuve, Collet, etc., et notanter Navarrus, romanæ pœnitentiariæ minister, contrà sentiunt. Non enim, inquiunt, ipsum peccatum, sed irregularitas reservatur. Requiritur ergò ut ipsa irregularitas publica sit, seu ut sciatur eam ex crimine publico ortam esse; ut sciatur, v. gr., sacerdotem qui in censurâ cognitâ celebravit, factum esse irregularem. Probabilior videtur hæc sententia, quia fini legis conformis est, et quia auctoritate Navarri innititur. Fateor tamen quòd textui videatur contraria.

Dubium est an Episcopus dispensare possit in irregularitate in diœcesi suâ occultâ, sed publicâ in aliâ.

Nonnè dici posset in hôc casu et in præcedenti, casum esse dubium et dubios quoquo modo casus non reservari ? Ità ratiocinatur Collet, qui addit tamen pœnitentiariam non admittere ultimum hoc genus occulti.

(*d*) Sed possunt permittere extraneo, in suâ diœcesi existenti ad tempus, ut celebret usque dùm fuerit dispensatus, si sine scandalo nequeat à celebrando abstinere. *Collet.*

---

648. Cùm petitur dispensatio in irregularitate, referri debent delicta quæ illam induxerunt(*a*); et si plures sint irregularitates, aut una pluribus æquivalens, denotare singulatìm (*b*).

Dispensatio in irregularitate datur post absolutionem à peccatis, exprimendo ob quid in eam quis inciderit[645, *c*].

Et nota : Tolli potest irregularitas ob quam nulliter obtenta esset provisio beneficii, vel cui de facto annexa esset ejus privatio, quin is cum quo dispensatum est, in illo restituatur. Qui ergò petit delegationem ad relevandum beneficiarium talem ab irregularitate, petere debet facultatem illum in suo beneficio rehabilitandi et fructus perceptos

condonandi [636], hæcque formulæ dispensationis addere : *restituoque te in beneficio, etc.*

(a) Imò, quantùm fieri potest, quoàd numerum, inquiunt P. Gab. Ant. et Gibert contrà multos. Reverà irregularitates, quamvis ejusdem speciei, tunc numero multiplicari videntur, et difficilior redditur dispensatio, graviorque pœnitentia injungenda est.

(b) V. gr. Si quis in excommunicatione simul et in suspensione, ordinem sacrum solemniter exercuerit.

(c) Imò, ne forsan subreptitia sit dispensatio, exprimendus est gradus malitiæ criminis, an, v. gr., consultò et cogitatò, an per se, an per alium, an clericum, an sacerdotem, an et quem consanguineum aut affinem quis occiderit; an dispensandus erat jam ordinatus, vel beneficiarius; an posteà receperit beneficium et cujus redditûs; an habeat matrimonium et à quo tempore sit irregularis. V. gr. adhùc, qualitas criminis ex quo natus est illegitimus, exprimenda est.

PARS II.

DE CENSURIS ET IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI.

CAPUT PRIMUM.

DE CENSURIS IN PARTICULARI

SECTIO I.

De excommunicatione.

649. Excommunicatio est censura quâ baptizatus pluribus vel paucioribus bonis spiritualibus, Ecclesiæ dispensationi commissis, proùt sunt fidelibus communia, primariò privatur;

Secundario verò aliquibus bonis temporalibus.

Hæc est, quoad privationem bonorum spiritualium, inter excommunicationem et suspensionem interdictumve differentia, quòd illa bonis spiritualibus privet ut communibus seu proùt sunt fundamentum unionis ecclesiasticæ; ista verò iis privent proùt sunt sacra præcisè.

Si pluribus bonis spiritualibus excommunicatio privet, major, seu simpliciter excommunicatio appellatur;

Si paucioribus, minor.

De excommunicatione minori nihil dicendum nisi quòd privet, sub gravi, passivâ participatione licitâ sacramentorum (*a*) et passivâ ad beneficia et dignitates ecclesiasticas electione;

Quòd incurratur solùm per communicationem illicitam cum excommunicato vitando; per peccatum proindè quod potest esse veniale tantùm, quamvis necessariò in confessione declarandum;

Quòd ejus violatio non pariat irregularitatem.

Et quòd reservata non sit unquàm.

(*a*) Aliqui, ut Col. Andeg., Collet, etc., peccare venialiter dicunt qui in excommunicatione minori sacramenta ministrat, quia, inquiunt, cui sub gravi prohibetur receptio, sub levi, ob incongruentiam, prohibetur administratio. Sed infirma ratio hæc. Hinc Bonacina, Suarez, P. Thomas, ibi meritò nullum vident peccatum.

---

650. Effectus excommunicationis majoris sunt :

Primus, ex quo cæteri fluunt : privatio omnis communicationis cum fidelibus, sub gravi quidem ex genere suo, in spiritualibus; sub levi verò in civilibus.

Sic exprimuntur actiones in quibus cum fidelibus communicare nequit excommunicatus :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Sed excipe casus in quibus excommunicatus se infamaret, pareret scandalum, aliudve grave pateretur, aliosque in jure expressos qui sunt :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

---

651. Secundus : privatio communium Ecclesiæ suffragiorum, auxiliorumque spiritualium ex missæ sacrificio, indulgentiis, precibus publicis et operibus justorum quatenùs in Ecclesiæ communione factis, provenientibus.

Et hæc, quamvis excommunicatus foret in unione charitatis cum justis, quia non est in unione ecclesiasticâ.

Hinc Ecclesiæ ministris vetitum sub gravi, pro excommunicatis sacrificium offerre, preces canonicas recitare, aut alio modo publicè nomine Ecclesiæ orare, nisi in diei sanctæ Parasceve officio.

Sed possunt pro iis orare privatim in *memento* etiamsi denunciati forent, modò non nominentur.

---

652. Tertius : privatio, sub reatu sacrilegii gravis, et mortalis inobedientiæ, receptionis et administrationis licitæ sacramentorum.

Invalidè etiam pœnitentiam reciperet excommunicatus, utpotè male dispositus, saltem extrà casum ignorantiæ invincibilis [645, *b*].

Sed, modò toleratus sit, posset, sincerè conversus ad Deum, in impotentiâ absolutionem recipiendi, alia sacramenta recipere in necessitate vitandi scandalum, infamiam, aut aliud grave.

Item missam celebrare.

Et sacramenta ministrare in casibus in quibus licet fidelibus ea petere ab eo.

Imò non toleratus, baptismum, pœnitentiam, et probabiliùs extremam-unctionem, præsertìm si moribundus confiteri nequiverit, in casu necessitatis conferre posset et teneretur.

---

653. Quartus : privatio assistentiæ officiis divinis et aliis quibusvis quæ solemniter fiunt nomine Ecclesiæ et ab ejus ministris, ni causa gravis excuset (*a*).

Non tamen ei interdicitur assistentia sacræ concioni.

Clericus excommunicatus leviter peccaret dicendo *Dominus vobiscum* in recitatione horarum, et graviter, si in choro, quia hoc communicationem cum fidelibus indicat.

Ergò nec potest sed solùm sub levi, socium adhibere.

(*a*) Autumat Collet non licere excommunicato orare seorsim in ecclesiâ, dùm ibidem alii extrà officia orant ; sed hoc rigidius apparet, nec sufficienter probatum.

---

654. Quintus : Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, id est, juxtà ritum Ecclesiæ in loco ad fideles sepeliendos destinato, vel ex benedictione auctoritate ordinarii factâ, vel ex consuetudine (*a*).

Clementinâ *eos* de sepulturis, excommunicantur ipso

facto qui excommunicatos publicos scienter in loco sacro sepelire præsumunt.

(a) Sunt qui nolunt excommunicatum toleratum in loco sacro tumulandum; sed ni Ritualia particularia vetent et excommunicatio notoria sit, non est neganda sepultura. Vide 764.

655. Sextus : Inhabilitas ad beneficia et ad omnem gratiam apostolicam, etiam validè recipiendam, nisi S. P. apposuerit clausulam præviæ absolutionis (*a*).

Nec potest excommunicatus instituere licitè ad beneficia, resignareve in favorem.

Sed beneficiarius, bonâ fide in excommunicatione in beneficio institutus, fructus, si munia obierit, restituere non tenetur nisi in quantùm factus est ditior.

Nota : Ejus est (etiam Episcopi, si primâ vice contulerit) qui beneficium contulit, in illud rehabilitare; et fructus hucusquè percepti ad clericum rehabilitatum videntur pertinere, quia fructus beneficii vacantis ad successorem pertinent; rehabilitatus autem fit antecessoris successor (*b*).

(a) Hæc clausula ad nihil inservit, juxtà plures, nisi ad beneficium aut gratiam apostolicam obtinendam validè, nec se extendit ad excommunicationem ob hæresim vel *ab homine*; eoque absolutionis beneficio privatur, juxtà Rebuffum et Navarrum, qui per annum in censurâ perseverat.

(b) P. Gab. Ant. communem dicit sententiam quæ videtur esse Toleti, Suarezii et Covarruviæ existimantium excommunicatum privari ipso facto fructibus beneficii jam obtenti. Sed alii contrà sentiunt.

656. Septimus : Privatio, sub gravi, usûs jurisdictionis ecclesiasticæ omnis. Vide [635].

Notà : Qui communicaret cum excommunicato denunciato in crimine criminoso, seu in crimine propter quod excommunicatus est, cooperando nimirùm ejus contumaciæ per consilium, auxilium, etc., præter reatum peccati mortalis, excommunicationem majorem incurreret reservatam ei qui denunciavit, Papæ vel Episcopo.

SECTIO II.

De suspensione.

PRÆMITTENDA.

657. FUNCTIONES sacræ aliæ dicuntur ordinis, aliæ jurisdictionis et aliæ ordinis simul et jurisdictionis.

Functiones ordinis eæ sunt quæ ordinem ad validitatem requirunt, ab eoque pendent. Tales celebratio missæ et divinorum officiorum; sacramentorum, excepto baptismate et forsan matrimonio, confectio, benedictiones quæ à laicis fieri nequeunt, solemnis aquæ, v. gr., et ejus aspersio super fideles, solemnis cereorum, vestium, fructuum, vasorum et ornamentorum sacrorum, mulierum post partum, infantium in die solemni paschæ, ramorum, etc., Ecclesiæ, cœmeterii, campanarum, etc., altarium, chrismatis, etc., pro Episcopis; dicere in choro *Dominus vobiscum;* ibi facere officium hebdomadarii, etc.

Functiones jurisdictionis sunt eæ quæ à jurisdictione pendent, possuntque à simplici clerico, imò et à laico exerceri, ut ferre censuras, indulgentias concedere, ad audiendas confessiones approbare, etc.

Functiones ordinis verò simul et jurisdictionis, eæ sunt quæ utrumque requirunt, ut audire confessiones.

---

658. Suspensio est censura quâ clericus privatur exercitio licito potestatis sibi competentis.

Est et alia quæ merè pœnalis est, in vindictam culpæ præteritæ (*a*).

Non est censura propriè dicta, etsi multos ejus habeat effectus.

Nec à fortiori censura est decretum apprehensionis corporis; etsi clericum, ex usu, suspendat.

Imò à functionibus abstinere convenit eum qui solo citationis decreto subest (*ajourné personnellement*) licèt probabiliùs non sit suspensus.

Suspensio dividitur in totalem et partialem.

Totalis est ab officio et beneficio; vocatur simpliciter *suspensio,* et talis intelligenda est cùm simpliciter et absolutè fertur, ut sic : *sub pœnâ suspensionis*, ità ut omnes suspensionis effectus habeat; et sic dicendum de ejus subdivisionibus. Suspensiones enim subalternæ omnes simpliciter sunt intelligendæ, nisi lex aliter dicat.

Partialis est ab officio; aut à beneficio tantùm; et utraque subdividitur adhùc.

Suspensio enim ab officio, vel est à toto officio, ordinis nempè et jurisdictionis, et tunc dicitur *suspensio ab officio totalis;*

Vel ab alterutro tantùm, et tunc dicitur *suspensio ab ordine* vel *suspensio à jurisdictione;*

Iterùm suspensio ab ordine vel est ab ordine quolibet, et tunc *totalis ab ordine* vocatur;

Vel ab uno aut pluribus ordinibus tantùm, et tunc *partialis ab ordine* appellatur.

Similiter suspensio à jurisdictione, vel est ab omni jurisdictionis actu, et tunc *à jurisdictione totalis* dicitur;

Vel ab aliquo tantùm actu, et tunc *à jurisdictione partialis.*

Item suspensio à beneficio, vel est à toto beneficio, vel à parte tantùm, v. gr., à distributionibus quotidianis.

Sed sicut suspensio ab ordine simpliciter intelligitur ab omni ordine, etc., ità suspensio à beneficio simpliciter, intelligitur ab omni beneficio, etiam extrà diœcesim sito (*b*).

(*a*) Scriptis feratur, inquit P. Ant. à Goritiâ. Incongruens mihi saltem videtur et periculosum, etiam præsentem et audientem voce solà suspendere. Nàm in his suspensionibus merè pœnalibus, nunc sat communibus, suspensus debet clarè scire et recordari à quo suspendatur et pro quanto tempore, si quod determinetur. Si prælatus simpliciter dicat aut scribat, v. gr., suspendo te à celebratione missæ, impedit solùm missæ celebrationem.

(*b*) Si suspensio sit à jure. Si autem à statutó vel sententiâ, clarè exprimat se Episcopus. Ait Pontas à beneficiis alibi sitis, ob violatum statutum proprium suæ diœcesis, aliquem non suspendi; id enim velle non censetur Episcopus.

---

659. Suspensus ab officio simpliciter nequit ergò, sub gravi, ullum exercere actum ordinis; ullum jurisdictionis, id est, ullatenus exercere suum ministerium (*a*).

Si autem à quibusdam tantùm officii actibus suspendatur, alios exercere potest.

Sed si ab ordine simpliciter suspendatur, nullas, itidem sub gravi, functiones ordinum facere potest (*b*).

Si verò solùm ab uno ordine, v. gr., à superiori, potest exercere actus aliorum ordinum, nec ideò quis ab ordine inferiori suspenditur, quia à superiori (*c*).

Item si solùm ab uno ordinis actu, potest alias facere ordinum functiones.

Hinc Episcopus à Pontificalibus solùm suspensus, potest facere quod faciunt simplices sacerdotes ut tales, sine ergò ornatu pontificali. Et vice versâ, si esset solùm suspensus à sacerdotalibus, posset facere pontificalia simplicia.

Et omnia hæc dic de suspensione à jurisdictione.

Nota : Suspensus ab ordine, sacramenta, excepto probabiliùs ordine, recipere potest.

Sed ea ab illo, etiam tolerato, et auxilia alia spiritualia petere nequeunt fideles sine justâ causâ.

(*a*) Ergò irregularis fieret ordinem suum exercendo. Hæc quidem conclusio non est omnium, quia plures distinguunt suspensionem ab officio à suspensione ab ordine; sed cùm suspensio ab officio se extendat ad omne ministerium, et in hoc sit saltem magnum dubium, prædictam distinctionem facere non judicavi necesse. Facias, si vis.

(*b*) Nisi suspensio sit levis, v. gr., ab unico actu. *P. Ant. à Gorltiâ.*

(*c*) Sicut probabiliùs (contrà P. Gab. Ant., Collet, etc.) suspensus ab inferiori ordine, non suspenditur à superiori, nisi hunc exercendo, actum inferioris faciat, ut sacerdos suspensus à diaconatu qui missam celebraret. Ità Suarez, Coll. Andeg., etc.

---

660. Suspensus ab omni beneficio, nullum potest saltem licitè recipere (*a*).

Secùs, si ab iis solùm quæ possidet.

Sed quâ re privat suspensio à beneficio? (quæ juxtà plures non admittitur in Galliâ.) Certum est quòd per se non privet titulo beneficii, alioquin esset depositio.

Ergò solùm fructibus, etiam antè sententiam judicis (imò et retributionibus manualibus). Restituendi proindè pauperibus loci beneficii vel ecclesiæ.

Et eosdem probabiliùs effectus habet in pensiones ecclesiasticas (*b*).

(a) Sed an nec validè? Affirmant plures de suspenso totaliter; alii idem dicunt de suspenso ab omni beneficio; alii de suspenso ab officio; imò alii de suspenso ab ordine. Nova ad cautelam obtinenda esset provisio.

(b) Si suspensus à beneficio faceret fructus suos, nullum effectum certum haberet hæc suspensio, nisi illicitatem ad nova beneficia obtinenda. Attamen non nisi ut probabilior et tutior dari potest hæc sententia. Sed juxtà multos, suspensus (saltem si in pœnam delicti commissi et non ob contumaciam) potest sibi de fructibus retinere ad vivendum, si pauper sit.

Et potest, juxtà Collet et alios, deducere à restituendis quæ danda fuissent substituto, si ipse suspensus munia rectè obierit, nisi obstinatè in suspensione perseveret.

SECTIO III.

De interdicto.

661. Interdictum est censura quâ prohibetur usus quorumdam bonorum spiritualium, non ut communium, sed secundùm se spectatorum, scilicèt quorumdam sacramentorum, celebrationis divinorum officiorum, iisque assistentiæ, et sepulturæ ecclesiasticæ.

Est etiam quædam interdicti partialis species, quâ prohibetur ingressus in ecclesiam.

Sed, ut dictum est de suspensione, si interdictum feratur in meram pœnam, quale si ad tempus determinatum, non est censura, etsi plures ejus habeat effectus.

Interdictum aliud est personale, quod personam directè afficit, et quòcumque, ut cæteræ censuræ, sequitur.

Aliud locale, quod in locum directè cadit, et indirectè in personas, quæ possunt alibi divinis interesse, nisi interdicto locum dederint. Pro his enim interdictum locale personale est.

Et aliud mixtum quod personas et loca immediatè afficit, sortiturque omnes interdicti personalis et localis effectus.

Rursùs interdictum quodvis generale est vel particulare.

Generale: cùm afficit locum communem, particularia à se dependentia complectentem, v. gr., civitatem vel personas communitatem componentes ut talem, v. gr. parochiam.

Particulare cùm locus, persona, vel personæ, vel particulares, interdicuntur.

Tandem interdictum quodlibet est totale vel partiale, proùt sine vel cum modificatione fertur.

Circa quæ notandum 1°. Interdictum personale generale omnia communitatis membra, etiam absentia et innocentia ligare; quandiù communitatis membra sunt;

Imò eos qui, interdicto durante, communitatis membra fierent.

Sed respectu innocentium non habet rationem pœnæ nisi impropriè dictæ, ut nempè nocentes resipiscant.

2° Ad interdictum generale locale requiri et sufficere ut locus in quem cadit duo locorum genera contineat, sacrum et profanum; tunc enim tàm extrà quàm intrà ecclesiam celebrare prohibetur.

Imò interdictâ civitate vel pago, interdicuntur et ecclesiæ regularium, suburbana et loca adjacentia.

Item interdictâ ecclesiâ, capella et cœmeterium adjacentia interdicuntur

Sed non vice versâ, quia accessorium sequitur principale, non principale accessorium.

3° Interdicto populo, nec clerum, nec *scholasticos*, nec peregrinos interdici (*a*).

(*a*) Et juxtà multos, interdicto clero, non interdicitur sacerdos nulli ecclesiæ mancipatus, nec religiosi quia non sunt pars cleri. Secùs si omnes ecclesiastici interdicerentur.

662. Personaliter interdicti, sacramenta nec recipere nec conferre possunt, sine reatu peccati gravis.

Excipe sacramenta quæ, tempore interdicti, administrari permittuntur, modò qui ea conferunt aut recipiunt, non sint interdicti personaliter, nisi generaliter, nec locum dederint interdicto.

Sed et tunc excipitur casus necessitatis et recipientis et conferentis.

Nec possunt personaliter interdicti officia celebrare aut iis interesse.

Nec sepulturâ ecclesiasticâ donari; eâ tamen privari non debent si non sint denunciati, nec membra communitatis nominatìm interdictæ.

Idem dic de interdictis ab ecclesiæ ingressù. Sed hi nequi-

dem ad orandum extrà officia ecclesiam ingredi queunt, benè verò ad audiendam concionem (*a*).

(*a*) Non clarè constat invalidam esse collationem beneficii factam personaliter interdicto, nec quòd hic incurrat suspensionem ab officio, violando interdictum.

663. Effectus interdicti localis sunt sub gravi
Privatio quorumdam sacramentorum,
Celebrationis et auditionis divinorum officiorum,
Et sepulturæ ecclesiasticæ.

Sed hìc sunt multæ exceptiones, tempore interdicti, si quod eveniat, in auctoribus legendæ : observare sufficiat locum non censeri interdictum per modum censuræ propriè dictæ, nisi ut talis denunciatus sit. Tunc et in omni alio interdicto, attentè pensanda verba illud ferentis.

Nota : privilegium absolvendi ab omnibus censuris, non se extendit eò usquè quòd tolli possit interdictum locale aut personale generale.

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI.

Octo species enumerantur ex defectu : ex defectu natalium nempè, animi, corporis, ætatis, libertatis, famæ, bigamiæ et lenitatis.

Et quatuor ex delicto. Ex delicto scilicet homicidii, et mutilationis, iterationis baptismi, susceptionis malæ malive usûs ordinum, et hæresis.

§ I.

De irregularitate ex defectu natalium.

664. Hac laborant orti ex parentibus matrimonio [illegible] conjunctis, sive illegitimitas publica sit, sive occult[illegible]

Excipiuntur nati ex matrimonio in facie Ecclesiæ c[illegible] sed nullo ob impedimentum occultum, [illegible]

cens, modò fuerit ab uno saltem contrahentium ignoratum.

Et excipiuntur per subsequens matrimonium legitimati, etiam post intermedias nuptias.

Sed necesse est ut parentes fuerint tempore conceptionis filii ad contrahendum habiles (*a*), quia naturales filii, non spurii, sic legitimantur [640].

Potest tamen mater adulterinum filium ad susceptionem ordinum cohortari, si vocatus sit. Sed si se credat illegitimum, petat dispensationem (*b*).

Nota : In supplicâ pro dispensatione ab hâc irregularitate, exprimendum an ex solutis natus sit illegitimus ; et dispensatio, si obtineatur, strictè est interpretanda. Dispensatus proindè ad ordines, non ideo ad sacros; ad unum beneficium, non ideò ad plura; nisi aliud ex circumstantiis colligatur.

(*a*) Etsi antè nativitatem filii parentes dispensationem obtinuissent, aiunt quidam. Sed aliis rigorosa videtur hæc sententia.

Si matrimonium malâ fide invalidum, subindè per dispensationem fuerit validè contractum, illegitimus talis remaneret, si clausula legitimationis non fuerit in dispensatione apposita. *Collet*.

(*b*) Pro illegitimis habentur expositi. Sed hoc non certum. Undè videtur episcopum tunc posse dispensare. *Bailly*. Si expositi, post ordinum susceptionem dubitent, non indigent dispensatione, quia possident, inquiunt multi [638]. Saltem ab ordinum exercitio cessare debet, qui post eorum susceptionem scit se esse illegitimum

§ II.

De irregularitate ex defectu animi.

Tres animi defectus, rationis nempè, scientiæ et fidei confirmatæ, hanc irregularitatem inducunt.

665. Defectus rationis, ut in perpetuo aut solùm per intervalla, amentibus; in lunaticis, energumenis, furiosis, epilepticis qui cadunt quasi inanimes.

Epileptici tamen faciliùs à susceptione quàm ab exercitio, ordinum arcentur (*a*).

Qui affectus epilepticos, antè pubertatem solùm, passi sunt, non sunt irregulares.

Sed si post pubertatem, quamvis semel, ceciderint, antè annum 25, ad ordines non sunt, etiam ex dispensatione, ad-

mittendi, sed solùm cùm judicio medicorum sanati reputantur.

Si post annum 25, relabantur, nunquàm sunt ordinandi, et si ordinentur, ordines sine dispensatione exercere nequeunt, quia morbus habetur tunc ut ordinariè insanabilis.

Et dispensationem obtineant qui à verâ amentiâ sanati judicantur.

Tandem qui vertigine laborant, etsi irregulares non sint, non ordinentur inconsulto Episcopo.

Idem dic in multis dubiis quæ in hâc materiâ occurrunt.

(a) Sic epileptici ab anno non cadentes, possunt (juxtà plures contrà alios) saltem ex dispensatione S. P. ordines exercere jam susceptos, et missam celebrare assistente sacerdote jejuno, si rarò et sine clamore cadant. *P. Gab. Ant.*, *Collet*, etc.

---

666. Defectus scientiæ pro ordine suscipiendo competentis, potest esse tantus ut pariat irregularitatem.

Peccat ergò mortaliter qui carens scientiâ à Tridentino requisitâ (ses. 22. Cap. 2, et 23. Cap. 4), ordines suscipit vel exercet; et nec Episcopus, nec Papa dispensare debent cum nullius scientiæ capaci (*a*).

(*a*) Sciant ergò legere et scribere primâ tonsurâ initiandi; linguam latinam minores ordines suscepturi; munus sacerdotale, ad sacerdotium evehendi.

Collet requirit ut ordinandus presbyter de communibus judicare possit et de aliis dubitare.

Sed hic (videtur meritò) observat P. Ant. à Goritiâ irregularem non esse qui scientiam non habet à concilio Trid. requisitam, cùm id non dicat concilium, benè verò qui caret scientiâ ad munus suum requisitâ.

---

667. Defectus fidei confirmatæ.

Hâc irregularitate irretiuntur neophytæ, id est, recenter ad fidem conversi.

De hæreticis redeuntibus et peccatoribus emendatis Episcopus judicet.

§ III.

De irregularitate ex defectu corporis.

668. Hanc irregularitatem ii habent et soli qui securè, propter debilitatem, vel sine scandalo seu notabili indecentiâ propter difformitatem functiones sacras exercere non possunt (*a*).

(*a*) Hic multa dubia sunt. Legantur auctores et præcipuè consulatur Episcopus. Nàm etsi solus S. P. possit in hàc irregularitate dispensare, de eâ tamen et similibus judicant Episcopi.

Evidenter irregulares sunt cæci, surdi, muti, manu aut pede aut etiam pollice carentes; enormiter gibbosi, abstemii, hermaphroditæ, eunuchi ex suâ culpâ.

Irregularis non est præcisè non videns oculo dextro, si non sit erutus; nec sinistro non videns, si alter sit sat aptus ut sine indecentiâ canon legi possit, *Dens.* Nec oculo carens, si vitreus ità appositus sit ut vix adverti queat. *P. Ant. à Goritiâ.*

§ IV.

De irregularitate ex defectu ætatis.

669. Variant canones circà ætatem pro tonsurâ et minoribus requisitam. Multis in locis ante 14 tonsura, et antè 18 annum ordines minores non conferuntur. Sed ubique ad subdiaconatum 22, ad diaconatum 23, ad presbyteratum 25 incœptus, et ad Episcopatum 30 annus completus requiritur.

Vix S. P. dispensat à pluribus quàm à duobus annis.

Nota : Malâ fide, antè ætatem, ordinem suscipientes, ab eo suspenduntur; et si eum exerceant, novam incurrunt irregularitatem quam non, sicut nec suspensionem, tollet ætas superveniens.

§ V.

De irregularitate ex defectu libertatis.

670. Hac irretiuntur conjugati, nisi uxores eorum non senes in religione profiteantur; vel senes, de consensu Episcopi, castitatem voveant in sæculo (*a*).

(a) Aliis libertatis defectibus (quos irregularitatem in Galliâ parere negant plurimi) implicati, quales curiales, administratores boni alieni, procuratores ad lites, thesaurisarii publici aliique ad ratiocinia reddenda obligati, consulant Episcopum antequàm ordinentur. Saltem dispensare posset.

Sed hæc ordinibus sumptis supervenientia irregularem non reddunt.

§ VI.

De irregularitate ex defectu famæ.

671. Infamia duplex :

Infamia juris resultans vel ex crimine quod ob dispositionem juris canonici infamat, vel ex sententiâ judicis ad pœnam infamantem, licèt non ob crimina in jure infamantia, juridicè condemnantis;

Infamia facti, quæ venit vel ex crimine apud prudentes habito ut infamante, vel ex professionis infamantis exercitio.

Crimina in jure infamantia sunt duellum et præstitum ipsi patrocinium; raptus, ipsique favor datus; usura, lenocinium, homicidium, maleficium, adulterium, furtum, incestus, perjurium, hæresis, schisma, sodomia, crimen læsæ majestatis.

Sed hæc publica sint probabiliùs.

Pœnæ verò infamantes sunt triremes, exilium, ab officio interdictio, flagellatio, stigma, ad palum alligatio, mulcta pecuniaria in materiâ criminali, decreta corporis comprehensio.

Innocens damnatus ad pœnam infamantem debet se gerere tanquàm irregularem donec fuerit vel absolutus, vel à S. P. dispensatus (a).

Tandem ex professione infames sunt comœdi et quisquis, ut funambulus, in scenam prodit; macellarii, tabernarii publici, cloacarii, carnifices.

Non horum filii.

Infamia juris tollitur per dispensationem S. P.; infamia, saltem popularis, facti, per emendationem (b).

(b) Et Notoria. *P. Ant. à Goritiâ* contrà Boudart et Daelman.

Plurimi insuper volunt in Galliâ requiri sententiam judicis declaratoriam criminis infamantis. Saltem, inquiunt, hìc judicare potest Episcopus. Ad minùs consulatur.

Ex titulo 15° antiqui concordati, clerici publicè concubinarii irregulares sunt antè judicis sententiam.

(b) Secùs infamia facti legalis, seu cui à legibus annexa est infamia. *Collet.*

Varii aiunt episcopos posse dispensare in irregularitate ex infamiâ juris, sed cum magnâ limitatione;

Et sunt qui contrà alios censeant mutationem loci posse tollere irregularitatem ex infamiâ facti.

§ VII.

De irregularitate ex bigamiâ seu ex defectu sacramenti.

672. Bigamia est matrimonium non perfectè repræsentans unionem Christi cum Ecclesiâ.

Triplex est :

Realis, cùm quis successivè plures ducit uxores quas cognoscit;

Interpretativa, cùm quis bonâ vel malâ fide duas habet viventes; vel duo matrimonia, ob aliquod impedimentum, etiam defectûs consensûs invalida contraxit, consummavitque (copula enim ad bigamiam requiritur; alioquin ducens vel ducta carnem non dividerent).

Et interpretativa bigamia est, cùm quis viduam, aut puellam ab alio cognitam, etiam ignoranter ducit, aut virginem quidem, sed quam post adulterium ab eâ patratum cognoscit.

Tandem bigamia similitudinaria, cùm quis post solemne castitatis votum (a) contrahere attentat et consummat matrimonium etiam cum virgine; adest enim ibi duplex matrimonium, corporale unum, alterum spirituale.

Sed irregularis non esset qui monialem etiam professam attentaret ducere;

Nec qui cum pluribus fornicaretur;

Nec qui puellam à se solùm cognitam duceret.

Pro obtinendâ in hâc irregularitate dispensatione exprimendum in supplicâ quot quis matrimonia contraxerit.

(a) Etiam in susceptione subdiaconatûs, inquiunt probabiliùs plures contrà alios. Tutius esset saltem dispensationem petere.

§ VIII.

De irregularitate ex defectu lenitatis.

673. Hanc irregularitatem contrahunt baptizati qui voluntariè, proximè et actu consummato (non ergò qui solùm aggrediuntur) occidunt aut mutilant etiam justè (*a*).

Vel ad occisionem, mutilationemve physicè aut moraliter, positivè aut negativè (utpotè non impediendo cùm ex justitiâ impedire tenentur) proximè et directè concurrunt, saltem ut ministri justitiæ et ex officio.

Cùm autem odiosa sint restringenda, ut proximè quis concurrat, requiritur ut actus ejus ex se vel ex intentione directe tendat ad mortem vel mutilationem, licèt mediantibus aliis causis.

Hinc causa cujus effectus determinatur ad alium finem quàm ad mortem vel mutilationem, et ex quo fine non sequitur per se mors vel mutilatio, non concurrit proximè et directè.

Nota : Mutilatio est truncatio seu amputatio membri (*b*).

Membrum autem est pars corporis quæ proprium ac distinctum ab aliis partibus officium habet (*c*).

Ergò mutilatio non sunt vulneris inflictio, incisio quævis aut quævis sanguinis effusio, nec laceratio, nec debilitatio etiam totalis.

(*a*) Non ergò irregularis fit, qui infirmum vertendo, erigendo, aliò transferendo, jusculo confortando, etc., mortem ejus præter intentionem et prævisionem possibilem, accelerat. Nullus est enim ibi defectus lenitatis.

Nec qui mortem causat ex indeliberatione, aut cum semiplenâ advertentiâ.

(*b*) Vel notabilis imminutio. *Theol. Pict.*, ut quid probabile.

(*c*) Non digiti ergò probabiliùs, nec auriculæ (contrà Theol. Pict.) Irregularis tamen esset qui sibi pollicem aut digitum amputaret, etiam curationis causâ. *Bailly*.

Item, sed ex delicto, qui has partes sibi permitteret amputari extrà curationem. *Idem*.

---

674. Ergò 1° certo irregulares sunt procurator regius aut alius quilibet qui in causis criminalibus ad mortem vel mu-

tilationem concludit; judex qui damnat; lictor qui ducit ad mortem; tortor.

Imò accusator qui mortem rei sibi proponeret, vel denunciator qui crimen nec sibi nec suis nocivum denunciaret (*a*).

(*a*) Et qui ad accusandum induceret, et testes qui se ultrò offerrent aut inducerentur mortis cupidine. *P. Thomas.* Et rei captores voluntarii. *Theol. Pict.* contrà Samborium.

De aliis ad mortem concurrentibus, non conveniunt auctores utrùm in irregularitatem incurrant. De scribà dubitant Galli. In genere, inquit Theol. Pict., qui non voluntariè munus cooperationis suscipit; sed ad capiendum malefactorem aut ad testificandum cogitur lege charitatis aut justitiæ, obedientiæve, non fit irregularis, quia non præsumitur talem esse Ecclesiæ mentem; sed requiritur ut quis cooperetur tanquàm publicus justitiæ minister, vel ad causæ probationem, vel ad sententiæ prolationem aut executionem, quia de his solùm loqui probabiliùs videntur canones.

Ast apud exteros, irregulares habentur insuper qui reum comprehendunt, aut clamore suo sunt causa cur comprehendatur. Advocatus aut procurator qui mortem sollicitant vel accusatori patrocinantur; qui judici reum tradunt; testes qui deponunt, nisi protestentur se non intendere pœnam; scribæ; qui instrumenta ad supplicium conficiunt aut vendunt, si ad hoc. (Hoc ultimum forsan apud nos locum habet).

Saltem tutiùs est ut testes protestentur se nolle mortem.

Sed quid de civibus electis ad ferendam circà rei culpabilitatem suam opinionem (*les jurés*) ? Videntur proximè concurrere tanquàm publici justitiæ ministri.

Irregulares sunt qui tortori dicunt ut citiùs interficiat, nec diu vexet. Non autem qui indirectè et solùm per accidens ac præter intentionem causa essent cur reus citiùs moreretur, ut consulendo illi alià ire vià ne videat domum patris, quamvis citiùs adveniret ad locum supplicii;

Nec qui principi consulunt ut legem mortis ferat;

Nec qui absolutionem denegant judici ad mortem non damnanti, aut reo crimen non fatenti.

Imò consultus à judice dicere potest leges decernere mortis pœnam in tali casu, modò non determinatè personam ream designet.

Nec qui consulit alicui ut pro fide moriatur, aut ut in flumen projiciat se, ad eripiendum periclitantem, etsi in eo periret.

Nota quoàd clericos specialiter 1°, quòd non certò ab irregularitate eximantur confessarii qui reis ad supplicium euntibus dicunt : *Eia, pergamus*; aut tortori, se functos officio. Undè ad multas anxietates præveniendas, confessarii ordinarii reorum dispensationem petant ad dicendum faciendumve quod utile judicaverint.

2° Præter irregularitatem, peccatum grave admittunt clerici qui, etiam justè, neci alterius cooperantur. *Bailly.*

3° Vetitum clericis executionibus capitalibus assistere, sed sub levi solùm, secluso gravi scandalo.

---

675. Ergò 2° certò irregulares sunt qui propriâ manu

occidunt mutilantve in bello justo quidem, sed saltem offensivo (*a*).

Dubiè verò sunt iidem irregulares qui dubitant an tunc occiderint aut mutilaverint;

Et qui imperant, etsi non occidant (*b*).

Sed irregulares non sunt qui in bello justo aliis occidentibus ferunt opem solùm, et qui in bello defensivo occidunt, ne occidantur, nisi in aciem venerint animo præliandi.

Imò in irregularitatem non incurrit qui, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad vitam tuendam occidit auctoritate propriâ (*c*).

(*a*) Si spontè in illud venerint. *Billuart.*
Non conveniunt nùm idem dicendum, si bellum sit defensivum.

(*b*) Imò sufficere videtur quòd interfuerint pugnæ in quâ aliqui occisi sunt. Quod certum est, si bellum sit injustum. *Dens.*

(c) Modo sese non constituerit in necessitate occidendi aut moriendi, hoc prævidere potens, nec possit fugere. Imò juxtà P. Ant. à Goritiâ, in nullam irregularitatem incurrunt, etiam clerici in bello defensivo pro patriâ pugnantes; justa enim defensio est de jure naturæ. Sed multi contrà.

Circà quæ consule auctores, licèt non facilè conciliandos, imò in multis hìc disputantes. In dubiis judicabit Episcopus vel dispensabit.

Nota 1° : Qui dubitat an sive in bello, sive extrà bellum, excesserit, defendendo se, moderamen inculpatæ tutelæ, dispensationem, saltem tutiùs petere debet.

2° Clementina *de homicidio*, non eximit ab irregularitate eum qui ad alterius vitam servandam occidit, sed solùm qui ad propriam. Excipe probabiliùs, nisi jure naturæ teneatur occidere. *Collet.*

---

676. Ergò 3° è contrà, irregulares non sunt laici medicinam aut chirurgiam exercentes juxtà artis regulas, etsi mors sequatur;

Nec clerici, citrà tamen incisionem (*a*) et adustionem, quæ eis, si majoribus ordinibus initiati sint, à Lateranensi 4 vetantur.

Excipe casum necessitatis, vel si solùm consulant imperentve incisionem aut adustionem, aut chirurgum solùm adjuvent.

Excipe adhùc clericos qui ad curationem membrum amputant, modò mors non sequatur. Quamvis enim peccent tunc contrà Lateranense, tamen non mutilant; curatio enim non est mutilatio.

In dubio an ex ferro aut adustione mors sit secuta, gerere se debent sicut irregulares, nisi ad incidendum aut urendum dispensationem obtinuerint.

Ast ex delicto clerici et laici irregulares sunt, si gravi imprudentiâ, negligentiâve aut ignorantiâ agant contrà regulas artis, et mors sequatur aut mutilatio.

(a) In quâ probabiliùs includitur venæ apertio. *Sylvius. Coll.*

§ IX.

De irregularitate ex homicidio et mutilatione.

677. Hæc contrahitur per homicidium et mutilationem voluntaria aut casualia mixta [173] (*a*).

Et in eam incurrunt mandantes, effectu secuto, vel, etiam solùm implicitè consulentes, aliique qui cooperantur (*b*), quamvis solùm causa forent efficax quòd quis citiùs occideretur aut crudeliùs (*c*).

Non præcisè ratum habentes.

Sed si exequens ipse occidatur, cooperantes essent itidem irregulares ex homicidio casuali mixto.

Imò irregulares sunt qui inviti et propter crimina sua mutilati sunt, et qui culpâ suâ eunuchi fiunt (*d*).

Tandem irregulares sunt qui contrà medici vetitum, tradunt, licèt ex bono fine, vel tradere consulunt ea ex quibus mors sequitur aut acceleratur (*e*).

Nota : Raro admodùm, maximè cum promovendis, dispensat Papa in irregularitate ex homicidio quod dicitur voluntarium, præsertim si de industriâ vel per insidias patratum sit.

(*a*) In dubio an vulnus fuerit lethale, tale præsumitur, si vulneratus moriatur intra 40 dies. *P. Ant. a Goritid.*

Sunt qui censeant homicidium proveniens ex actione illicitâ, quamvis nullatenùs pro morte periculosâ, irregularitatem inducere, tutiùsque tunc petendam esse dispensationem existimat Theol. Pict. Sed ex principiis meritò clarum videtur aliis, Billuart, Bouvier, etc., nullum esse in hoc casu homicidium; ac proindè nullam irregularitatem.

Sed si res sit non parùm periculosa, et ut talis prohibita, ut venatio clericis, maior est difficultas. Censent graves contrà graves quòd si mors sequa-

tur, etsi prævideri non potuerit, et sufficiens ad eam vitandam adhibita fuerit diligentia, contrahi tunc irregularitatem.

Esto quòd in foro externo irregularis quis tunc habeatur, quia in hoc foro facillè præsumitur culpa. Ast si omne sublatum fuerit periculum, non videtur, stando principiis, contrahi coràm Deo irregularitatem; nàm nullum fuit peccatum in ratione homicidii. Attamen cùm opinioni affirmanti faveant capita 13 et 25 de homicidio, et sit apparens reatus, petenda foret dispensatio.

(b) Ergò irregulares fiunt in bello injusto omnes et singuli milites, etsi unus solùm quempiam occidat ex hostibus, quia sunt cædis una causa moralis;

Et qui tunc arma, pecunias, etc., ex intentione hujus belli præbent vel milites conducunt, imò, juxtà aliquos, qui sarcinas custodiunt.

Extrà bellum verò irregulares sunt ex delicto qui judicio ad mortem injusto cooperantur; qui homicidio assistunt armati, si opem occisori ferre parati sint, et qui mutuò ad cædem se concitant, quamvis unus solum occidat.

(c) Medicus ægrotum non invisens, si pretio non sit conductus ab ægroto, vel ab incolis pagi, aut eâ lege non sit admissus ut omnium curam habeat, non fit irregularis; quia peccat solùm contrà charitatem. Ità meritò *PP. Jos. Ant. et Ant. à Goritiâ.*

(d) Et qui digitum, saltem ex majoribus, alteri vel partem ejus sibi sine causâ abscindunt. *Varii.*

(e) Et juxtà plures, qui tradere non impediunt, cùm ex officio justitiæ teneantur impedire, ità ut ad restitutionem obligarentur. Talis princeps qui non defendit innocentem; judex qui non obstat iniquæ mortis sententiæ.

Secùs qui paratum ad ferendum auxilium morituro, aut occidendo, dissuaderet, quia peccaret solùm contrà charitatem. Secùs adhuc qui percussionem suaderet, ut ab inferendâ morte retraheret; nisi tamen ipsam mutilationem suadeat, ad illudque malum minùs cooperetur. *Varii.*

§ X.

De irregularitate ex iteratione baptismi.

678. In hanc incurrunt rebaptizans, isque qui ei ministrat, et rebaptizatus, sat ex rebaptizatione culpabiles ut mortaliter peccent (*a*).

Non ergò qui rebaptizat quia ex oblivione non interrogavit an jam non baptizatus fuerit qui offertur, nec qui sub conditione etiam solùm mente conceptâ (*b*), nec qui baptismi cæremonias solas iterat.

(*a*) Ut rebaptizans et qui ei ministrat sint irregulares, requiritur ut crimen eorum sit notorium; et sunt irregulares solùm ad superiores ordines suscipiendos. *Billuart.* Hoc posterius non vidi apud alios theologos. Prius principiis adversari videtur; crimen quidem non infamat, nisi notorium sit; sed si non nisi ex crimine notorio oriretur irregularitas, cur in occul-

tis dispensare possent Episcopi. Bailly eadem dicit, sed solùm de ministro qui assistit rebaptizanti. Videant qui hunc rariorem casum haberent decidendum.

(*b*) Quid autem, si quis rebaptizet sub conditione, cùm temerè veretur ne invalidè baptismus fuerit collatus, seu cùm nulla occurrit ratio prudens dubitandi de baptismi validitate, sed ob solum apprehensum ejus vitium, nullâque præmissâ veritatis indagatione? Irregularem eum dicunt catechismus romanus, D. Carolus in suis instructionibus, Benedictus XIV post sacræ congregationis sententiam (de Synodo diœcesanâ libro 7, cap. 6, n° 3), Theologus Pictaviensis, Dens, etc. Sed probabilior videtur opposita sententia quæ est plurium, Collet, Bailly, etc. Conditio enim etiam solùm mente intellecta, impedit rebaptizationem. Imò juxtà aliquos semper subintelligitur conditio, quandò non habetur intentio reverà rebaptizandi, seu iterandi baptismum.

Attamen irregularis foret, inquit Collet, qui sine maturo examine se rebaptizari curaret. Non video cur potiùs quàm sic rebaptizans.

§ XI.

De irregularitate ex malè susceptis aut exercitis ordinibus.

679. Ob malam ordinum susceptionem irregulares sunt:

1° Qui furtivè aut per saltum;

2° Qui scienter, ab Episcopo nominatim excommunicato, suspenso, interdicto, vel degradato (*a*);

3° Qui duos majores, vel minores et subdiaconatum, eodem die contrà Episcopi prohibitionem (*b*);

4° Qui durante matrimonio etiam nondùm consummato (*c*), majores ordines recipiunt.

Omnes hi ab ordine suscepto suspenduntur in jure, nec possunt sine dispensatione ad alium promoveri.

(*a*) Hoc ultimum incertum, aiunt aliqui.

(*b*) Etiamsi, inquit Gibert, prohibitio non fuerit facta sub pœnâ excommunicationis.

(*c*) Juxtà multos hoc non viget ubique; videndique locorum usus.

Quintum casum addit P. Thomas, cùm quis nempè in excommunicatione ordinem sacrum suscipit. Ex cap. *cùm illorum*, de sententia excommunicationis.

---

680. In irregularitatem verò, ob malum ordinum usum incurrunt:

1° Qui seriò, scienter seu temerè et quasi ex officio ordinem sacrum exercent quem non susceperunt.

Ex officio autem, seu solemniter exercet qui actum ordinis

facit taliter qualiter ordinem hunc habens; seu ordinem exercet qui non potest taliter exerceri ab alio quàm ab eo qui eum habet (*a*).

2° Qui ligati excommunicatione majori, suspensione totali, vel solùm àb ordine, aut interdicto personali vel locali (*b*), ordinis majoris (*c*) actum solemniter exercent, nisi necessitate compulsi, v. gr., ad vitandum scandalum.

Secùs qui violant solùm cessationem à divinis, aut faciunt actum jurisdictionis qui actum ordinis non includat, etiamsi à jurisdictione essent suspensi, vel qui in ecclesiâ pollutâ celebrant (*d*).

(*a*) Hinc irregularis non fit qui ex inadvertentiâ aut ignorantiâ etiam crassâ vel in casu necessitatis ad vitandum, v. gr., scandalum, exercet ordinem quem non habet; nec laicus qui ex inadvertentiâ; sumit manipulum. Quia in libro decretalium tit. 18, cap. 1, hæc irregularitas fertur *propter temeritatem*.

Nec minoribus initiatus, imò nec laicus qui in missâ epistolam sine manipulo, vel evangelium sine stolâ canit; non enim subdiaconi aut diaconi, sed cantoris officium exercet. *Multi* meritò.

Secùs subdiaconus qui etiam sine superpelliceo baptizaret solemniter, aut non sacerdos extremam-unctionem, v. gr., sine stolâ ministraret. Hæc enim sunt proprium sacerdotii munus.

Imò diaconus qui solemniter baptizaret aut Eucharistiam dispensaret extrà casum necessitatis aut sine dispensatione Episcopi (vel parochi, qui tamen peccaret eam sine necessitate concedendo, ob nempè usum Ecclesiæ præsentem), irregularis fieret.

Sed si dispensetur, omittat quæ sunt propria ordinis sacerdotalis, ut benedictiones.

Hinc iterùm nec diaconus, imò nec laicus irregularis fit, quamvis peccet, concionem sine permissione habendo ad populum, quia concio non est functio ordinis sacri.

Secùs si confessionem exciperet, etiam non dando absolutionem, quia hoc ad divinum et clavium officium pertinet.

Nota : Præsens irregularitas relativè ad ordines jam susceptos, videtur pluribus non esse nisi suspensionem ad biennium, imò forsan ad tempus pro beneplacito Episcopi.

(*b*) Etsi, juxtà plures contra plures, suspensio aut interdictum non forent censuræ propriè dictæ, sed puræ pœnæ. Et id tutius.

(*c*) Imò minoris, si in excommunicatione exerceatur *Fagnanus, Navarrus, P. Gab. Ant., P. Thomas;* qui citant caput *si quis presbyter*.

Saltem supponendum quòd ordo minor vi ordinis exerceatur.

(*d*) Nec probabiliùs in irregularitatem-incurrit diaconus suscipiendo presbyteratum in censurâ, quia etsi celebret cum Episcopo, non verè exercet ordinem presbyteratûs.

§ XII.

De irregularitate ex delicto hæresis.

681. In hanc incurrunt apostatæ, hæretici eorumque fautores, receptores, extenditurque ad hæreticorum filios usquè ad secundam generationem (a).

(a) Generaliter hæretici eorumque filii non sunt irregulares in Galliâ et Germaniâ. (Si ibi nati sint. *P. Ant, à Goritiâ.*)

PRAXIS SEU MODUS

APPLICANDI IN TRIBUNALI PŒNITENTIÆ ENUNCIATA IN PRÆSENTI TITULO PRINCIPIA.

PRÆMITTENDA.

De obligationibus confessariorum.

682. Sacerdos quilibet, sub mortali ex charitate tenetur confessiones audire in extremâ proximi necessitate spirituali;

Et in gravi, si sine magno et proportionato incommodo possit, aliusque desit confessarius;

Et in communi, quandò facilè potest, et magna exigit proximi utilitas.

CAPUT I.

DE PRÆREQUISITIS IN CONFESSARIO AD CONFESSIONES AUDIENDAS.

Præter jurisdictionem et statum gratiæ, aut prærequiruntur, aut optanda multùm :

683. Pietas singularis, integerrimi mores, horror peccati, zelus salutis animarum.

684. Recta intentio, quâ neque sexum, neque indolis præcisè amœnitatem, corporisve dotes, neque divitias, etc.,

sed animam unicè attendat, habitâ tamen ratione convenientiarum, statûs, etc., omnem nihilominùs timorem humanum abjiciendo.

---

685. Scientia competens quâ

Ut judex ministerque sacramenti cognoscat :

1° Quæ ad sacramenti pœnitentiæ substantiam, valorem, integritatem, effectum, licitam ejus tùm administrationem, tùm receptionem pertinent.

2° Varia contrà Dei et Ecclesiæ præcepta, statuumque diversorum obligationes peccata; peccatorum species, multiplicationem numericam, circumstantias speciem mutantes, malitiamve notabiliter augentes, principia quibus mortalia et venialia discernuntur, reservationesque casuum.

Quin tamen necesse sit (sæpè enim impossibile) determinatum ferre judicium de quantitate vel qualitate cujuslibet in individuo peccati declarati.

Ut doctor, sciat censurarum, irregularitatum, matrimonii impedimentorum, votorum, contractuum, canonumque materias, ità ut casus communes resolvere, de aliis dubitare possit.

Ut medicus, cognoscat peccatorum ac tentationum remedia. Et, cur non adderem?

Ut rector in viâ salutis, media ad perfectionem ducendi quos Deus ad eam advocat.

Hæc omnia tamen moraliter accipe, eo intelligendâ modo qui sit locis, in quibus confessiones audiuntur, proportionatus.

Defectus scientiæ competentis in confessario mortalis est ex genere suo, etsi ex charitate solùm confessiones audiat; nec excusaret eum obedientia. Missio enim Episcopi scientiam non supplet (*a*).

Attamen excusatur confessarius, si Episcopus noscens ejus capacitatem parvam, eam sufficientem judicet.

Et excusantur communiter sacerdotes scientiâ competenti destituti, si ad confessiones audiendas sint minimè destinati, ut solitarii, cantores, licèt, aliis sacerdotibus deficientibus, teneri possint absolvere in articulo mortis (*b*).

Nota. Experientia non tenet locum scientiæ, sed solùm eam juvat. Imò sæpè non facit nisi recoctos senes principiorum oblitos. Totâ ergò vitâ, in quantùm munia sinunt, casuum et principiorum studio vacandum.

(a) Nequidem in sacerdotum penuriâ. *Collet.* Quod tamen sine grano salis non acciperem.

(b) Et hæc, quæ sunt Collet, itidem cum grano salis accipe. Nonnè enim fieri potest, præsertim in confessariorum penuriâ, ut quis talentum quod ad audiendas confessiones accepit, impendere et media ad hoc necessaria assumere teneatur.

---

686. Prudentia, ut omnes servet regulas inferiùs tradendas, seque non maculet, alios abluendo.

Sequentia autem summatim circà prudentiam habe : relinque, generaliter loquendo, pœnitentibus omnimodam apud alios confitendi libertatem, et cave multùm ne functionis adeò sacræ, non dicam tenax, sed vel anxius suspiceris.

Nullam habeas cum pœnitentibus, sexûs præsertìm fœminei, familiarem consuetudinem.

Personas sine causâ non accipe, animæ enim omnes æquè pretiosæ.

---

687. Magna bonitas : pater est enim confessarius, et minister Dei omnis bonitatis. Timidis ergò robur, debilibus juvamen, tristibus consolationem, pusillanimis animum tribuat intelligens quæ sunt proximi de se ipso.

Expedit tamen aliquandò humiliare superbos, et induratos fortiter insequi.

---

688. Patientia singularis, ne malè confitentes increpet, ullum durè alloquatur, nec ostendat ullo modo se longâ confessione gravatum, aut citò finiendi cupidum.

---

689. Castitas eximia probataque, quam, mediante prece, servabit solùm timor vehemens eam amittendi.

Ne ergò se à pœnitentibus fœminei sexûs, etiam sub directionis prætextu, visitari permittat; ne litteras sine non parvâ necessitate mittat aut ab eis recipiat; ne munuscula; dimittatque ad alium quas sibi non casto, imò naturali fortiori

affectu (quod frequens) adhærere noscit, nisi hunc vincant, omnem sensibilitatem reprimendo. Amor enim sensibilis degenerat in mundanum; mundanus in carnalem. Imò dubium sæpè an non jam carnalis sit.

Demùm (si hìc posset demùm esse) dulciùs eas non alloquatur, nec in facie aspiciat; nec, quantùm fieri potest, propiùs ad eas in tribunali caput admoveat, cautusque sit mentem elevare ad Deum, si tentationes graves experiatur undelibet. Vide epistolam 65 B. Hieronymi ad Nepotianum, circà medium.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARIORUM IN IPSO CONFESSIONIS ACTU.

MONITA GENERALIA.

690. 1° Confessarius quivis lubentem monstret se pœnitentibus, nec, exceptis excipiendis, ullos recuset ob particularem eorum confessiones audiendi difficultatem; solùm præcogitet quomodò cum eis tractabit, imò jàm antè confessionem tractet, si opportunum judicet.

2° Superpelliceo indutus, et stolâ violaceâ, ubi præscribitur, incessu gravi, biretrum manibus antè pectus gerens, fusisque ad Deum precibus, demissis ad terram oculis, ad confessionale accedat.

Nota : Si quæ ex expectantibus indecenter vestita appareat, voce submissâ dimittatur, non scrupulosiùs tamen hìc agendo; nam hæc dimissio non carebit semper suspicione in dimissâ, et aliis præsentibus, quòd confessarius omnia videat.

3° Si non dicat pœnitens, quo tempore ultimâ vice confessus sit, et nùm absolutus, nùm pœnitentiam impositam impleverit, de his statìm inquirendum.

Si ab ipsomet confessario absolutio dilata sit, inquirat nihilominùs ob quam causam, etsi recordetur, et nùm præscripta pœnitens executus sit. Si respondeat nescire se aut

non recordari cur dilata sit absolutio sibi, vel causam dicat non veram, jam de malâ ejus dispositione suspicetur confessarius, nisi pœnitens rudis sit ingenii. Saltem indicium est quòd monitis non obedierit et forsan obedire parùm curaverit. In omni casu apertè dicet confessarius, sed quasi dubitando, causam unam aut alteram magìs probabilem dilationis (non utendo verbo *refuser*) aut inquiret eam, ulteriùs, proùt meliùs, judicabit.

Si ab alio confessario absolutio dilata sit, ordinariè ad eum mittendus pœnitens, nisi, causâ petitâ, rationabilem afferat ad eum non redeundi (qualis, juxtà plures, vel major confidentia). Causa enim judicialis apud unum jam incœpta non potest licitè ad alium sine causâ transferri.

Generaliter multùm diffidendum de pœnitentibus, qui, non acceptâ ab uno confessario absolutione, alium adeunt.

Et de iis qui à brevissimo tempore confessi et absoluti ab alio confessario. Signum enim est sæpè aliquid circà ultimam confessionem, et forsan præteritas omnes eos remordere.

Si verò pœnitens dicat se pœnitentiam non implevisse, petendum cur; et si ex acediâ aut à fortiori malâ voluntate, inquirendum nùm, dùm imponebatur, non jàm habebatur intentio illam non implendi (raró) vel saltem an non deerat eam adimplendi propositum firmum.

Nota : Non raró ad pœnitentiam implendam dimittendus statìm qui illam saltem ex integro aut magnâ ex parte, voluntariè omisit. Attamen sæpè inquirendum jam de peccatis præcipuis ad danda monita necessaria ut ea evitet.

4° Attentè, totâ durante confessione, auris præbenda. Graviter enim peccaret confessarius, si, ob somnum, distractionem notabiliter culpabilia, omnia non audiret; nisi enim certus foret de constanti pœnitentis innocentiâ, repetitionem ab eo declaratorum exigere teneretur cum gravi sæpè ejus molestiâ (*a*).

5° Ordinariè sinat pœnitentem declarare omnia quæ, et modo quo, præparavit in examine, adjuvando tamen, et paucis, sed affectuosis verbis, excitando eos qui apparent timidi, præsertìm cùm evomunt dictu difficilia.

Abrumpenda tamen confessio eorum qui redire nequibunt, si declarent peccata ob quæ differenda absolutio sit. Edocendi tamen quomodò hæc apud alium confessarium (aliquandò indicandum) declarabunt. Et addi potest : si vis alia declarare, potes, sed solùm ad accipiendum consilium, cùm apud me finire confessionem non possis, sintque denuò apud alium declaranda. Imò si vis, interrogabo te ut scias quæ, et quomodò confitearis.

Si quid confessarius benè non intellexerit, statìm inquirendum; et sic de aliis quæ verba pauca exposcunt. Meliùs tamen de non intellectis recordetur, posteà explicandis, quia explicationes aliquandò longiores sunt quàm putabatur, et vel brevissimæ, memoriam pœnitentis aliquandò ferè totaliter disturbant.

Et hìc nota : cùm confitetur pœnitens peccatum injustitiæ restitutionem aut aliam satisfactionem exigens, nec statìm dicere posset confessarius ; restitues, etc., memoriæ suæ non fidat, sed dicat : *hæc mihi, si oblitus fuero, in memoriam revocabis, ut te tranquillum reddam. Perge.*

Si, ut sæpè, adeò gravatam et intricatam conscientiam habeat pœnitens, ut nesciat ferè quid dicere debeat, aut ità timidus sit, ut nihil ferè audeat dicere, statìm interroget eum confessarius et accusare faciat, addendo : nùm omnia diximus ? etc.

Nota iterùm : ut non obliviscatur confessarius ea ; de quibus quoàd numerum, v. gr., speciem, circumstantias, etc., pœnitens non sufficienter se accusat, notet in mente, et per digitorum si velit, et nemo videat, inflectionem, quot sint, et contrà quæ præcepta.

Et si his adhibitis, non recordetur tamen de necessariò inquirendis, vel sub gravi præcipiendis (restitutione, v. gr.,) suaviter ea sciscitetur à pœnitente, et si rememorari nequeat, iterabit confessionem, quia de occultis judicari nequit (*b*).

6° Sollicitus sit præsertìm confessarius cognoscere ingenium et corporis temperamentum pœnitentis, dominatricemque animi cupiditatem. Hæc facilè cognoscitur in confessione longi temporis ; sed ingenium sæpè difficile. Attamen

cùm secundùm illud ducat gratia, et secundùm illud confessarius pœnitentem debet dirigere, igitur : temperamenti ac ingenii species ad quatuor revocari possunt, ad melancholicum nempè, seu triste (*mélancolique*); pituitosum, seu moderatum (*flegmatique*); biliosum, seu præceps in iram (*bilieux*), et illud in quo sanguis cæteris præpollet humoribus (*sanguin*).

Melancholicum ex taciturnitate præcipuè dignoscitur. Qui ex hoc corporis temperamento ingenium (*caractère*) habent, sicut difficilè moventur, sic susceptis semel affectibus, judiciis temerariis, etc., odiis, iræ aliquandò usquè ad furorem pertinaciter adhærent; imò nonnunquàm ad venerem furibundi. Amicitiæ incapaces sunt, suî amatores, avidi, ingrati.

Cum talibus mansuetè semper agendum; in ipsorum animum insinuandum se; hortandique fortiter ut nunquàm cogitationibus tristibus occupentur.

Ingenium ex temperamento pituitoso, segnem reddit et incertum, debilem ad proponendum et tardum ad exequendum. Obstacula vel minima ab incœptis deterrent.

Tales ergò excitandi sine amaritudine, rarò motiva terribilia proponendo, nec permittendum quòd negotiis difficilioribus se ingerant, nec multa eis præscribenda; et cùm sint parùm ad cupiditates proclives, si cadant, firmè sunt admonendi reducendique ab opinione quam de se habent plùs æquâ.

Biliosum temperamentum fœcundum reddit hominem et vehementem in desideriis, superbum, pertinacem et ambitiosum.

Reformandus ergò talis pœnitens primùm quoàd exteriora, modum nempè agendi arrogantem. Præscribendum præsertìm ut nunquàm agat vel loquatur in commotione, mediteturque humilitatem, mansuetudinem et passionem Christi. Fræno magìs hìc opus quàm aculeo; et cùm tales in bono sicut et in malo multùm et aliquandò fortiùs proficere queant, nulli majore curâ digni.

Quæ tandem ex abundantiâ sanguinis formata est indoles,

facilè ex amore voluptatum, malique fugâ cujuslibet dignoscitur. Qui hâc donantur, hilares sunt, jocosi, gloriosi, leves, oblectationum, societatum, epularum et amationis amatores; recessum consequenter, mortificationem et pœnitentiam fugientes.

Cùm virtutis blanditiis sicut et voluptatum illecebris sint motu faciles, iis magna ostendenda benevolentia, à malo omnibus remediis avertendi et inducendi ad virtutem, ipsis ejus pulchritudinem ostendendo.

7° Si quos inveniat confessarius mente ergà se præoccupatos, majori eos tractet cum bonitate, et si dicant se contrà sacerdotem malè fuisse dispositos, malè de eo cogitasse, locutos, addat : etsi contrà me nihil refert. Libenter ignosco, etc., malè fuisti edoctus.

Si contrà alios : malos (et sic semper) eorum audiat prætextus, et cum mansuetudine refutet. Raró durè increpet qui monitiones respuunt.

Tandem si, quod rarum, perditam audiat laqueum ipsi injicere conantem, paucis terribilibus dictis, statim dimittat.

(a) Confessio tamen semi-dormienti, surdastro, distracto, vel idioma non sat pollenti bonâ fide facta, non tota necessariò repetenda, sed solùm quoàd ea quæ pœnitens credit audita non fuisse aut non intellecta. Sed si nesciat quæ aut dubitet, confessio iteranda est. *Varii.*

(b) Si tamen fieri hoc sine notabili pœnitentis molestiâ nequeat, v. gr., si propter unum aut alterum peccatum quoàd numerum aut circumstantias non sat explicatum, tota foret multorum gravium et dictu difficilium à verecundâ repetenda confessio bonâ fide facta; sunt qui dicant repetitionem omnium tunc per accidens non obligare, quia integritas materialis cum tanto detrimento præcepta non est. Fateor quòd in multis casibus nollem esse in hoc scrupulosior. Excipe, nisi ob non sat explicata, differenda absolutio sit, aut injungenda restitutio gravis.

SECTIO I.

De interrogationibus pœnitenti faciendis.

691. Fatentur omnes ordinariè dimittendos qui ex neglecto moraliter possibili examine, nihil aut quasi nihil confitentur, monendosque ut accusent se de hâc negligentiâ.

Si verò hoc eveniat ex magnâ verecundiâ, timiditate aut ruditate- benignè adjuvandi sunt.

Et fatentur interrogandos pœnitentes circà dispositiones ad sacramentum necessarias, si jure suspicetur confessarius eas deficere, qualiter sæpè in iis qui rarò peccata deponunt; in distractis, ut plurimi juvenes; in ignaris, inter quos sæpè qui negotia temporalia callent, civiliterque bene educati sunt; in timidis (*a*); in rudibus qui quamvis robusti juvenes, nihil contrà castitatem confitentur; in ignotis qui parochum proprium fugiunt; tandem in iis de quibus suspicio est quòd falsam sibi conscientiam formaverint (*b*). Si enim tales non interrogarentur, sacramentum nullitati exponeretur. Imò hoc primum est peccatum de quo expressè se accusare debent.

Tandem fatentur omnes non interrogandos qui instructi apparent sat, saltem si vitam degant regularem, nisi advertatur eos aliquid omittere necessarium.

Sed nùm necessariò interrogandi, qui necessaria ad salutem et sacramentum recipiendum edocti, locum tamen relinquunt suspicandi quòd sine suâ gravi culpâ confessionem integram non faciant, sive quoàd speciem, sive quoàd numerum, sive quoàd circumstantias peccatorum, quales rudes, infirmi, senes, aliique quibus memoria deest, vel sine gravi incommodo examinare se nequeunt, ut scrupulosi, et qui violentas tentationes in examine experiuntur?

Cum sanioris moralis asseclis et *factitantibus*, arbitror tales esse interrogandos, quia qui eos non interrogant sæpè falsò credunt debitas allatas fuisse dispositiones ad sacramentum. Sæpè enim defuerunt, sive ob ignorantiam aut negligentiam vincibilem, sive ob falsam et malè efformatam conscientiam (*c*). Nàm hi defectus sæpissimè ex responsis ad interrogationes solùm patefiunt. Ergò confessarius qui non interrogat, judicat sæpè incognitâ causâ, cùm tamen debeat efficere tàm ex parte suâ quàm ex parte pœnitentis ut judicium suum validum sit et rectum.

Aliundè, nùm, ut minister sacramenti, curare non debet ut, quantùm moraliter fieri potest, confessio sit etiam materialiter integra? Hoc saltem convenientissimum.

Tandem medicus est et pater. Ut medicus debet morbos inquirere ignorantis ægroti, et eos sanare; et ut pater juvare

alios in re tanti momenti ac est peccatorum confessio (*d*).

Hinc conclude à confessario, etiam ordinario identidem, v. gr., in paschate, jubilæo, precibus 40 horarum, missionibus, etc., interrogandos esse pœnitentes circà puncta præsertim in quibus solent homines falsam sibi conscientiam formare, etsi sufficienter instructi, vitam regularem ducant, et quoties non interrogabuntur inaniter! Imò quoties malè respondebunt, si solùm quasi per transennam interrogentur.

Aque hæc omnia fundantur in his D. Thomæ *in 4, dist. 19, sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi medicus vulnus, et judex causam; quia frequenter quæ confitens taceret, interrogatus revelat.* Eademque est doctrina Gersonis, D. Caroli, etc., et Benedicti XIV in epistolâ encyclicâ 26 junii 1749. Confessarii ergò qui nunquàm aut ferè nunquàm interrogant, imò in hoc notabiliter desides, mortaliter rei videntur.

(*a*) Ut timidi habendi sunt ii omnes de quibus locus est suspicandi quòd in enormia lapsi sint, putà in adulterium (mulieres præcipuè) in sodomiam, in bestialitatem, in infanticidium, in furtum, præsertìm domesticum, in fraudes homine honesto indignas, in perjurium, in sacrilegium, et, pro mulieribus, in ebrietatem. Sæpe mollitiem impudici confitentur, reticentes bestialitatem. Imò de gravioribus aliquandò accusant se, qui de minoribus tacent, cùm nempè certis vestiuntur circumstantiis quæ fœdæ nimis apparent aut abjectæ et ridiculosæ, aut saltem has tacent non raró, ex errore conscientiæ eas necessariò declarandas arbitrantes, quamvis non mortales.

(*b*) Falsam autem conscientiam effingunt sibi præcipuè in negligentiâ ediscendi ad salutem necessaria, in modo precandi, in neglectu officiorum sui statûs, in peccatis luxuriæ et præcipuè contrà matrimonii sanctitatem, in peccatis injustitiæ, et generatìm in peccatis affectûs mali dominantis (*passion dominante*), quia sanctum est quod volumus. Sed sæpè ille malus affectus non est mortalis. Vide ubi de peccatis capitalibus.

(*c*) Experientià constat abundare cujusvis generis peccata, et præsertìm luxuriæ solitariæ, vel inter conjuges, ubi confessarii non interrogant. Et tamen miseræ illæ parochiæ regulares apparent, quia in eis sacramenta frequentantur.

(*d*) Conqueruntur sæpè pœnitentes quòd non fuerint interrogati; aiunt se nunquàm facturos fuisse quæ fecerunt, si moniti fuissent. Alii post confessiones generales, aiunt sibi videri se malè aut nullatenùs confessos, easque iterare volunt prementes, etsi nihil reticuerint. Nullos inveni qui de contrario conquererentur.

---

692. Non interrogandus pœnitens circà inusitata et inutilia.

sed circà ea quæ ab ejusdem conditionis et ætatis personis non rarò fiunt, nisi ex ejus confessione aliter videatur (*a*).

Nota : Qui primâ vice audiuntur, generaliter loquendo interrogandi sunt nùm quid circà præteritas confessiones eos remordeat.

Et quoàd modum : confessarius neque leviter, neque ut tortor interroget, sed sine scrupulo, cum morali diligentiâ et mansuetudine, dicendo aliquandò : *Nùm tibi molestus sum?* Nollem tanta *inquirere, sed*, etc.

Cum sanctâ industriâ, quæ tamen non advertatur; clarè, simpliciter et ingerendo pœnitenti desiderium ut interrogetur.

Cum discretione, nullam faciendo interrogationem quæ locum det responsioni non sinceræ aut præcipiti.

Si circà numerum, aut rem fassu non facilem, fiat interrogatio, numerus supponendus est, et sæpè major quàm præsumitur, resque itidem supponenda in majori malitiæ gradu, modò gradus hic sit à pœnitente cognitus; nàm in hoc maximè discretione utendum, ut non edoceatur pœnitens peccata, præcipuè contrà sextum præceptum, quæ feliciter ignorat.

Nota 1° : Si pœnitens vel circà peccatum ipsum, vel circà numerum et circumstantias præcipitanter respondeat : *ità, non, toties;* monendus suaviter ut parùm recogitet antequàm respondeat et si videatur non benè respondisse, dicendum, sed non statìm : *Non sat attentè respondisti, numquid non ob parùm pudoris aut timoris....? Ne remorsus circà confessionem præsentem posteà habeas, accusas te de hoc timore, nonne?* etc.

Cæterùm ad cognoscendum peccatorum frequentium numerum, inquirendum potiùs quoties in die, in hebdomadâ, in mense circiter exæquatis omnibus (*l'un dans l'autre*) quàm quoties in anno, et à fortiori quoties circiter in toto. Tunc enim dimidium numeri sæpè non inveniretur.

2° Cùm circà sextum præceptum interrogatur, expedit, saltem aliquandò, et ob bonum pœnitentis et ob bonum confessarii alias interrogationes intromittere, de hoc tamen admo-

monendo pœnitentem, ne putet finita esse in hoc puncto quærenda et declaranda.

3° Non inquirenda nomina, et sine causâ, domicilia pœnitentium, nec à fortiori complicum; quin monendi, qui eos nominarent, hoc esse vetitum (*b*).

4° Pœnitens respondere debet per modum accusationis. Quod ut certius obtineatur, non vanè addit confessarius: accusas ergò te de his omnibus, etc.

(*a*) Cùm confessarius aliundè quàm ex tertii confessione novit peccatum pœnitentis, non absolvat eum, si illud neget, modò viderit, vel certò aliter sciat quòd illud nondùm confessus sit. Secùs, debet pœnitenti potiùsquàm alteri credere. *Billuart.* Aliud rei esset, si à pluribus fide dignis rem certò sciret.

(*b*) Contrà confessarios inquirentes nomina complicùm, tres constitutiones edidit Benedictus XIV.

SECTIO II.

De admonitionibus dandis pœnitentibus.

693. Hic unum quæritur, an nimirùm monendus sit pœnitens qui est in errore malo.

Vel error ille vincibilis, saltem dubiè habetur, vel invincibilis judicatur.

Si priùs, monendus pœnitens, quisquis speretur exitus (*a*), quia confessarius doctor est et ductor in viâ salutis, et quia pœnitens, si res gravis sit, non est ad sacramentum dispositus, quæ ultima ratio non valet tamen, nisi cùm absolvendus est pœnitens (*b*).

Et monendus is cui error suus perniciosus est, ut si grave reputet quod certò leve sit (*c*).

(*a*) Nondùm monendus est pœnitens ignorans vincibiliter, si majora ex actuali quàm ex dilatâ monitione, mala timeantur, sed expectanda melior opportunitas. Ast intereà non absolvendus.

Sed si non speretur melior opportunitas, instructio dari debet ut utilis pro futuro, si pœnitens posteà factus maturior, ex eâ emendandus speretur saltem aliqualiter; sed nec expectandum, si prævideatur in ignorantiâ suâ mortaliter malâ moriturus. *Dens.*

(*b*) Monendus errans vincibiliter ut se accuset et conteratur tùm de peccato quod commisit, tùm de suâ negligentiâ in ediscendo quod ex præcepto scire debebat ratione sui [201]. Non enim sufficit quòd confessarius hoc theologicè cognoscat. *Idem*, et Benedictus XIV.

(c) Qui casus frequens est, præsertim in parochiis in quibus non [illegible] instructi sunt fideles, et à fortiori in iis in quibus prædicatores et catechistæ vehementer contrà quædam venialia insurgunt, aut generaliter, sine distinctione ad inferos detrudunt superbos, avaros, etc., quorum tamen peccata non sunt mortalia nisi ex genere suo, et sæpiùs, imò sæpissimè solùm venialia.

Et casus frequens est in rudibus, pro peccatis venialibus, sed quæ sunt dedecori, ut furtum, aut quæ modestiam lædunt, ut plura nuptorum. Avertendi sanè pœnitentes, et multùm avertendi à venialibus, sed et multùm cavendum ne levia gravia reputent.

694. Si error sit invincibilis, extrà casum prudentis dilationis (a), monendus et instruendus est pœnitens, quisquis debeat esse exitus monitionis,

1° Si error versetur circà scitu necessaria ad salutem.

2° Si ex errore sive juris sive facti sequi debeat aliquod malum vel scandalum publicum, nisi ex monitione majus prævideatur (b).

3° Cùm error vergit in detrimentum proximi, saltem si gravius incommodum non timeatur (c) [578, a].

In his casibus pensanda mala utrinque, notando quòd si non statim fructus speretur, possit sperari posteà (d).

4° Monendus pœnitens, etsi ex ejus errore malum solùm materiale sequatur, si citrà scandalum aut grave pœnitentis detrimentum, monitio prævideatur profutura (e).

Extrà hos casus non sunt monendi invincibiliter ignorantes, si nulla aut non nisi exigua sit spes emendationis, aut si sit equidem, sed jure timeantur graviora incommoda: « si scirem » non tibi prodesse, non te monerem, non te terrerem.... In » quibusdam homo fallitur magno malo, in aliis parvo, in » aliis nullo, in aliis utiliter. » D. Aug. Homilia 4, etc.

Nota : Si pœnitens, qui judicatur in bonâ fide relinquendus, interroget, non est ei respondendum nisi præcisè ad quæsita.

(a) Non facilè credendum errorem esse invincibilem in consequentiis proximis juris naturalis [164]. Monendi ergò qui in iis errant, v. g. in iis quæ sunt contrà sextum præceptum, ut pollutio, impeditio conceptionis in actu conjugali, mutui aut ab uno tactus cum pollutione aut ejus periculo in conjugibus. Aliundè si hæc aut similia nunc invincibiliter ignorari supponi possent, quamdiù durabit error invincibilis ? Intereà consuetudines malæ orientur quæ vix eradicari poterunt.

Imò non desunt qui doceant generaliter monendos qui errant in rebus juris naturalis. Sed hoc principium potest pati tot exceptiones, ut admittendum non videatur. Manuale genevense generatim dicit ab errore invincibili aut aliàs non culpabili non esse educendum pœnitentem, si judicetur futurum ut non cesset, quod est præsertim observandum in casu matrimonii invalidi, ut fatentur omnes.

Nec objiciant pœnitentem ad absolutionem non esse dispositum, eo ipso quòd supponatur monitioni non obtemperaturus. Nam sufficit detestare peccatum in genere, ut ait Billuart, alioqui nulli forent verè pœnitentes.

(*b*) Hinc concludunt aliqui educendum ab errore etiam supposito invincibili, usurarium si cæteri exemplo illius ad usuras similes ducantur. Scandalum est multorum.

(*c*) Plures volunt sine exceptione educendum è bonâ fide, si hæc sit in damnum tertii, quia videtur æquitatis et charitatis ut magis præcaveam damnum innocentis quàm damnum illius qui supponitur propriâ voluntate illud incurrere. Ita constitutiones Lausannenses, Collet, Billuart, Bailly, P. Ant. à Goritiâ, etc.

Esto, si spes sit saltem aliqua quod damnum tertii vitabitur, v. gr., quòd pœnitens, qui ignorat invincibiliter se teneri ad restitutionem, monitus restituet, si non statim, saltem posteà. Sed si nulla aut ferè nulla sit talis spes, sed mera solùm et absoluta possibilitas, ità ut moraliter certum sit quòd non restituet, quia, v. gr., obdurabitur, aut confessarium laxum adibit vel adducet in horâ mortis, aut quia in familiâ obstacula restitutioni inveniet quæ ob animi debilitatem non superabit, etc., non videtur monendus. Eadem enim hìc ratio militat ac pro peccatis aliis invincibilis ignorantiæ. Nàm, ut ratiocinatur D. Bouvier quocum solo, post multas in aliis autoribus disquisitiones me inveni sentire, confessarius ex officiis tenetur præstare quæ ad salutem sui pœnitentis magis conducunt. Aliundè damnum tertii non averteretur.

(*d*) Et hinc concludunt nonnulli in bonâ fide relinquendum esse cum qui monitioni obtemperaret, sed nonnisi conjiciendo se in magnas animi anxietates et conscientiæ angustias aut familiæ dissensiones graviores pariendo.

(*e*) Tale pro liberis sequeretur sæpè damnum ex separatione parentum quorum matrimonium invalidum est, qui tamen prævidentur nolle illud rehabilitare, si noscerent ejus nullitatem.

SECTIO III.

De adhortationibus pœnitentibus faciendis.

695. Hæ fieri non debent post quælibet peccata declarata, nisi verbis paucissimis post grandia, ad excitandam fiduciam, et cor aperiendum, sed horrorem unquàm nullo modo ostendendo.

Fiunt ergò adhortationes omnibus declaratis et discussis, si discussio necessaria sit; et non rarò reperiet confessarius quòd anteà aut non sat, aut nimis potenti modo eas fecisset.

Imò et innocentes reperiet qui criminosi, et vice versâ, statim ex declaratione apparuerant.

Adhortetur confessarius paucis et bonis verbis ad avertendum à vitio, excitandum ad virtutem, et præcipuè omnes ferè ad eliciendam veram contritionem, nullam tamen faciendo comparationem quæ imaginationem vividiùs feriens à contritione potiùs avertat. Cum rudibus, ignaris, simplicibus per modum dialogi sermocinetur; verba quæ spem excitent cum verbis quæ timorem, misceat; gradatìm usquè ad contritionem perfectam ascendat, non nimis super criminum enormitatem instando cum iis qui jam confusi sunt.

SECTIO IV.

De impositione pœnitentiæ.

696. Ante absolutionem imponenda est pœnitentia (*a*) [73, etc.].

Clarè et paucis verbis;

Cum mansuetudine, petendo aliquandò à pœnitente quamnam facere vellet;

Ad summum, in confessionibus ordinariis usque ad primam confessionem duratura (*b*);

Purè medicinalis quidem, si velit confessarius, cùm differt absolutionem; vindicativam, quæ erit adhuc medicinalis, reservando, cùm absolvet.

Non danda, pro pœnitentiâ, vitatio peccati quod destruendum est, sed ejus remedia.

Satius est, inquit Salesius in Constitutionibus ecclesiæ genevensis, indulgentiâ quàm rigore uti in impositione pœnitentiæ, supplendumque ejus gravitati per durationem.

Nec, in confessionibus longi temporis, aut generalibus necessariis, sequenda progressio criminum; ità ut, v. gr., si pro unâ fornicatione plurium dierum jejunium imponatur, etc., pro numero fornicationum, numerus eorumdem operum proportionaliter augeatur; monendi tamen ii pœnitentes de levitate et insufficientiâ pœnitentiæ, ut alias sponte faciant.

Nota : Pœnitentia, si extraordinaria sit aut multiplex,

bis aut ter inculcanda est memoriæ pœnitentis, et de novo post datam absolutionem, alioquin sæpissimè è mente pœnitentis excidet.

Imo sæpè expedit post absolutionem dicere pœnitenti : *Meministine pœnitentiæ? Illius, post exitum è tribunali memorare et iterùm in domo.*

Aliquandò scripturâ, nulli alteri lectu facili, notanda.

(*a*) Id convenientius. Sed saltem statim post absolutionem imponenda, ut faciat unum actum judicialem.

Ergò si pœnitentiam imponere obliviscatur confessarius, sufficit ut statim post absolutionem illam imponat, nec tunc repetenda forma absolutionis.

(*b*) Imò non eò usquè si locus timendi sit ne longiùs differatur confessio sequens. Sæpè expedit tunc ut uno aut paucis actibus possit impleri.

---

697. Pœnitentiæ aliæ sunt generales quæ omnibus, exceptis excipiendis, imponi possunt, ut jejunia, eleemosynæ, orationes et mentales et vocales, sacramentorum frequens usus, missarum auditio, SS. sacramenti visitatio, examen conscientiæ singulis diebus, repetitioque hujus examinis diebus dominicis, piæ lectiones, preces noctu, durus identidem cubitus, flagellatio super humeros, cilicii certis diebus gestatio (*a*), et pro durè laborantibus aliave sive in corpore, sive in mente mala patientibus, horum ad Deum in satisfactionem oblatio cum unione Christo patienti.

Aliæ particulares, seu vitiis, quibus proclivis est pœnitens, oppositæ, hæque possunt esse communes ut (et hæc omnium saluberrima) firmum manè, imò meridie et vesperè propositum cum imploratione auxilii divini, tale in particulari peccatum vitandi, taleque, ad illud vitandum, assumendi medium (*b*); cogitatio gehennæ, instante tentatione, etc., fusæ tunc ferventiùs ad Deum preces, etc.

Et possunt esse particulares simpliciter, v. gr., præscribi potest iracundis ut statim post iram actum faciant mansuetudinis; superbis, actum humilitatis; luxuriosis, actum mortificationis corporalis; invidis, vel avidis vindictæ, actum amoris proximi; avaris, eleemosynam; helluonibus, jejunium. Omnibus sensuum mortificatio et custodia fortiter consulendæ,

et, ut à Deo imperata, jubendæ, sed non pro pœnitentiâ vagè injungendæ (*c*).

(*a*) Cilicium sit potiùs ex filo ferreo. Ex jubâ confectum et corpus et venerem inflammare potest. Quoàd flagellationem, nescio utrùm eam nunc, ut olim infrà renes præscribere possem, saltem non auderem.

(*b*) Hic nota reperiri posse imaginationes ità vividas, ut propositum expressum tale in particulari contrà castitatem peccatum vitandi, illius imaginem fortiùs adduceret, occasioque foret tentationis. Iis qui talem imaginationem habent, præscribatur solùm propositum firmum in genere statim avertendi omnem tentationem, eique, si instet, fortiter resistendi, præcipuè eam à mente avertendo quoties redibit, per aliam cogitationem. Semi-victus est qui cum tentatione disputat.

(*c*) Ut graviorum peccatorum reis exponere possis antiquas pœnitentias canonicas, iisque, quantùm nunc possibile est, accommodare tuam agendi rationem, quamvis à longè; has præcipuas habeto in rituali lecturus cæteras. Canones ex quibus excerptæ non citamus; aliundè multùm variant.

Nota in singulo præcepto. pro quibus peccatis im ponebantur.

I. A fide catholicâ desciscens.... pœnitentiam agat annis septem.

Qui magos consuluerit, annos quinque.

II. Qui sciens pejeraverit, 40 dies in pane et aquâ, et septem sequentes annos pœnitebit. Item qui alium ad falsum jurandum impulerit.

Qui per caput Dei juraverit, si semel nesciens, pœnitens in pane et aquâ septem dies victitet. Si secundò aut tertiò monitus, dies quindecim.

Qui Deum vel virginem vel aliquem sanctum publicè blasphemaverit, pro foribus ecclesiæ dominicis septem stet.... septem sextis feriis in pane et aquâ jejunet. Septem diebus dominicis tres aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; alioquin aliâ pœnitentiâ afficiatur.

III. Qui opus aliquod servile die dominicâ festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aquâ; si opus terrenum, dies septem aget pœnitentiam.

Si quis in ecclesiâ confabuletur, cùm divina fiunt, pœnitens erit dies septem in pane et aquâ.

IV. Qui parentibus maledixerit, 40 dies in pane et aquâ erit pœnitens. Si injuriâ affecerit, tres annos; si percusserit, annos septem.

V. Qui filium aut filiam occiderit, 20 annis pœniteat.

Si quæ mulier abortum fecerit sponté, pœnitentiam eget tres annos.

Quæ sceleris occultandi causâ filium necàrit, annos 10.

Qui explendæ libidinis causâ, ut non soboles nascantur, aliquid potandum dederit, homicida teneatur.

Qui aliquem vulneraverit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

VI. Si solutus cum solutâ vel ancillâ concubuerit, pœnitentiam aget annos tres. Adulter semel, annos septem. Adultera quinque.

Qui cum uxore suâ turpiter concubuerit, pœnitens erit 40 dies.

Qui puellam aut mulierem libidinosè obtrectaverit, si clericus, quinque dies, pœnitentiam aget.

Qui concupierit virginem, annum unum per legitimas ferias.

Cum duabus sororibus fornicatus, pœnitentiam aget toto vitæ suæ tempore.

Pro incestu, 10, 15 anni pœnitentiæ.

Qui cum brutis coïerit, annis 10, et qui contrà naturam, annis 7 erit pœnitens.

Mulier in se aut cum altera fornicans, pœnitentiâ afficietur duorum annorum.

Qui complexu fœminæ vel osculo polluitur, dies 40 pœnitentiam aget; si contactu inverecundo, menses tres.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, dies 10.

VII. Qui furtum de re minoris semel aut bis fecerit, restitutâ re, pœnitentiam agat annum unum.

Usurarius, annis tribus, uno in pane et aquâ.

VIII. Qui proximo peccatum imputârit, pœnitentiam aget tres dies.

Si quis facilè detraxerit, falsumque in hoc dixerit septem dies in pane et aquâ.

V. Ecclesiæ. Si quis jejunia violaverit, 20 dies in pane et aquâ; pro uno die, dies septem.

In quadragesimâ carne vescens, in pascha non communicet, et præterea carne abstineat.

SECTIO V.

De absolutione.

598. Absolutio danda est voce sat altâ ut audiat [86] pœnitens et sat submissâ ut adstantes non advertant.

Potest, justâ de causâ contrito differri, sed non ad longum tempus, quia privaretur gratiâ ad vitandum relapsum [90, a].

Sed sive contrito, sive non contrito differatur, satagendum ut dilatio lubenter accipiatur, non ad longum nimis tempus extenta.

Si objiciat pœnitens nunquàm, saltem pro simili casu, sibi denegatam absolutionem, respondendum quòd tunc fortè merebatur eam, vel quòd si fuisset ipsi dilata, non eò usquè malorum devenisset.

Nunquàm tamen aut rarò et prudenter culpanda antecessoris confessarii agendi ratio.

Nota : Cùm non datur absolutio, clarè dicendum cur, et monendus pœnitens ut dilationis causam expressè referat, præsertim si ad alium confessarium mittatur. Intereà præscribenda huic pœnitenti agendi ratio, remediaque ad peccatum vitandum, et dicto *misereatur*, etc. (a), monendus semper pœnitens ut non communicet.

(a) Tegendum denuo caput, precesque aliquæ recitandæ cum signo cru-

cis, ut non advertant præsentes non datam esse absolutionem. *Constitutiones genevenses S. Salesii. Methodus Bisuntina.*

Nota : Infrà explicabuntur casus in quibus differenda aut deneganda est absolutio. Tamen cùm eos præstò habere debeat confessarius, hi præcipui sunt, ex variis Ritualibus et notanter Bisuntino exscripti.

1. Si pœnitens nullum det doloris et propositi firmi signum. (Subintelligitur : vel non det sufficiens).

2. Si bonum alienum reddere, aut pro injuriis aliis satisfacere nolit.

3. Si odium non deponat aut reconciliari cum inimicis recuset.

4. Si sit in occasione proximâ peccati mortalis quam derelinquere possit et nolit.

5. Si aliis peccandi occasionem præbeat quam polit removere.

6. Si sua ipsi ars sit occasio peccati.

7. Si sit in habitu peccati mortalis.

8. Si ignoret præcipua fidei mysteria, orationem dominicam, etc., vel quæ sunt sui statûs.

Addit Rituale Bisuntinum :

9. Si peccator sit manifestus et auctor scandalorum.

10. Si clericus in sacris, aut de beneficio ecclesiastico provisus coronam et habitum ordini suo congruentem non deferat, vel beneficia contrà leges Ecclesiæ, vel incompatibilia sine dispensatione retineat, aut in illis non resideat.

11. Si usurarius aut usurariorum fautor existat.

Adderem : si omnibus pensatis, dubium remaneat de sinceritate pœnitentis. Tunc ad alium, dictis dicendis, sæpè mittendus.

AGENDA

PARTICULARITER IN VARIIS VARIORUM CONFESSIONIBUS.

AGENDA

CUM IIS QUORUM CONFESSARIUS QUIS ORDINARIUS EST.

699. In genere, confessarius iis quos ordinariè dirigit omnia sciat dicere quæ ad salutem, nulla aut ferè nulla quæ ad temporalia spectent.

Ad profectum spiritualem et perfectionem eos incitet, notatim ad seipsos in omnibus vincendum, quod vigilantiam præsupponit et appetitûs dominantis mortificationem includit præcipuè.

Hortetur præsertim eos ad imitationem Christi, et ad

facienda omnia propter Deum supernaturaliter consideratum, ut vitam mereantur æternam.

Tandem opera supererogationis spiritualia eis indigitet, sed nec majora viribus, nec numero multa. Sequendus impulsus gratiæ, non superandus.

§ I

Agenda cum innocentibus, aut jamdudùm conversis.

700. In his nutriendus fervor et excitandus, si desit. Incitandi præcipuè ad fugam venialium, et ad diligentiam in omnibus muneribus exequendis, cavendo ne omnem virtùtem in pietate externâ reponant.

Breves sint horum confessiones, nihilque in iis dicatur quod amorem naturalem multùm excitet aut foveat.

§ II.

Cum recenter conversis.

701. Hi brevi vitæ regulâ muniendi, fugâque occasionum et usu sacramentorum frequenti.

Ad spiritum compunctionis habitualis excitandi, si tepidi sint, et in eo conservandi, si ferventes; et si, ut aliquandò, vehementer pœniteat eos, non statìm securitas omnis eis insinuenda, nec siccandæ lacrymæ; sed ad magnam in Deum misericordem confidentiam excitandi, cavendo à scrupulis, nimios pœnitentiæ labores relaxando, confidentiamque in consolationibus spiritualibus, si quas habeant, minuendo.

Si graves patiantur tentationes, frequentiori ad tribunal accessu, mensæ sacræ participatione, aliisque omnibus mediis roborandi sunt.

Si relabantur, cum magnâ bonitate recipiendi, commota viscera super magnitudine infortunii eorum ipsis ostendendo, culpam et ingratitudinem exprobrando suaviter, et præsertìm ostendendo undè malum venerit. Probabiliùs ex nimiâ confidentiâ in recenter acquisitâ virtute. Addendo tandem Deum permisisse, ut ferventiores et cautiores evaderent.

Non rarò tunc confessarius imputabit sibi interius quòd confidens fuerit nimiùm et forsan ex amore proprio hilarior quòd animam Deo fuerit lucratus.

§ III.

Cum vocatis ad perfectionem.

702. Hi cognoscuntur ex indole ad bonum multùm inclinato, et abundantiâ gratiarum.

Ducendi quò, et quomodò gratia, excitandi consequenter ad meditationem veritatum indoli et gratiæ particulari, quâ donantur, convenientium, quæ spem vel timorem tribuat, animum gratum et amorem purum augeat.

Unio cum Deo habitualis multùm his commendanda, orationesque jaculatoriæ indè fluentes; sed præsertìm humilitas sine quâ larvata omnis perfectio est. Nullum vel veniale peccatum plenè deliberatum iis sine suavi increpatione prætermittatur. *Si inimicus meus*, etc.

Si non proficiant, minas eos ad alium mittendi intentet eis confessarius. Rarò exequatur.

Communionem pro profectu plùs minùsve frequentem eis permittet [56].

§ IV.

Cum pietatis formam solùm habentibus.

703. Raro, aliquandò tamen invenitur in masculis adumbrata seu mendax pietas (*fausse dévotion*). Frequentiùs in fœmineo sexu; rariùs tamen quàm dicunt.

In hoc consistit adumbrata pietas, quòd sub prætextu pietatis, exercitiorum aut frequentiorum aut non communium, vel virtutum quarumdam praxis, cæteri spernantur, de eorum moribus quæratur, suspicetur, judicetur, multaque negligantur ad salutem aut necessaria aut multùm utilia, humilitas, subjectio, patientia et aliquandò ipsa castitas, etc.

Veritatem his non abscondat confessarius, anxietatem demonstret; imò (si tamen res ità sit), apertè dicat illusionem

esse totam illorum vitam; facile sibi nihilominùs remeare gradum humilitatis viâ, sui ipsorum cognitione et confessarii auxilio non denegando. Sed cave ne eò usque progrediaris cum iis qui in gravia lapsi non sunt, aut ex pœnitentiâ deleverunt, nec subitò omnes communiones abrumpas.

§ V.

Cum scrupulosis.

704. Scrupuli indicia: præcipua sunt agere cum anxietate; ex levibus motivis judicare circà rerum licitatem; peccata reputare, aut saltem dubitare àn sint, ea quæ à sapientibus et verè timoratis, habentur pro nihilo; interrogare frequenter sine tranquillitate; difficilè convinci et determinare se; redire ad quæsita et determinationes; semper quærere majorem securitatem; levissimas in confessione aperire circumstantias; sæpè repetere; preces, breviarium iterare, vel fastidiosâ tarditate recitare; subsistere ut attentio et intentio renovetur; duci sensu magìs quàm ratione; confessario non habere fidem, timendo ne non cognoscat conscientiæ statum.

Confessiones præteritæ et sæpè actuales, fides, castitas, detractionum auditio, correctio fraterna et aliquandò injustitia, præcipua sunt circà quæ exercet se scrupulosa conscientia.

Inveniuntur tamen aliquandò scrupulosi circà aliqua, et circà alia, ex præventione aut passione laxiores. His partìm applicandæ regulæ sequentes.

Et sunt, sed rari, qui peccatum abhorrentes, in illud aliquandò ex animi demissione et levitate, aut passionum impetu proruunt. Si animo suavi et benevolo recipiantur, ordinariè resurgunt. Non adeò rari sunt qui in adolescentiâ scrupulosi, paulatìm peccatores evadunt.

---

705. Scrupulorum causæ sunt vel intrinsecæ, indoles nempè meticulosa, complexio melancholica, imbecillitas animi et inconstantia (quæ causa frequentior in mulieribus),

ignorantia, vel talis animi subtilitas quæ sufficiens ad excogitandas rationes dubitandi et insufficiens ad eas solvendas; vivida imaginatio; occulta superbia; nimiæ austeritates.

Vel extrinsecæ : scrupulosorum societas, confessarii scrupulosi directio, lectio casuum conscientiæ pro eo qui minùs est intelligens ad discernendum, aut vividiùs omnia videt; dæmon, cùm nempè scrupulosus in peccato vivit, aut in bono refrigescit, aut cùm desperationis tentatione fatigatur. Tandem Deus et sæpiùs, qui vult ad vitam ducere viâ crucis, etc. Hæc causa dignoscitur, cùm scrupuli horrorem peccati majorem incutiunt, vitæ emendationem accuratiorem adducunt. Magnum tamen ex scrupulis fructum percipiet pœnitens, si confessario se subdat.

Sed omnis generis causæ sæpè occurrunt.

---

706. Scrupuli in genere remedia sunt, sicut in aliis morbis, causis contraria. Amovendæ ergò primum causæ per corporalem exercitationem, magni aeris captationem, et aliquandò medici operâ, etc. Melancholici ad lætitiam excitandi; animus timidis erigendus et vividâ imaginatione donatis dicendum ut omnes omninò jocos ejus spernant. Superbis humilitas, diffidentia et subjectio inculcandæ. Sed vix reor esse scrupulos qui ex aliâ causâ potiùs quàm ex superbiâ, præcipuè non veniant.

Generaliter loquendo, instruendi sunt scrupulosi [163] (*a*), et,

1° Convincendi se esse scrupulosos, et apprimè à confessario cognosci.

2° Nunquàm, ex unanimi doctorum sententiâ, falli qui se subdit rectori, etsi rector falleretur, nec reverà cognosceret statum pœnitentis facientis quod in se est ut cognoscatur. Aliter nullum esset scrupulis remedium, cùm scrupulosi se ipsos curare nequeant.

3° Edocendi et convincendi quòd se ipsos non cognoscant, quòd sensu magis quàm ratione agant, et quòd esset intolerabile habere *practicè* pro peccato quòd ipsis sub dubium cadit, cùm de evidentissimis dubitent; quòd ipsi de horum

omnium veritate judicare possint ex conceptu quem habent rerum in lucidis intervallis (si quæ habeant); quòd ergò nihil debeant reputare mortale, nisi quod ipsis tale esse certò constat, ità ut jurare possint; quia ex communiter contingentibus est præsumptio.

Et si dicant se nolle in horâ mortis facere quæ nunc peccata reputant, respondendum scrupulosos posse facere tunc aut vitare multa inutilia.

Aliquandò forsan, sed raró, scrupulosi tractandi cum auctoritate. Nunquàm saltem eis hæsitanter respondendum.

(a) Multos confessarios in hoc deficere mihi visum est. Difficilè qui nescit experientiâ morbum adeò pertinacem, illi medelam convenientem applicat. Non potest intelligere quæ sunt alterius de se ipso. Non sint scrupulosi scrupulosorum confessarii; sed si fuerint, meliùs curabunt similes ægrotos. Alii verò, juvante gratiâ, et attentione studioque curabunt similiter eos; nec de hoc unquàm desperandum.

---

707. Remedia scrupulis particularibus applicanda, sunt :

Pro scrupulosis qui scrupulis peccata consociant : ponderatio singularis quæ in eorumdem agendi ratione reperitur contradictionis; horror peccati simul et abjectio scrupuli. Sed id non facile.

Non permittenda tamen confessionum iteratio ob quosdam relapsus in momentis quasi derelictionis. Rara enim in tempestatibus validis naufragia signum non sunt larvatæ conversionis. Saltem non diù his absolutio differenda si dilatio necessaria judicetur, quia habitus vitiosus difficiliùs contrahitur à scrupulosis, qui, ut ordinariè, post lapsus vehementer conteruntur et quorum peccata, putà iræ aut impudicitiæ magìs forsan ex nervorum actione quàm ex malitiâ proveniunt. Fiducia magna in auxilium gratiæ in eis excitanda est, non sublato tamen omni timore.

Scrupulosis circà confessiones suas dicendum non tantam in confessionibus integritatem pro ipsis requiri quanta pro aliis; quia integritas confessionis cadit sub præcepto affirmativo quod non obligat cum magno detrimento. Undè concludet cum ipsis

1° Non iterandas confessiones nisi moraliter certum aut

verè dubium sit eas fuisse nullas, in quo casu Deus solùm exigit ut sine examine respondeant confessario (non scrupulosiùs) interroganti. Addat hoc à fortiori sufficere, si parùm dubiæ sint confessiones, imò nec id in ullo casu requiri, quin è contrà vetari, si prævideatur scrupulos indè notabiliter augendos, aut solùm si, ut sæpè, id prudenter timeatur; sed tunc ipsam scrupulosi voluntatem confessiones iterandi, confessionem esse sufficientem.

Concludet 2° peccata in confessionibus præteritis omissa inculpabiliter non esse confitenda nisi certum sit 1° ea esse mortalia; 2° non fuisse nec in se nec in aliis ejusdem speciei declarata [66, c]. Et idem dicendum de aliis dubiis; alioquin anxietas perpetua ac cruciatus intolerabiles evenirent. Ex duobus malis minus eligendum (*a*).

Concludet 3° nullum in confessionibus ordinariis præmittendum examen circà ea in quibus est scrupulus, imò circà nulla, si scrupulus generalis sit; sed singula declaranda sicut occurrent memoriæ, et in genere solùm peccata interna dubia.

Scrupulosis circà peccata interna contrà fidem, spem, charitatem proximi, castitatem, dicendum non nocere sensum ubi non est consensus, nec unum cum altero confundendum; scrupulosos vix esse sanæ mentis circà ea quæ interiùs aguntur; imaginationem citiùs agere quam voluntatem; omninò spernenda quæ objectat eo ipso quòd displiceant, et eò magis contemnenda quod horribiliora, ut blasphemiæ interiores contrà Deum, inhonestissimæ contrà sancta cogitationes.

Scrupulosis circà recitationem horarum, etc., dicendum leges positivas non obligare cum magno dispendio magnâque difficultate, quæ impotentia moralis appellatur; iisque omnis repetitio omninò interdicenda, vel per emissionem voti saltem sub levi et non diù duraturi; aliquandò enim tanta mala ex præsenti scrupulo eveniunt, ut in eorum prævisione non dubitarem hoc remedium adhibere. Sed scrupulosus violabit votum? Non reor, quin apprimè scit præceptum certum incerto prævalere, cùm agitur de positivis, aut cùm leges affirmativæ sunt.

Scrupulosis tandem qui in omnibus malum vident, dicendum ut audacter, his non obstantibus, agant, non confundendo timores vanos cum conscientiâ dubiâ.

Nota : Si, remediis omnibus adhibitis, curatio, non dico subitanea, rara enim, sed post tempus etiam notabile, non fiat, hortandi scrupulosi ut, adhibentes semper remedia, patienter sustineant sperantes quòd Deus non dabit in æternum fluctuationem justo.

a) Undè concludi posse mihi videtur nec mortalia certa certò omissa esse declaranda si indè scrupuli notabiliter augendi sint.

§ VI.

Cum extraordinariè tentatis.

708. Iis inspiranda totalis humilitas et de se diffidentia, maximaque in Deum et sanctos confidentia, quæ cor erigat absque temeritate.

Non nimis primùm tentationes timeant; hinc enim nasci possent vel augeri; nec cum eis disputent, sed spernant deviando, præsertìm si contrà castitatem. Hîc diabolus vincitur si dorsum ipsi vertatur.

Sed si, hoc non obstante, graviter instet tentatio, omni conatu protestentur se malle mori quàm peccare. Ferventer orent. Horribilia inferni supplicia recogitent, et præcipuè operibus vacent quæ eos distrahant; confabulentur; nec soli, si possibile, remaneant. Non tristes. Imò remedia aliqua adhibeant refrigerantia; vigilias jejuniaque immoderata non raró abjiciant. Tandem, transactâ tentatione, non reflectant an ei assensi sint (renasceretur), et redditâ pace, novum impetum alacriter expectent in Deum unicè fidentes.

Tales Deus sæpè ad magnam perfectionem destinat.

§ VII.

Cum valdè rudibus, semi-fatuis, surdis simul et mutis.

709. Antè omnia examinandum an tales necessaria edoceri saltem imperfectè queant, et si ità, verbis vel signis edocendi.

Ab iis quibuscum vivunt, inquirendum de eorum moribus. Tunc adjuvandi in confessione faciendâ, interrogando eos de iis in quæ probabiliter aut dubiè lapsi sunt, et ad contritionem excitandi.

Sed si dubium sit an rationis usum habeant (a) cæterasque ad sacramentum dispositiones, absolvendi non sunt nisi in mortis articulo.

(a) Usum rationis quis habet cùm discernit inter bonum et malum morale ex propriis eorum finibus, non, v. gr., ex timore vapulationis, ut infantes.

AGENDA

CUM PERSONIS IN VARIIS ÆTATIBUS AUT ALIIS CIRCUMSTANTIIS VITÆ CONSTITUTIS

§ I.

Cum infantibus antè primam communionem.

710. Istorum confessio omnium ferè difficilior; sed eò magis meritoria. Ad confessionem ergò adducendi, ut, sive jam deliquerint, convertantur; vel adhùc innocentes à peccato præserventur, ad pietatem excitentur et confiteri assuescant.

Quater, ad minùs in anno, si munia alia sæpiùs non permittant, audiendi sunt, non turmatim per modum unius, sed singuli in particulari, et servatis omnibus cæremoniis.

Si qui inveniantur qui pravis jam habitibus, gravis inobedientiæ, v. gr., aut parentum despectûs, impietatis, blasphemiæ, luxuriæ, sint dediti, sub aliquo prætextu, primæ, v. gr., communionis appropinquantis, sæpiùs quàm cæteri audiendi sunt, si adduci queant.

711. Modus audiendi infantes eorum ætati accommodatus sit.

Ergò 1° suaviter, et tamen sine familiaritate. Verbum durum, vel unum, infelices habere posset exitus.

Ergò 2° prudentiùs adhùc, quam si provectæ ætatis, in-

terrogandi; et solùm circà peccata in hâc ætate non rara, ni locus sit alia suspicandi (*a*).

Ergò 3° hìc accuratiùs adhùc, si ità dici possit, quàm in aliorum confessionibus, omnia peccata taxanda ut merentur et non ampliùs. Etsi enim horror peccati vehemens infantibus incutiendus sit, cùm lethalia commiserunt, dicendum tamen quòd infantilis ætas ea reddat magìs veniâ digna; nec damnandi ideò futuri sint, si ea toto corde detestentur. Sed non idem et tantus horror incutiendus si venialia solùm confiteantur, quia gravia reputare possent et damnatione digna, quin dicere convenit, aliquandò saltem : *Non propter hoc damnareris, sed ires in ignem purgatorii, ni pœniteat te. Aliundè multùm Deo displices, qui te creavit et amat.*

Nota : Minùs adhùc in infantes quàm in alios interrogando appareat solertia, diffiderent enim et mentirentur. Nec nimis instandum ut quæsitorum obtineatur confessio. Possent enim tandem fateri quæ non fecissent (*b*).

(*a*) Quæ infantes difficiliùs confitentur, sunt impudicitiæ et furta : circà impudicitias, incipiendum interrogare de his quæ sunt solùm de benè esse, monstrando quòd peccata non sint saltem mortalia, ut quæ modestiam solùm lædunt, non puritatem, multùm tamen modestiam commendando. Quærendum quibuscum conversentur, cubant, etc.; nùm cum famulo aut famulâ, fratre aut sorore? Nùm in lecto aut antè cubile colluserint et quomodò? Nùm lusus inhonestos cum aliis fecerint? Nùm coæquales aut alios audierint vel viderint turpia dicentes, vel agentes, vestimenta, v. gr., ex malitiâ attollentes in domo vel alibi (faciliùs fatentur audita vel visa quam dicta vel facta), et sive fateantur sive non, quærendum an hæc ipsi fecerint antè alios aut cum aliis? Quo situ? Cum quo sexu? Nùm soli? (de aspectibus priùs quàm de tactibus interrogando) quo fine? nùm ob delectamentum? Quid tunc cogitarent? etc. Si reperiantur qui turpia soli, sed non animo turpi egerint, dicendum ab his ut multùm periculosis, seclusâ necessitate, omninò abstinendum, timendosque Dei magìs quàm hominum oculos.

Addendum : *Si quæ feceris, in quibus malum suspiceris, sed quod nescias dicere; fatere, et interrogabo te.*

Si factis quas dictat prudentia interrogationibus, nihil reperiatur, incutiendus tamen timor eorum quæ quæsita sunt; et si supersit dubium circà sinceritatem responsorum, non nimis primâ vice instandum; nec nimis urgendus infans qui non vult rem explicare, vel qui plorat, qui negat quòd anteà fassus, etc.; ne à confessione deterreatur. Excusandus paulisper dicendo quòd fortè non tàm gravia commisèrit quàm timet, quòd Deus ignoscat, etc.

Operæ pretium est ut sciat confessarius quomodo communiter nominen-

tur in parochiâ impudicitiæ inter infantes. *Malices, polissonneries, etc.* Sed hic non sistat interrogando. Nàm et alia multa quæ castitatem imò et honestatem nullatenùs lædunt, imò aliquandò meræ nugæ, simili nomine appellantur.

(*b*) Item aliquandò si abruptè dicatur: *Fecisti hæc:* fortè enim interrogatione attoniti faterentur contrà mentem; à fortiori si addatur: *quoties?* quasi affirmativè respondisset infans. Discretione ergò multâ opus est ut adhibeatur hic modus interrogandi quem tradit Methodus Bisuntina et non pauci optimi aliundè *practicantes* habent.

Nota: 1° Aliquandò malitia prævenit ætatem. Inveniuntur enim, quamvis raro, masculi, qui à decennio puberes sunt, fornicationemque consummârunt. Et inveniuntur, sed non adeò raro, puellæ quæ, quamvis non nubiles, jàm item à decennio, imò, à septennio voluptatem experiuntur carnalem sensibilesque venereos motus sibi per tactus, situm corporis, femorum compressionem, etc., procurant. Sed cùm hæc non communia sint, multâ discretione utendum ut detegantur, si locus sit ea suspicandi, ne antea innocentes, evadant, hæc tentando, culpabiles.

2° Expedit multùm ut infantes eumdem adeant confessarium, qui præstò habeat eorum conscientiæ statum, indolem, etc. Imò et expedit ut confessarius caracteribus sibi soli notis, infantium illorum nomina et statum conscientiæ denotet, ne fastidiosè eadem semper ab eis inquirat; sed solùm identidem, hoc habens altâ mente repostum quòd sæpè non nisi in quartâ sextâve confessione ad quæsita sincerè respondeant, et aliquandò nunquàm. Quapropter variandus modus interrogandi. Aliundè innocentia non semper durat. Quot inveniuntur qui in primis confessionibus innocentes reperti, aliquot post annis jam rei inveniuntur, possentque accusare confessarium de incautâ confidentiâ.

---

712. Cùm inveniuntur qui in mortalia lapsi sunt, non judicandi statìm capaces absolutionis, seu potiùs statìm ad illam dispositi, ordinariè loquendo; quia absolutio multa requirit quæ non supponit semper capacitas mortaliter peccandi. Vix ergò secundâ aut tertiâ vice quâ audientur absolvi poterunt, si adhùc sint infantiæ proximi. Omni autem conatu præparandi ad absolutionem, quæ impertietur cùm de eorum sinceritate, emendatione et contritione, ex eorum præsertìm mentis considerantiâ, constabit (*a*).

(*a*) Ità ferè Methodus Bisuntina post Salesium in constitutionibus ecclesiæ genevensis. Sed è contrà manuale ejusdem diœcesis longè post editum dicit illos infantes *raro* esse absolvendos, et constitutiones Lausannenses *non plerùmque;* quia vix de eorum debitâ dispositione constat certò moraliter. Saltem fateantur non ità vivida ab infantibus ac à grandioribus exigenda esse contritionis signa.

Meliùs de plurimis sentimus, si zelo-zelati confessarii curæ subjaceant, nec omninò sensu et praxi contrarius essem D. Dens dicenti puerilia, risus, v. gr., infantium antè tribunale, non esse signum incapacitatis absolutionis,

quia hæc pertinent ad inadvertentias quæ se manifestant exteriùs, sicut adulti interiùs distrahuntur. Gratia operatur in infantibus, secundùm eorum statum. Nusquàm ergò probanda praxis quorumdam timoratorum qui infantes non absolvunt nisi pro primà communione, et criminosa est saltem si ex pigritie aut ex defectu zeli. Cur in Dei inimicitià relinquendi infantes ? Et quem sibi pastor parat remorsum pro casu in quo tales è vità subitò tollerentur.

713. Et in tribunali erudiendi infantes de scitu necessariis ad salutem, sed nec per modum catechismi, etsi lucidè; curandumque ut in ipsâ confessione eliciant actus fidei, spei, charitatis Dei et proximi, adorationis, desiderii finis ultimi, oblationis suî ipsius et omnium suorum ad Deum, contritionisque. In precibus enim et catechesibus hos actus non nisi ore et ut psittaci eliciunt.

§ II.

Cum infantibus qui ad primam communionem præparantur.

714. Uno aut altero antè primam communionem anno, frequentiores, si possibile, confessiones sint; major jam peccati horror exigendus adhùc; ad crescentem semper pietatem excitandum, et jam nascentes tunc sæpè passiones investigandæ seduliùs, inquirendo, v. gr., nùm ergà quemdam aut quamdam affectus habeant; nùm in mente sæpiùs habeant, nùm in oculis ? Nùm amplexus, etc. (*a*)? Sæpè reperientur jam cogitationes turpes ipsiusmet coitûs, reperientur tactus et aspectus solitarii, qui non obstantibus præcedentibus quæsitis, declarati non fuerant.

Frequentiùs adhùc ad tribunal venient ex quo incœptæ erunt pro primâ communione catecheses; sed confessio generalis non instituetur nisi cùm de sacramento pœnitentiæ fuerint instructi (*b*). Ter aut quater postea denuò audientur, absolventurque citiùs aut tardiùs; et, si vigilia primæ communionis, moneat tamen confessarius quòd manè erit in tribunali ad audiendum iterùm qui voluerint.

Nota : Non ægrè ferunt ulli in confessione generali interrogari multùm, sciunt enim morem sic esse. Verùm si, quod absit, eveniret ut incautè imò non obstanti omni adhi-

bitâ prudentiâ, infantes de his quæ feliciter ignorant edocerentur, nulla opportunior foret occasio ad eos fortiter deterrendos à faciendo unquàm quod infeliciter didicerunt.

Nota iterùm : Post primam communionem omni curâ infantes conservandi in gratiâ per frequentem sacramentorum usum et memoriam bonorum propositorum.

(a) Hi ergà sexum alterum peculiares affectus facilè concipiuntur ubi promiscuè utriusque sexûs infantes scholas frequentant, pecora custodiunt; et non rarò inter consobrinos et consobrinas dùm parentes invisuntur. Quin sæpè, nesciis incautis parentibus, in maxima proruunt.

(b) In catechesibus pro primâ communione iterùm atque iterùm incutiendus horror sacrilegii, et tunc præcipuè ab errore conscientiæ educendi infantes qui, levia vel quæ non peccata sunt, gravia reputant, nec audent confiteri, qualia furta parva; peccata gulæ certis vestita circumstantiis; indecentiæ quædam in ecclesiâ aut cœmeterio; horribiles, sed prorsùs involuntariæ contrà Deum, Eucharistiam, B. Virginem cogitationes; contrà parentes levia quidem, sed insolita delicta. Hoc præsertim incutiendum quòd infantes sæpè peccata existiment quæ non sunt, aut graviora. Tunc faciliùs accusabunt se.

§ III.

Cum adolescentibus.

715. Adolescentes hìc dico qui à primâ communione annum 18 aut 20 non attigerunt.

Accedente confirmationis sacramenti tempore, specialiter adhùc interrogandi qui à primâ communione perseverasse videntur. Imò quærendum nùm quid circà confessionem pro primâ communione remordeat eos? (Facilè tunc, non iteratis confessionibus reparandum, si apud eumdem confessi sint). Nùm quid tunc reticuerint? Nùm deinceps? Et forsan quæ non putabant peccata reticuisse non rarò deprehendet confessarius eos in quibus magìs confidebat. Inveniet et nonnullos ex errore conscientiæ in sacrilegio vixisse.

Confessio generalis à primâ communione exigetur ab eis qui in habitibus pravis vixerunt. Sed facienda ordinariè ut dicetur [751].

---

716. Circà annos 15 et 18, ordinariè ob mundi scandala, fortiterque tunc jam stimulantes voluptates, et præsertim ob

majorum vel solùm personarum diversi sexûs consortia, vivendique licentiam, deperduntur adolescentes per impietatem, despectum parentum et præsertim impudicitiam; tardiùs, sæpissimè tamen per hoc ultimum puellæ. Omni ergò zelo ad frequentem confessionem adducendi, vel in eâ praxi salutari retinendi.

Ut autem in adolescentibus detegantur quæ difficiliùs declarant, peccata nempè luxuriæ, et ut alii pœnitentes cautè hìc, sufficienter tamen interrogentur, sit :

APPENDIX

DE MODO INTERROGANDI IN MATERIA LUXURIÆ.

REGULA I.

717. VERBA intelligibilia sint simul et casta, nihil tamen quærendo inutile (*a*).

Multi enim, cùm eis dicitur quòd quid immeritò negaverint aut fassi sint, affirmant se non intellexisse. Non dubitarem tamen eos aliquandò mentiri aut saltem præcipitanter respondisse.

(*a*) Inutile, hic periculosum est.

REGULA II.

718. CUM nullum contrà castitatem, nequidem cogitationis peccatum confitentur ii de quibus tamen (ut sæpissimè) locus est suspicandi quòd aliqua commiserint; ab universalibus ad particularia, à minoribus ad majora, et à magis notis ad minùs nota, in interrogando, ordinariè procedendum (*a*).

(*a*) Ab uno plura, ab altero pauciora quærendo.

Sic, v. gr. : *malas habuistine cogitationes ? Contrà quam virtutem ?*

1° Si fateantur contrà castitatem : *Nùm consensum præbuisti ?* Si ità : *Quoto circiter tempore ? De quo cogitabas ? An de actu malo, aut de objecto inhonesto ? Ergà quam personarum speciem* [200] *? Quamnam cogitationi dedisti occasionem ? Nùm per aspectum in te vel in alium ? Nùm alloquio, etc. ?*

Nùm motus carnales expertus es? Nùm desiderasti facere quæ cogitabas? Nùm optabas quod faciendi tunc daretur occasio? Nùm satisfacere tentasti? Nùm illi personæ malum proposuisti? Quid fecisti solus? (Quasi certum est, quòd si sæpè saltem cogitationibus, præsertìm diù hæserint, ulteriùs sint progressi, nisi fortè sint jam ætate superiores et indolis maturæ). Progrediendum ergò in interrogationibus et circà peccata solitaria et circà peccata cum aliis. Si fateantur se desideria solos implere tentasse: *In te ipsum tactus inhonestos habuisti?* Si autem dicant se non tentasse, quærendum tamen an aspectus in se inhonestos habuerint, et si ità, certò aut quasi certò ad tactus impudicos devenerunt, et sæpè ad pollutionem. Si nulli fuerint aspectus (ut sæpè nulli fuerunt, præsertìm si fœminei sexûs sit pœnitens) addendum tamen: *Nùm aliquid aliud inhonesti solus tunc fecisti, permittendo tibi in te ipsum quæ non decent, etc.?*

Nota: Ut cognoscatur an usque ad pollutionem pervenerint mares qui seipsos impudicè tetigerunt, et simul pollutionem non edoceantur, si eam feliciter ignorent, quæri potest quoto tempore sese tetigerint; quo fine; an motus carnales experti tunc magnos? An longè majorem voluptatem in fine quàm in initio tactuum senserint? Nùm cessante voluptate tactus cessaverint, vel iterarint novam sibi voluptatem procurare tentando? Vel, nùm aliquid turpe præter tactum præcisè et ex tactu ipsis solis acciderit et quid? Nùm somnia inhonesta habuerint? Nùm linteamenta tunc maculaverint? Et (attentione ad alia aliquandiù conversâ) nùm vigiles experti sint quæ somniantes! Vel nùm viderint alios grandiores se tangentes, et quid emittebant? Nùm fecerint sic? Ordinariè grandiores qui se tangunt, polluunt se; nec, ordinariè saltem, opus est cum eis tanta in quæstionibus cautela; adhibenda tamen.

Puellæ quæ, quamvis citiùs nubiles, tardiùs tamen ordinariè cognoscunt voluptatem veneream, prudentiùs adhùc quàm juvenculi sunt in rebus venereis interrogandæ. In iis cognoscetur pollutio, quærendo nùm motus interiores valdè gratos expertæ sint.

2° Si deprehendantur aspectus aut tactus solitarii quos non certò constet esse venereos et voluptarios [361, *a*]; semper tamen interdicendi multùm. Sed talia venerea sunt ordinariè, saltem si frequentia, etiam non secutâ pollutione, præsertìm in incipientibus adolescere [379, *a*].

3° Multò rariores, præsertìm in fœminis (saltem pudendorum) in se vel in alios aspectus quàm tactus, sive quia pudicitia ab his magis abhorret, sive quòd ii veneri minùs inserviant. Attamen valdè aliquandò anxiantur quæ se, mediante speculo impudicè aspexerunt, et quæ, mediante aliquâ re introductâ, sese tetigerunt. Operæ ergò pretium est post quæsita et inventa dicere eis modum et quod adhibuerint ad se aspiciendum aut tangendum, non esse necessariò declaranda. Alioqui plures anxiarentur.

Quoàd peccata cum aliis commissa, quæritur sine periculo de amplexibus et osculis, dein de tactibus et aspectibus habitis aut permissis in pectore, tùm in pudendis, sive leviter aut trans vestes, sive morosè aut immediatè et semper ultrà progrediendum: *Nùm ultimum malum fecistis? Diabolus tàm malus est, et infirmitas humana tanta, ut non mirarer vos hùc usquè devenisse.* Si ità, addendum: *quoties? Nùm concepta proles? Quid impediit, etc.? Prior sollicitasti?* Et si puella audiatur: *Non mirarer quòd impellente diabolo, prior proposueris, aut saltem multùm attraxeris;* et sic de amplexibus, tactibus (ferè nunquàm fœminæ hanc circumstantiam declarant. Attamen plures juvenculi dicunt se fuisse priùs sollicitatos et à fœminis perditos, ut filii-fami-

lias ab ancillis, famuli ab dominabus). Tandem usquè ad inquirendum de sodomià et bestialitate deveniendum, si responsa locum dent hæc suspicandi, ut de sodomià legitimè suspicio habetur tùm de iis qui cum eodem sexu tactus habuerunt, tùm de fornicariis qui toti se voluptati dederunt, tùm de conjugatis qui omnes castitatis regulas sunt transgressi : et de bestialitate qui mollitiei seu secretæ pollutioni dediti sunt.

Nota 1° Qui bestialitati aut sodomiæ strictè dictæ dediti sunt, rarò cum altero sexu peccant.

2° Puellæ sæpè solùm familiaritates cum altero sexu confitentur, dùm tamen ad ultima devenerunt.

3° Utriusque sexûs pœnitentes solas sæpè cogitationes malas declarant, cùm ad tactus et pollutionem tamen devenerunt.

4° In praxi ergò parùm se versatos fuisse ostenderunt auctores qui scripserunt non esse de tactibus, etc., interrogandum, quandò nulli fuerunt amplexus. Sunt enim loca in quibus statim ad fornicationem veniunt.

2° Qui, sive interrogati, sive non interrogati dicunt se non habuisse cogitationes malas contrà castitatem, aut eas statim abjecisse, non sunt ultrà interrogandi, si (et hoc attentè nota) maturæ sint indolis et ætatis; quod in multis non reperitur antè annum 20 aut 25. Sed extrà hanc suppositionem, non sistendum in interrogationibus, quidquid in contrarium dicant saltem quos legi auctores. Inveniuntur enim plures qui cogitationes nullas se habuisse dicunt contrà castitatem, qui tamen pollutioni et ejus præambulis sese dederunt. Quin et reperiuntur qui se polluendo cogitationes fornicationis fortiter repellunt, creduntque sufficere hoc ad vitandum peccatum. Inquirendum ergò ab his, ut suprà, an, etc. Nec sistendum, etsi ad prima quæsita negativè respondeant, se, v. gr., sermones de inhonestis non audivisse, vel de his non recogitasse; se nec affectum ergà personam alterius sexûs habuisse; sed inquirendum nùm induendo v. gr., aut exuendo vestes, aspexerint quæ aspici non debent, et quo animo? Nùm in pectore? Nùm alibi? Nùm per delectamentum aut curiositatem. Si aspectus libidinosi detegantur, quasi certum est tactus fuisse comitatos et sæpè pollutionem.

Si impudicè se non aspexerint, non sistendum adhùc, sed de tactibus inquirendum, sic, v. gr. : nùm modestè tenes te in cubili? Nùm sine necessitate aliquà manus tuæ sunt aliquandò ubi non oportet? Nùm ex intento eas ibi reponis? Num ob delectamentum, etc.

Nota 1° Circà somnia interrogandi ii qui nihil circà cogitationes malas fatentur. Sæpè enim indicant mentem fuisse interdiù sic occupatam.

2° Puellæ primùm interrogandæ sunt de aspectibus et tactibus in pectore, dein de aliis. Hi ordinariè polluunt. Illi non item ordinariè, sed tamen sæpè.

3° Cùm amplexans, aut amplexata interrogantur, inquirendum an cum compressione corporis, præsertim ab antè et morosè; quia tunc sæpè est in amplexatà pollutio; rariùs in amplexante, sed sæpiùs motus carnales. Aliundè sæpissimè in utroque est fornicationis cogitatio, imò et desiderium. Addendum ergò : cogitabas quasi malum ultimum fecisses, etc.

Et de pollutione prudenter quærendum nùm in amplexibus et osculis ordinariis locum habuerit?

4° Cùm post necessaria quæsita pœnitentes inveniuntur non rei, statim sistendum vehemensque horror de jam quæsitis incutiendus, quia non solùm summoperè cavendum ne ediscant quæ nesciunt, sed ne tentent facere ea. Attamen ex centum ne unus fortè facit quod ab eo prudenter petitum est,

aut suspicatus fuerit ex interrogationibus, dùm multi diù in vitio perseverant, quia nullatenùs aut non sufficienter fuerunt interrogati.

REGULA III.

719. E CONTRA cum iis qui graviora confitentur, à majoribus ad minora est in interrogationibus procedendum. Hæc enim minora, cogitationes nempè, desideria, aspectus libidinosos in facie, in pectore, quibus singulis ferè horis sese maculant, non attendunt. Sunt enim peccata distincta, nec sufficit quòd confessarius ea supponat, nam ex concilio Tridentino declarari debent, nec sunt in omnibus libidinosis numero æqualia, quin potiùs longè in aliis quàm in aliis numero majora.

Fides vix adhibenda aggressoribus cùm dicunt nullas se habuisse extrà actum cogitationes et desideria mala; sed id non raró credendum videtur de iis qui crimini simpliciter consensum dederunt, ad venerem aliundè non proclives.

REGULA IV.

720. INQUIRENDUM de modo et circumstantiis quæ speciem mutant, nisi probabiliter in actu accusato non invenirentur (*a*). Sed exceptâ actûs duratione, de quâ inquiri debet, si agatur saltem de actibus internis; de modis particularibus aliisque circumstantiis quæ malitiam fortè notabiliter augerent, non est inquirendum; hoc enim fœtidum nimis et periculosum (*b*).

(*a*) Inquirendum de consanguinitate, etc., et de impeditâ conceptione in fornicationis actu. Sed hìc magnâ opus cautelâ ut malitiam hanc vel potiùs scelus, non edoceantur qui hoc ignorant, etsi pauci sint, dicendum, v. gr.: *Nùm concepta proles? Quid impediit?* Nùm (si puella interrogetur) *huic malitiæ consentiebas? Nùm eam consuluisti?*

(*b*) Sic communiter, quia, inquit Billuart, satiùs est statum pœnitentis non omninò intelligere, modò tamen sufficienter cognoscatur, quàm contaminationi se exponere aut pœnitentem. Quæ sententia in principiis fundatur; in illo nempè quòd leges positivæ, qualis lex de integritate confessionis, non obligent cum gravi incommodo. Sed indè concludendum videtur quòd in casibus in quibus nullum est nec pro pœnitente nec pro confessario periculum probabile (qui casus non sunt anxiè examinandi), interrogatio fieri debeat cùm probabiliter suspicatur fuisse in modo, etc., malitiam notabiliter majorem, præcipuè cum experientiâ constat circa hoc inquietos

esse pœnitentes multos qui hos extraordinarios peccandi modos vel conticentur vel non sine remordente conscientiâ prætermittunt. Etsi ergò modorum et circumstantiarum extraordinariorum et notabiliter malitiam augentium, brevis inquisitio castis verbis facta ad nihil inserviret quàm ad pacem pœnitentis, absente periculo, facienda foret; si judicetur non facienda, pœnitenti dicendum, nullam ampliùs, quæcumque sit, circumstantiam esse declarandam [261, *a*].

REGULA V.

721. BREVITER, quantùm fieri potest, in hâc materiâ pœnitentes sunt interrogandi, præsertim si multùm habitualiter tententur; et si aliquo modo cognoscatur (verbis, motibus, etc.), quòd hìc et nunc, sistendum prò tempore, ad alia transeundo, monendique ut mentem ad Deum elevent; quæ in interrogationibus interruptio consulitur ordinariè cùm longiori tempore durare debent, sed monitis pœnitentibus, eas non esse finitas.

Nota 1° Aliquandò omnibus per interrogata tentatis, nihil certi invenitur. Tunc in genere omne interdicitur inhonestum, et omnia judicio Dei derelinquuntur, nisi pœnitentem peccata reticere meritò judicet, aut saltem de hoc prudenter eum suspicetur confessarius.

2° Cùm luxuriæ peccatis multùm obruitur pœnitens, non solùm juvandus est in accusatione; sed cùm magnam ostendit difficultatem, per interrogationes facienda est in hâc parte ejus confessio.

3° Puellæ confitendo amplexus, oscula, etc., quæ permiserunt, non raró aiunt mendaciter se fortiter obstitisse. Et è contrà aliquæ ex simplicitate confitentur quòd amplexus, etc., permiserint, cum sufficienter tamen obstiterint.

4° Optandum quòd confessarius præcognoscat vitii turpis in loco ubi audit confessiones, regnantem audaciam vel occultantem se turpitudinem; quò enim majori in opprobrio est publica libido et quò rarior, eò sæpè frequentior secreta et solitaria, eòque facilius in confessione peccata reticentur. Ubi rara fornicatio et castitas multùm in laude, puellæ difficiliùs simplices amplexus confitentur quàm alibi fornicationes.

§ IV.

Cum juvenibus.

722. Cavendum ne paulatim, ut sæpiùs, deperdant spiritum pietatis, ergà parentes reverentiam et obedientiam; et iis interdicenda iterùm atque iterùm malorum commercia ordinariaque ætate hâc vivendi licentia, omnia demùm, etiam sub spe matrimonii proximè futuri, cum personis alterius sexûs secreta et extrà parentum conspectum colloquia.

Non tardè ad matrimonium hortandi qui nubere volunt, et ad illud, ex propensione præsertim honestâ ad alium sexum et ex amore prolis, vocati videntur.

Quin et per sacramentorum interdictionem cogendi qui ad matrimonium vocati sunt, si protrahant, cùm ità vehementes habent carnales appetitus ut nulla fere sit spes quòd alio remedio peccata tollent, et quia quisque tenetur assumere remedia peccatis suis; et quia si diù in voluptatibus antè matrimonium sordescant, nec post casti erunt.

Qui verò amore castitatis celibatum amplectuntur, sunt in tàm felici proposito confirmandi; qui autem ex necessitate, ad amorem sui statûs adducendi, dono castitatis à Deo, qui non improperat, postulato.

Sed inter juvenes curâ indigent speciali qui ad statum religionis aut clericalem se destinant. Omni zelo ergò adducendi ad vitam castam piamque, ostendendo illis, quorum non talis vita quantùm proposito terga vertant.

§ V.

Cum iis qui se ad matrimonium proximè disponunt.

723. Hi pluries in confessione audiendi, si possibile. In primâ, quam citiùs, (tribus circiter saltem antè matrimonium hebdomadis) fieri sæpissimè necessarium est, monendi ut nuptiarum diem nisi de utriusque confessarii consilio non determinent; ut tempus sponsalium in quodam quasi recessu

transigant, nunquàm aut raró mutuò invisendo se et solùm in parentum præsentiâ, nihil sibi invicem, etiam sub amicitiæ prætextu, permittendo, quod castitatem periculo exponat vel parùm, excepto, non sine anxietate, simplici, urbanitatis causâ, in salutatione amplexu; tandem ut precibus aliisque vacent operibus bonis (*a*).

(*a*) Jam antè sponsalia de fine et oneribus matrimonii instrui debuerunt qui ea ignorant. Sed nùm de necessariis ad habendam prolem instruendi ii qui castè vixerunt et hæc prorsùs nesciunt? Non puto talem esse praxim. Attamen multæ post matrimonium dicunt quòd si hæc scivissent, nunquàm nupsissent, et ex iis aliquæ ex debiti denegatione aut saltem difficili concessione periculum salutis subeunt. Undè non vituperarer confessarium, ut nihil ampliùs dicam, qui ex pœnitentis indole, complexione, etc., futurum prævidens quòd ab actu conjugali quem ignorat abhorrebit aut saltem eum ægrè feret, illum castè moneret quòd in matrimonio permittere tenebitur, quæ cum nunc meritò valdè offenderent. Addo tamen nihil faciliùs quàm hìc falli. Multæ enim aliter in matrimonio quàm anteà afficiuntur. Nollem ergò simpliciter avertere ab hoc statu, nisi clara haberem ad virginitatem vocationis indicia, multùmque timerem imaginationem pœnitentis lædere.

---

724. Qui quasi usquè ad matrimonii diem in habitibus pravis perseverârunt, non obstantibus præsertìm confessarii monitis, non sunt absolvendi, nisi extraordinaria dent veræ conversionis signa;

Etiamsi matrimonii statum amplectantur ad finienda peccata;

Et ut extraordinaria pœnitentiæ signa non reputes semper gemitus et lacrymas; veniunt enim tunc sæpè potiùs ex tristi in quâ versantur necessitate, quàm ex verâ contritione (*a*).

(*a*) Hæc, quæ sunt contra nonnullos, in principiis fundantur. Nunquàm enim, excepto mortis periculo, absolvi potest is de cujus contritione non habetur moralis certitudo. Aliundè matrimonium omnibus peccatis finem non imponit.

Attamen tunc ob quamdam necessitatem, non tàm longa quàm in aliis circumstantiis, exigenda probatio, modò tamen cum signis doloris conjuncta sufficiat ad efformandum judicium prudens de conversione.

Sunt confessarii optimè *practicantes* qui sine ullâ ferè probatione absolvi posse arbitrantur in præsenti circumstantiâ juvenem qui hùc usquè de salute non cogitans luxuriosè vixit, sed monitis confessarii non est abusus, cùm supponatur non, vel non nisi à longo tempore confessus. Sed requirunt

ut confessarii adhortationibus affectus, vero dolore conteratur. Quæ non improbo, si vera det contritionis saltem plùs quàm ordinariæ signa, firmique propositi, et à fortiori si locus sit sperandi quòd mutatio statûs in mutatione voluntatis et occasionum elongatione confirmabit illum. Intacta enim in hàc praxi manent principia, cùm non de perseverantiâ, sed solùm de contritione requiratur moralis certitudo ad absolvendum.

Cùm inveniuntur qui, non obstante absolutionis denegatione, sacramentum matrimonii suscepturi prævidentur, nescio an non sine magnâ imprudentiâ illis dicere posset confessarius : non possum absolvere te. Si tamen te ex amore Dei perfectè contritum existimare posses, sacrilegium nubendo non committeres. Facilè enim se crederet contritum, láqueusque ipsi injiceretur.

Sunt qui existiment posse pœnitentem non moneri de sacrilegio quod faceret nubendo sine absolutione et non contritus: sed relinquendum in bonâ fide (difficilè est in bonâ fide, si fuerit instructus circà dispositiones ad sacramenta) et solùm fortiter hortandum ut paulò post ad confessarium revertatur. Addùnt quod saltem minùs grave faciet sacrilegium quàm qui non esset in bonâ fide. Sic ferè auctores libri *Miroir du clergé* [693, *a*].

---

725. Si alterutrius nupturi confessionem audiendo [860], occultum aliquod detegatur impedimentum dirimens (quod facilè ex responsionibus ad quæsita tunc facienda invenietur, si impedimentum sit ex affinitate ex copulâ illicitâ, quod non rarum; aut ex crimine), statìm obtinenda est dispensatio.

Quòd si per tempus non liceat, monendus pœnitens de impedimento, saltem si prævideatur non ultrà progressurus antè dispensationem, et usquè dùm obtineatur (*a*), ipsi consulendum, aiunt, ut votum castitatis pro tempore emittat ad effectum prætextandi matrimonii dilationem.

(*a*) Etiamsi ultrà progressurus prævideatur, inquiunt aliqui, (et sic docebatur in seminario Bisuntino), quia matrimonii validitati confessarius tenetur consulere.

Ast in suppositione quòd, non obstante monitione, ultrà progredietur, matrimonii validitati non consuleretur [694]. Solùmmodò esset spes quòd pœnitens matrimonii sui nullitatem jam cognoscens, illud posteà, et brevi restauraret. Ast facietne? Et quot eò usquè mala? Meliùs ergò videtur ut non moneatur, sed sub aliquo prætextu amplioris, v. gr., circà matrimonii obligationes instructionis obtinendæ, quas alter confessarius dare non posset, ad eumdem confessarium, utpotè conscientiæ pœnitentis jam depositarium, reditum paulò post spondeat firmiter, et tunc modo infrà dicendo, matrimonium restaurabitur.

Sed si ad eumdem confessarium redire nequeat, quid? Ipsi jubendum ut iterùm accuset peccatum (impedimentum inducens) in primâ confessione, ad utilissima accipienda consilia, dicendo expressè se id facere ex jussu prioris confessarii.

Quòd si spes multùm probabilis non sit sic acturum pœnitentem, vel pro-

habiliter timendum sit ne confessarius ad quem accedet non videat cur huic pœnitenti talis facta sit jussio, de impedimento monendus videtur. Si ultrà progrediatur, sibi miser imputabit, et conscientiæ remorsibus agitatus, remedium in sui matrimonii restauratione quæret, de quo monebitur.

Excipe si adeò laxæ sit conscientiæ ut prævideatur, aut saltem prudenter timeatur in concubinatu remansurus. Tunc enim non videtur monendus.

Talibus angustiis cautum esset ab Episcopis, per obtentionem à sanctâ sede potestatis in tali casu dispensandi, et cuivis confessario hujus potestatis subdelegationem faciendi [860 l].

---

726. In ultimâ antè celebrationem matrimonii confessione, edocendi sunt iterùm nupturi finem matrimonii, et si jam copulam sive inter se, sive cum aliis habuerint, nullum ordinariè scandali periculum eos tunc instrui de licitis et illicitis inter conjuges.

Si verò ignorent, aut scientes copulam, eam tamen numquàm habuerint, ad minùs dicendum tunc ipsis licitum esse conjugibus quidquid ad prolis procreationem necessarium est; sed ultrà nihil inhonesti faciendum. In primâ confessione aliquibus post diebus facienda, edocebuntur ulteriùs suas obligationes. Sed de hâc instructione accipiendâ confessarium moneant (*a*).

Cæterùm monendi futuri conjuges bonum esse, ob reverentiam sacramento debitam, sed non necessarium, noctem primam, imò, ut Tobiam docebat angelus, noctes tres in continentiâ transigere, nisi vehementes uterque aut alteruter tentationes experiatur.

(*a*) Sic plurium praxis, saltem olim. Ast recenter nupti sæpè ad tribunal nisi longo post matrimonii celebrationem tempore non redeunt, onerati proindè peccatis multis contrà castitatem conjugalem, æstimantes omnia in matrimonio esse licita. Quin et ii qui post quindenam redeunt, jam sæpè multa commiserunt. Satiùs ergò in ultimâ confessione edoceantur sufficienter ut gravia evitent; obligationem 1° reddendi debitum; 2° vitandi extrà actum quidquid in utroque aut in alterutro pollutionis periculum induceret, ut tactus impudici, præsertim protracti qui ad actum non essent præparatorii; aut quidquid prolis conceptionem impedire posset, quæ altâ mente habeant reposta. Sed hæc, sicut modestè, ità clarè. Multi enim, etsi sic edocti, contrarium faciunt, excusantque se ex eo quòd, inquiunt, aut non intellexerint præscripta, aut fuerint obliti. In genere monendi atque monendi ut nihil faciant cum conscientiâ dubiâ.

Nota : Non videtur ordinariè admittenda praxis quam insinuant auctores qui non *practicarunt* (inter quos D. Bailly cujus theologia in omnibus ferè Galliæ seminariis nunc adoptatur), remittendi nempè recenter nuptos ad

patrem matremve, ut actum conjugalem edoceantur; aut enim eos interrogare non audebunt aut à malè edoctis malè edocebuntur.

§ VI.

Cum matrimonio junctis.

727. Ni nupti noscantur implere, identidem revocanda eis in mentem mutua amicitiæ, precum, exempli, justitiæ et fidelitatis officia.

Necessariò edocendi qui nondùm aut non sufficienter edocti sunt sanctum matrimonii usum [887]; et si jam sufficienter edocti, interrogandi tamen, præsertìm recenter nupti, temporibus, v. gr., paschatis, jubilæi et aliis extraordinariis, nùm quid eos circà debitum conjugale et actum non remordeat, et in particulari nùm non timeant habere prolem, nùm non pollutionem extrà, etc., sibi procurent, præmonendo ægrè fieri talia quæsita, sed necessarium utpotè, quòd multi damnabuntur ob peccata in statu matrimonii quæ nec levia reputabant (*a*).

Cùm præsens datur instructio, ingerendum priùs ejus desiderium, monendique ut cor ad Deum elevent; et si detur jam ab aliquo tempore nuptis, meliùs datur per modum interrogationis circà peccata in usu matrimonii fieri solita. *Fecistine hoc? grave*, vel *leve est* (formanda enim eorum conscientia). *Ob levia eundum in purgatorium. Majora adhùc mala sunt quovis malo temporali.* Vel : *hoc valdè periculosum, omninòque omittendum* (si nempè de iis agatur de quorum levitate non certò constat, ut de tactibus impudicis extrà copulam, sine pollutionis periculo) et addendum semper, saltem si quid grave inveniatur, aut quod fortè tale reputaverint : *jamdudùm circà hoc dubium gerebas quod pudor aut timor aut forsan defectùs timoris peccati exponere impediebat. Interrogari cupiebas.*

Sæpè vel ob ignorantiam lethalem, vel ob errorem conscientiæ iterandæ erunt anteactæ confessiones.

Nota 1° Qui jam sufficienter circà debitum edoctus, adhùc edoceri postulat, suspicandi locum dat ne intentione libidinosâ moveatur, nisi timoratus sit.

2° Cùm unus accusat peccatum utrique conjugi commune, monendus est ut curet conjugem illud confiteri, præsertìm si ipsius causa extiterit; et addendum : *sic confitebitur*, etc.

3° Mulier indolis tristis (quod vel ex tono vocis dignoscitur) ordinariè de recusato debito, sed cautè, interroganda est, præsertìm si querimonias cum viro habuerit.

(*a*) Nunc cùm ignotus auditur, prudenter ab eo quæritur quot habeat infantes, ut peti possit nùm ipse, nùm conjux timeat habere prolem. Numerus tamen filiorum, etiam grandis, non semper indicat conjuges non esse saltem identidem onanistas, quin potiùs sæpè causa est.

§ VII.

Cum viduis et viduabus.

728. Quasi vitâ totâ tentantur vidui perplures, ancillisque suis et nuribus insidiantur. Melius esset ipsis nubere quàm uri.

Videat confessarius nùm de omnibus quæ ad filiorum, ex parte matris, bona spectant juraque ordinaverint, ubi opus.

Viduæ juniores, verè viduæ sint, aut nubant iterùm.

Moneantur quæ iterùm non nubendi propositum habent, quòd ab eo deflectent quasi certò, si amasios quosvis non statìm repellant.

Et ut à domesticis, sive famulis, sive operariis, sive negotiorum suorum gestoribus, continuò caveant.

Et tandem ut familiæ invigilent, auctoritatemque integram in filios conservent.

§ VIII.

Cum moribundis.

Alii, ut ordinariè, sensum habent, alii sensu carent, alii audiunt, etc.

QUÆSTIUNCULA I.

Agenda cum moribundis qui sensibus fruuntur.

729. Cum morbus periculosus est, infirmus statìm monendus ut confessionem non differat, addendo ipsi meliùs ex eâ in morbo futurum.

Si dicat se non sat præparatum, nec tempus urgeat, tempus non longum ipsi concedetur, dicendo : *Adjuvabo te*. Quod et itidem dicendum si intricatam videatur habere conscientiam, notando hìc quòd si absolutione indignus exteriùs cognoscatur, priùs de omni ad eam recipiendam necessario sit cum eo tractandum, ne ejus confessio incassum audiatur.

Si confiteri renuat, omni zelo patienter urgendus est, offerendo ipsi quem voluerit confessarium, qui, si externus advocetur, à parocho sciscitabit de his quæ ad infirmi conscientiam spectant, si parochus eum monere ipse non curet (*a*).

(*a*) Rituale Bisuntinum, post Innocentium III medicis præcipit ut antequàm ægrotantium curam suscipiant, eos de confessione moneant, denunciantes quòd si in quatridui spatio nòn fuerint confessi, eorum curationi deficient; et S. Pius V ipsis prohibet ne ultrà tertium diem eos visitent. Peccant ergò graviter medici qui his non obediunt ubi vigent.

Sed ubique viget lex charitatis. Undè sub gravi de periculo vitæ monendi sunt ægrotantes ad mortem.

Addit rituale Bisuntinum medicos debere parochos monere de ægrotis suæ parochiæ.

Sed quid si infirmus confessionem recuset, præsertìm si iterùm atque iterùm et demùm agonisans sensu privetur? Nec absolverem, nec oleo ungerem, nisi saltem rationem habeam dubitandi de mutatione ipsius voluntatis. Nec mihi sufficeret mera mutationis possibilitas. Et hìc nota testimonium parentum quòd confessarium tandem petierit moribundus, non solùm certitudinem non semper parere, sed aliquandò vix dubium, et aliquandò fortè nullum.

---

730. Acceptata ab infirmo confessio, qualis fieri debeat, videbit confessarius.

Si non fiat generalis (*a*), sedulò tamen interrogandus de vitâ præteritâ foret circà ea præsertìm in quibus erroneam efformant sibi ordinariè conscientiam [547, *a*].

Sed quæcumque fiat, semper, sicut et examen, proportionata esse debet statui actuali infirmi, aliquandò partienda, si per tempus liceat; aliquandò per summa solùm capita facienda, urgente nempè tempore, curando magìs de contritione quàm de integritate confessionis; nec faciliùs credendum non instare periculum.

Hìc nota sedulò quòd si præcipitata fuerit confessio, aut cum signis contritionis dubiis data in necessitate absolutio, monendus sit semper infirmus se, cessante causâ, v. gr., vehementi capitis dolore et à fortiori si convalescat, teneri accuratiorem facere confessionem, majoremque contritionem ciendam. Dicendum ergò: *Accerses me, si non sat citò revertar* (revertendum citiùs) *et dices mihi : reconciliari cupio. Imò, ne obliviscaris, permitte mihi dicere tibi tunc : dixisti quòd velles, quandò revertar, iterùm audiri; en ergò audiam te. Imò etiamsi dicas te nihil habere ampliùs dicendum, permitte ut dicam : oblitus es, et ut te iterùm audiam.*

Et hæc contrà sigilli violationem cautela adhibenda, præsertìm cùm infirmi audita confessio est, sed nondùm ipsi data absolutio. Sæpè enim fiet quòd confessario revertenti et interroganti (ut semper fieri debet) nùm quid adhùc dicendum habeat, respondebit negativè.

Sed quid si cautela adhibita non fuerit nec data absolutio, et respondeat infirmus se nihil ampliùs habere dicendum, nec dilationem morbus ferat? Excitabitur ad contritionem sicut excitantur alii infirmi, non magìs, et absolvetur, expectando, si licet, tempus ceremoniarum extremæ-unctionis, quia tunc faciliùs nullo advertente absolvetur. In utrolibet casu absolutio datur per verba omninò necessaria, submissâ voce et nullo facto signo crucis, si aliter fieri tutò nequeat.

Nota iterùm : Quandò mulier auditur in partu, etsi periculum non instet, breviùs quàm fieri potest, facienda ejus confessio (*b*).

(*a*) Non facienda sine necessitate, nec leviter permittenda timoratæ conscientiæ personis. S. *Salesius*, in Constitutionibus ecclesiæ genevensis.

Sed ut timoratæ conscientiæ habentur aliquandò qui in sacrilegio vivunt. Undè permitterem confessionem generalem exposcenti eam, præsertim si enixè, nisi eam nocivam judicarem. Et non multùm timoratis ferè semper eam consulerem, nisi sæpè jam eam fecerint, nec ultima longè distet.

(b) Non debet confessarius à vulneratis aut puerperis, si nequeant ab assistentibus deseri, aliud exigere nisi ut accusent se in genere de peccatis et in particulari de aliquà culpâ levi cum proposito integrè confitendi, si convaleant. *Pastoralis Basileensis*. Supponitur quòd confessio auricularis, vel brevissima, impossibilis sit. Sed teneturne infirmus publicam, etsi de uno solo veniali, facere confessionem? Saltem hoc eum non gravabit, cùm nullus sit qui venialia non commiserit omnibus nota.

QUÆSTIUNCULA II.

Agenda cum moribundis sensu orbatis.

731. Moribundus sensu orbatus, vel est in actu peccati; ità ut tempus non habuerit pœnitendi, vel est solùm in peccato.

Si priùs, non potest absolvi (*a*).

Si posteriùs, vel petiit confessarium, aut alia dedit pœnitentiæ signa quæ adstans referat per se vel per alium, et tunc est absolvendus, quia adest confessio generalis implicita.

Vel nulla dedit pœnitentiæ signa, et tunc distinguendum adhùc : vel enim vitam christianam duxit (*b*), vel non.

Si vitam christianam duxit, præsertìm si post lapsus confitebatur, saltem sub conditione, *si tu es capax*, absolvendus videtur, quia vita christiana confessio virtualis est, nec ullus fidelis qui nolit tunc confiteri, et christianè mori (*c*); aliundè adest tunc materia saltem dubia, etc.

Si verò vitam christianam non duxit, eò usquè quòd eam omninò abjecerit, ità ut nullum christianismi signum ampliùs dederit, præsertìm si aiebat se nequidem in morte sacramenta recepturum, non est absolvendus; quia tunc nequidem dubia adest materia; et in sententiâ eorum qui totum sacramenti constitutivum in absolutione reponunt, nequidem dubiæ sunt dispositiones ad sacramentum essentiales (*d*).

(*a*) Nisi saltem adsit dubium, non mera possibilitas, et habuerit tempus pœnitendi et vitam christianam duxerit.

(*b*) In dubio autem an moribundus vitam christianam professus sit, cùm nempè nullum super se habet religionis indicium, nec illum cognoscunt adstantes, non audet Billuart damnare qui eum absolveret. Videtur enim

esse tunc adhuc materiam dubiam. Absolverem saltem sub conditione : *Si es capax et opem Ecclesiæ expostulas*, licèt hic ignotus inveniretur in proximo religionis acatholicæ, vel ubi catholici cum hæreticis permixti vivunt.

(c) Sic communissima recentiorum opinio et praxis, contrà omnes veteres. Quin et aliqui recentissimi ultrà progrediuntur et absolvendum dicunt, etsi vitam christianam non duxerit, propriè loquendo, modò non omninò fidem abjecerit, quia, inquiunt, non omninò certum est eum esse indispositum.

Fateor quòd cum illis sentirem, si quædam daret signa, saltem dubia, et verè auctores plures ex iis qui non tàm longè in suâ sententiâ progrediuntur pro ratione afferunt quòd motus corporis, labiorum, etc., sint signa dubia confessionis. Sed si nulla det, valdè anceps hærerem ; sive quia mera possibilitas non facit dubium, alioquin omnia dubia; sive quia absolvendi forent qui in actu peccati moriuntur, modò adsit inter peccatum et mortem instans physicum; sive quia jam longè in hoc puncto ab antiquis recessimus.

Equidem sacramenta propter homines; sed non eò usquè extendi debet hoc vulgare ut prævaleat his Christi : *Nolite dare sanctum canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos.* Nulla, neque Conciliorum, neque Patrum, neque Ritualium saltem parùm antiquorum afferri potest in favorem hujus sententiæ auctoritas. Aliundè talis moribundus non est in necessitate extremâ strictè dictâ, cùm possit aut modò potuerit habere contritionem perfectam.

Benignissimam tamen hanc opinionem, sicut non probat, ità nec damnat praxis Bajocensis.

(a) Sunt et qui tunc absolverent innixi semper effato [778, c] : *Sacramenta propter homines*, et quia non certò falsa est scotistarum totum sacramentum in absolutione reponentium sententia. Sed hæc jam confutata. Addunt sufficere quòd ex centum millibus qui sic vixerint, unus postulet absolutionem. Sed respondeo iteranda ergò omnia baptismata, si ex centum millibus unum esset invalidum (quod negare nollem). In ratiociniis debet esse tandem terminus, et moralia non arithmeticè intelliguntur.

Nota : Antequàm absolvatur sensibus destitutus, videndum tamen, si per tempus liceat, an non possit adhùc aliquid intelligere, et, si fortè, confessio facienda est per motum capitis, manuum compressionem, etc.

Sed etsi nullum omninò haberi possit signum quod audiat, videat, etc., suggerenda tamen confessio generalis, et actus necessarii aut opportuni antè absolutionem in extremis, à necessariis incipiendo, si timor foret ne infirmus moreretur non acceptâ absolutione.

Hi autem actus necessarii aut opportuni in confessione moribundorum aut periclitantium sunt actus fidei, spei et desiderii finis ultimi, charitatis, contritionis, etc.; dein monendus moribundus quòd statim absolvendus sit; danda ei pœnitentia et præsertim oblatio status præsentis, et lubens acceptatio mortis in peccatorum expiationem, omnia in unione cum Christo moriente; tandem invocatio saltem mente SS. nominum Jesu, Mariæ, Joseph, etc.

Nota iterùm : De phrenetico qui renuit confiteri, eadem ferè ac de sensu destituto dicenda. Sed si anteà non confitebatur, *præsumi potest*, inquit D. Dens, quòd ex pravo suo habitu recuset.

Nota tandem : Infirmus semel absolutus, etsi sensu diù privatus remaneat ; item qui in perpetuam incidit amentiam, imò et agonisans, non debet ordinariè iterùm absolvi, nisi præsumatur iterata confessio sensibilis, v. gr., aliquo signo, et peti saltem tacitè absolutionem. *D. Dens, P. Ant. à Goritiâ.*

QUÆSTIUNCULA III.

Agenda cum infirmis aliisve qui audire nequeunt.

732. Si non nisi difficillimè audire possunt, evacuanda domus à præsentibus [64, c].

Si nullatenùs, per signa facienda est confessio, et ingerenda contritio per percussionem pectoris; desiderium finis ultimi per elevationem oculorum in cœlum, etc.; et si nequidem percipiat infirmus ipsi proponi faciendam confessionem, confessarius genuflexus paulisper oret, detecto capite, sicut fieri solet antè auditionem confessionum. Dein ad lectum sedeat, caput discooperiat, signum crucis efformet dicendo : *Dominus sit*, etc., et posteà aurem præbeat, aliaque, si opus sit, signa faciat.

Nota generaliter in præsenti materiâ 1° : Cùm jam præsente viatico, audiri iterùm postulat infirmus (quod ipsi semper offerendum) vel agitur de confessione oblitorum præcisè, et tunc nulla difficultas.

Vel agitur de iterandis confessionibus; aut incapax absolutionis aliundè invenitur æger.

In utròque casu, vel instat periculum mortis, vel non instat.

Si priùs, facienda est in priori casu confessio generalis per summa gravioraque capita; et in posteriori moribundus reddendus est, quantùm fieri potest, absolutionis capax, absolvendusque, etsi solùm dubiè dispositus.

Si posteriùs, vel potest sine infamiâ differri confessio, et tunc differenda, suadendo infirmo ut dicat, aut alius ipsius loco (vel ipse confessarius de expressâ pœnitentis licentiâ), se non habere mentem sat tranquillam et liberam ut jam communicare possit, etc., et de ipsius adhùc licentiâ paulò post redibit confessarius.

Si autem sine infirmi infamiâ differri nequeat communio, statìm, ut suprà, facienda est confessio generalis et absolvendus æger si judicetur aliundè dispositus, monendo eum ut redintegret confessionem statìm ac poterit.

Sed si infirmus non judicetur aliundè dispositus, etsi non agatur de confessione generali, utpotè qui contritione careat ob pravos habitus, etc., monitis, ut suprà, datis adstantibus, ad tempus sufficiens remittenda, in quantùm sinit morbus, et absolutio et communio. Si enim infamia causa sit sufficiens ut non integrè fiat confessio, non sufficit ut absolvatur vel dubiè dispositus.

2° Curare debet confessarius ut moribundus domui suæ disponat, sed dispositionibus ejus ultrà quod conscientia postulat, non immiscendo se ullatenùs.

AGENDA

CUM IIS QUIBUS DENEGANDA AUT DIFFERENDA ABSOLUTIO EST.

§ I.

Cum iis qui signum doloris veri aut nullum dant aut insufficiens, carentve proposito sincero peccata vitandi.

733. Contritionis indicia sunt aut vera (*a*) aut falsa (*b*) aut dubia (*c*).

Signa vera et certa moraliter, seu ex quibus prudenter, id est, multò probabiliùs judicari possit adesse contritionem, ad absolvendum requiruntur et sufficiunt.

Dubia sufficiunt in casu necessitatis.

Falsa nunquàm.

(*a*) Ut dolor statim post peccatum; sinceritas et humilitas in accusatione; animus dictis confessarii subjectus et præcipuè habitualis timor peccati. Non singula tamen sufficientia sempèr.

(*b*) Ut assertio de contritione, facta à pœnitente, qui vel conscientiam non examinavit (nisi sit homo valdè simplex) vel sincerus non apparet nec humilis, sed modò fatetur, modò negat (ni improvisè tamen, aut ex subreptione, perturbatione vel errore sic respondeat); cum confessario ratiocinatur ineptè, peccatorum gravitatem excusat, aut minuit numerum; levitatem mentis et evagationem vel in ipsâ confessione ostendit, (ni ætas excuset aut indoles) sed præsertìm faciliter peccat cùm occurrit occasio, non tentatione aut illecebrâ graviter attractus, sed timore et amore Dei destitutus; fidem datam jam violavit per relapsum; officia pietatis notabiliter negligit; laxè vivit, etc. Quales qui nullo ferè impedimento irretiti, missam diebus de præcepto festivis facilè omittuat, operibus servilibus his diebus

jejunent, carnes vetitas comedunt, aliave similia faciunt ad quæ non inclinat multùm natura corrupta, bibentes quasi aquam iniquitatem, etsi nullis pravis habitibus irretiti.

(*c*) Ut sensibilitas ex indole ferè unicè proveniens, etsi aliquandò fluant lacrymæ; vel transiens solùm commotio. Sed multùm præsertìm diffidendum de contritione illius qui fructu fruitur sui criminis.

---

734. Exceptis simplicibus, rudibus et idiotis qui ad contritionem excitandi sunt, quia alterâ vice non magis erunt parati, quærat confessarius ab aliis qui eam non habere videntur, an eam scierint, et si non, accusatâ statìm hâc negligentiâ, periculoque sacrilegii cui se exposuerunt, eos remittat ordinariè, sed ad breve tempus, ut eam sibi et oratione et meditatione comparent.

Quòd si eos ipse excitare opportunum putet, non ideò judicet eos commoveri et conteri, quia ipse motiva proponendo commovetur (*a*).

Nota : Quamvis contriti videantur qui gravius quoddam, homicidium, adulterium, incestum, etc., imò simplicem fornicationem, furtum, præsertìm si primâ vice, perpetrârunt, utiliter tamen iis differtur absolutio, ut gravitate criminis vividiùs affecti ab eo, plùs dolentes, magìs abhorreant.

(*a*) Sunt plures, nec laxiores (imò communis hæc praxis) qui faciliùs absolvunt in periculo vitæ, etsi nondùm proximo (mulierem, v. gr., parituram, militem iturum ad bellum, etc.), modò tamen sufficientia sint veræ contritionis signa, etsi non tanta quanta communiter exigerent. Imò cum signis doloris dubiis absolvunt mulierem quæ affirmat se periculosiùs parere, si non sit pro ipsâ facilis in partu confessarii advocatio. Sed talis àd summè pœnitendum excitanda sollicitiùs et vividiùs propositis omnibus motivis; vel iis quæ ex ipsâmet, in quâ est, necessitate nascuntur.

§ II.

Cum iis qui bonum alienum detinentes restituere, aut pro damnis vel injuriis proximo illatis satisfacere nolunt, cùm possunt.

735. Vel actu fieri potest restitutio, ut præsertìm cùm res ablata existit in specie, vel non.

Si priùs, ordinariè facienda est antè absolutionem, nisi res sit parvi momenti. Promissis enim, nisi certò sincera sint, iisque nunquàm deficere cognoscatur pœnitens, non

est tunc fidendum, ob notam omnibus restituendi difficultatem.

Si posteriùs, vel nunquàm fieri poterit restitutio, et tùm monendus pœnitens ut pro læsis oret, postuletque à Deo restituendi facultatem, si nondùm ablata sit spes omninò omnis restituendi. Saltem sic compunctionis spiritum faciliùs conservabit.

Vel aliquandò fieri poterit restitutio, et tunc promissioni quæ appareat sincera, fidem adhibere potest confessarius, si nondùm inaniter talis promissio facta sit semel aut saltem fortè iterùm, impositâ (et sic in similibus casibus) obligatione rem confessario aperiendi singulis annis in paschate, imò in sequenti confessione, si antè eam fieri possit restitutio.

Quin etiam, cùm summa notabilis est, et in longum differenda prævidetur restitutio, exigatur chirographum dandum creditori, si injustitia publica sit, vel apud virum discretum, si res occulta sit, deponendum, aut legatum in testamento, aliudve medium pro casu mortis inopinatæ, si fieri possit sine pœnitentis diffamatione quæ rei gravitati prævaleat.

Si jam semel, et à fortiori iterùm [552, *g*], inaniter facta fuerit restituendi promissio, non absolvendus pœnitens, nisi extraordinaria det sinceritatis et pœnitentiæ signa, et eò magis extraordinaria quòd sæpius promissis defuerit.

Et hæc dicenda de debitorum solutione, etc., cum proportione tamen. Difficilior enim debet esse confessarius ergà furem quàm ergà simplicem debitorem, aut etiam simplicem damnificatorem, modò non ex malitiâ.

Nota. 1° Non permittenda communio, publica saltem, ad restitutionem obligato, si indè timeatur scandalum, ut si notoria sit restituendi obligatio, aut si is cui debetur, advertere debeat.

2° Mandatum restituendi non facilè suscipiat confessarius, et si suscipiat, curet ut res restituenda perveniat ad destinatum sine suspicione ullâ undè veniat, epochamque illius, tanquam ab incognito receptæ, non rarò exigat.

3° Generatim multùm diffidendum iis, avaris præsertim, qui de obligatione restituendi difficilè conveniunt, aut se actu non posse prætexunt. Undè, antequàm de hâc obligatione moneantur, cautè, de aliis, v. gr, de statu et numero familiæ disserendo, inquirendum de fortunâ et actuali pecuniâ eorum.

4°. Cùm dubia est restituendi obligatio, potest et debet confessarius rem ultrà examinandi, imò et consulendi licentiam petere, absolvendo tamen pœnitentem si decisioni se obtemperaturum sincerè promittat, et aliundè sit dispositus.

§ III.

Cum iis qui odia deponere, aut inimicis reconciliari nolunt.

736. Hìc non verbis fidendum; alii enim dicentes se ignoscere, non ignoscunt. Alii è contrà [234].

Prioribus proponenda verba et exempla Christi sanctorumque; verba orationis dominicæ: *Dimitte nobis*; ostendendum quousquè extendatur charitas, vanique eorum prætextus confutandi,

Notando 1° difficile conteri et emendari qui quasi ex indole inimicitias fovent. E contrà faciliùs ignoscere, nec tandiù probandos, imò sæpè primâ vice absolvendos qui à paucis diebus malè affecti, inimicitias protrahere non solent.

2° Non temerè exigendum ut quis inimicum personaliter adeat, sed reconciliationem per intermedium amicum sæpè procurandam, quæ tamen antè communionem publica sit, si publica sit inimicitia [234].

Posterioribus verò qui dicunt se condonare non posse, quamvis nollent malum evenire inimicis, imò se pro iis orare ut Deus ipsis condonet, bonaque iis sicut aliis lubenter exoptare et facere, dicendum involuntariam aversionem non esse peccatum, nec necessariam remissionem debiti realis. Curandum tamen ut pro possibili eradicetur involuntaria aversio, nec unquàm motibus iræ consensus præbeatur. Prudenter enim discernendum inter odium voluntatis et odium involuntarium appetitûs sensitivi cui renititur voluntas.

Priores non, isti è contra ordinariè absolvendi.

§ IV.

Cum iis qui in occasione proximâ sunt, vel quibus ars aut officium occasio proxima est peccati mortalis.

737. Occasio est id omne quod peccati causam administrat.

Remota vocatur, cùm, in eâ existentem non peccaturum;

Proxima verò, cùm peccaturum probabiliùs judicatur (*a*).

Occasio proxima (quæ ferè semper plùs minùsve propinqua est) alia proxima est *per se* et alia *per accidens*.

Occasio proxima *per se*, seu absolutè, ea est quæ de se, seu ex naturâ suâ, spectatâ communi hominum fragilitate, nata est inducere ad peccatum (*b*);

Proxima verò *per accidens*, seu respectivè, ea est quæ aliquos solùm, ratione scilicèt eorum fragilitatis, etc., fert ad peccandum (*c*).

Vicissim occasio remota, alia talis *per se*, et alia talis *per accidens*; sed occasio proxima *per se*, rarò fit *per accidens* et respectivè remota (*d*).

Iterùm occasio alia voluntaria quæ facilè;

Alia omninò involuntaria, quæ nullatenùs, aut non nisi illicitè (*e*);

Et alia mixta, quæ absolutè quidem, sed non nisi cum incommodo plùs minùsve gravi, vitari potest (*f*).

Tandem alia quæ oritur ex re malâ aut inutili, et alia, quæ ex honestâ et utili, ex consortio, alloquio, etc.

(*a*) Varii variè hìc definiunt. Alii, inter quos Benedictus XIV (lib. instit. Eccl. 27. § *non satis*), dicunt : Occasio proxima ea est in quâ quis sæpiùs labitur, semper aut ferè semper, frequenter aut frequentiùs. Sed etsi in occasione remotâ rarò, in proximâ verò sæpiùs peccetur, fieri potest ut proxima sit occasio, licèt in eâ non frequenter cedat quis. Imò unus aut alter actus sæpè occasionem proximam facit, cùm nempè est, ut ità dicam, heroïcus, id est, factus post superata gravia motiva quæ ab eo deterrere debuissent, aut vehementi cum propensione, undè magnam ad peccandum facilitatem inducit. Sic sæpè ut occasione proximâ versans spectaretur ancilla indolis debilis, quæ, quamvis cum hero habitualiter commorans, semel aut bis nuper peccavit, superato præsertim faciliter pudore, præcipuè si ab hero multa speret aut timeat. Aliundè hi theologi supponunt necesse esse ut occasio proxima sit, quòd quis in eâ jam peccaverit, quod falsum

est. nam sufficit ut adeò lubrica sit et adeò vividas pariat tentationes, ut probabile includat peccati periculum.

Meliùs ergò occasionem proximam definiunt alii, eam in quâ quis positus verisimiliùs peccabit, sive jam peccaverit, sive non. Vel : id quod adfert morale aut probabile periculum peccati : quæ definitiones in nostrâ includuntur, concordantque aliundè cum pastorali Mechliniensi, Methodo Bisuntinâ, etc. Equidem ex his : *Semper, ferè semper, ordinariè, plerùmque, frequentiùs, æquè frequenter* dignoscitur occasio proxima, sed eam non constituunt. Attendenda qualitas, quantitas, modus peccati, et infirmitas, indoles, timor, dilectio, *resistentiæ* antè, dolor post peccatum, frequentior aut rarior casuum occurrentia, major vel minor affectus cum quo peccatur, et aliæ circumstantiæ, si quæ sint. Non enim peccatum fugiendum est primariò propter ejus frequentiam, sed propter seipsum. Sufficit ergò ad occasionem proximam verisimilitudo quòd in eâ peccabitur.

Nota : In dubio occasio reputari debet proxima et fugienda est. Item in dubio an in eâ peccaretur mortaliter.

Nunc sic principia applicant : qui semel in anno apud quamdam divertitur et peccat cum eâ, vel qui rarò in occasione existens, aut rarò tentatus, ter quaterve peccat itidem in anno, in occasione proximâ est. E contrà qui quotidiè in occasione versans et tentatus, ter aut quater tantùm peccat in anno.

Ergò in occasione proximâ judicandus est existere qui per annum sæpiùs peccans, non tamen peccavit nisi semel singulis quatuor occurrentiis et tentationibus. Tales occasiones nimiùm frequentes sunt inter servos et ancillas, istas et heros, famulos et dominas. *Bisuntina Methodus.*

Frequentatio tabernarum occasio proxima est, si ex tribus vicibus quis in eis inebrietur semel, et ex decem bis aut ter. Alloquia puellæ, si ex decem vicibus bis aut ter mortale aliquod procurent, et colloquia quotidiana, si bis aut ter in mense. *D. Dens, P. Dujardin.* Idem dicendum de peccatis in administratione quotidianâ officii quod quis susceperit.

Fortè pluribus in casibus hæc benigniora essent, omnia pensanda sunt.

(*b*) Ità ut multi in eâ virisimiliùs peccarent et reverà sæpiùs peccent. Talis librorum obscœnorum lectio, contubernia prostitutarum, accessus ad lupanaria, et juxtà D. Carolum, alere apud se concubinam, versari in venereis aspectibus, turpiloquiis, etc., addit, et post eum Manuale Genevense, ludos profiteri aleatos.

(*c*) Ut spectacula, frequentatio tabernarum, choreæ, improborum consortium. *D. Carolus Bor.* Sed nota non semper consentire inter se auctores, qui de occasione tractârunt. Alii enim inter proximas *per se* reponunt quas alii inter solùm *respectivè* proximas. Sat parùm in praxi refert quòd occasio proxima sit per se aut solùm per accidens. Videtur, strictè loquendo, nullas esse occasiones proximas per se, nisi quæ omnes proximo exponunt peccandi periculo saltem dubio.

Occasio respectivè proxima, talis non est nisi habitus jam sit saltem inchoatus.

(*d*) Saltem si multùm sit proxima, remota enim per *accidens* esse nequiret nisi in libidinosis adeò lassatis, ut nullo ferè objecto ampliùs commoverentur, aut fortè in iis qui ex officio res venereas tractaverint etiam castè.

(*e*) Ut si duo qui sibi occasio proxima sunt, in eodem carcere inclusi sint [826]. Item si duo conjugati. *P. Ant. à Gorltiâ.* Idem dicit meritò D. Dens de eo qui occasionem relinquere nequit, nisi in similem labendo.

(f) V. gr., si quis non possit occasionem dimittere nisi se infamando; et mixta foret occasio exercitii artis necessarii ad familiam alendam. *Billuart*. Mixta à fortiori est occasio, commoratio fratris cum sorore sub paternâ potestate; filiæ cum patre. Imò hi casus sæpè ad quasi necessariam occasionem revocari possent. E contrà occasio famuli cum ancillâ, etc., aliquandò vix mixta, sed voluntaria est. Undè principia enuncianda non nisi moraliter loquendo, et omnibus attentis, applicari hìc poterunt.

---

738. Non est absolvendus, nequidem in mortis articulo, qui peccati mortalis occasionem voluntariam proximam non deserit. Peccat enim mortaliter quoties exponit se, etsi non semper labatur.

Si tamen sincerè promittat occasionem statim, moraliter loquendo, deserere, potest, præscriptis præscribendis (*a*) ut promissio executioni demandetur, primâ saltem (*b*) vice absolvi, saltem adhùc si occasio non sit continua, nec habitus sit cum eâ conjunctus, et causa gravis exigat.

Undè si ad certum tempus promissionis executionem velit differre, non est absolvendus (*c*).

(*a*) V. gr., ut si non statim dimittat, confessarium sine dilatione adeat, meditetur manè et vesperè, omnibus diebus jejunet, etc. Sed valdè timendum ne hæc media, etsi præcepta, non adhibeat. Quapropter non rigidiorem certè haberem praxim quam dat P. Ant. à Goritiâ, exigendi nempè juramentum promissionem exequendi. Sed etsi brevissimum elabi debeat tempus usquè ad occasionis dimissionem, præscribenda sunt tamen media ad nova peccata vitanda.

(*b*) Aut secundâ vice, inquit D. Carolus, si occasio non sit proxima per se nec continua. Fortè hìc benignior sanctus Pontifex, nam possumne esse de contritione talis pœnitentis sat certus? Ast aliis, sed immeritò fortè, rigidior appareret idem sanctus Archipræsul, cùm dicit in occasione proximâ continuâ seu quæ est in esse, qualis habitatio cum concubinâ, nequidem primâ vice absolutionem dandam, nisi dimissa sit, nisi, v. gr., concubinarius ejecerit mulierem.

Equidem, ut ratiocinatur Billuart, fidem concubinarius nondùm fregit; sed suspicionem sinceritatis ejus propositi aliundè habet confessarius, nempè ex hoc quòd communiter accidit in similibus. Vix enim unum reperies qui id sincerè promittat, cùm vix sit unus qui exequatur. Sed esto quod sincerè promittat, imò cum lacrymis doleat, si tunc absolvere potest confessarius ut judex, non potest ut medicus qui tenetur remedia efficacia præscribere contrà relapsum. Experientiâ autem constat unicum remedium tunc esse concubinam abjicere, quod non fiet post absolutionem. Concubinæ fletus concubinarii firmitatem frangent. Sic ferè adhùc pastoralis Basileensis, P. Thomas, etc.

Excipiunt meritò casum in quo ex denegatione absolutionis sequeretur gravis infamia aut grave scandalum, ut si sacerdos debeat die festo sacrum omittere, modo tamen appareat verè pœnitens.

Et casum in quo pœnitens ità extraordinaria dat conversionis signa, ut de sinceritate et executione promissionis nullus sit ambigendi locus.

Quæ omnia cum proportione dicenda de occasionibus quæ concubinatum propriè dictum non supponunt.

Nota : Potest absolvi in articulo mortis concubinarius, non ut talis cognitus, qui concubinam non ejicit, ut nempè ejus famæ consulatur, supposito tamen quòd absit periculum iterùm peccandi, quod non semper abest. Fiunt aliquandò vel ferè in agoniâ tactus, amplexus, etc.

(e) Qui semel in anno in occasione proximâ est, in nundinis, v. gr., in messe, in vindemiis, in festo patronali, in domo ruris autumnali tempore, in scholarum feriis, in vacationibus quibuslibet; absolvi potest, si post meditationes graviaque pœnitentiæ opera sincerè conversus et promittat omnia et qualia nondùm assumpserit media non peccandi. Hæc autem sunt ut immediatè antè, et statìm post iter confiteatur: ut omnibus diebus propositum renovet; ut solus cum solâ non remaneat. Si his adhibitis relabatur, aliâ vice absolvendus non erit, nisi occasionem vitet, et hùc sæpè statìm veniendum si possibile sit. Si autem vitari nequeat occasio, agendum ut infrà, in occasione mixtâ.

---

739. Nec absolvendus, etsi contritus appareat (quia tunc debet coerceri) qui existit in occasione necessariâ aut mixtâ quidem, sed quasi ad necessariam revocandâ, nisi adhibitis remediis, ablata sit occasionis proximitas, ità ut prudenter judicari possit emendatus. Comparandus est consuetudinario.

Excipe si extraordinaria, et proximitati occasionis proportionata det pœnitentiæ signa, præsertìm si causa sit cum statìm absolvendi (a).

(a) Ei qui versatur in occasione necessariâ potest, ut sacramenti gratiâ confortetur, impertiri aliquoties absolutio, si videatur concepisse firmum propositum adhibendi media efficacia et peccata detestari. *Dens.* Sed semper supponendum quòd verè contritus prudenter judicari possit, et hoc opus hic labor est. De eo ratiocinandum sicut de eo qui est sibi ipsi occasio proxima.

---

740. Nec tandem absolvendus qui est in occasione simpliciter mixtâ, nisi adhibitis remediis facta sit, sublato periculo, remota.

Sed non licet semper tentare occasionem reddere remotam; si enim non rarò fidem fregit pœnitens, aut occasio pro ipso, attentâ ejus fragilitate, propinqua sit et periculosa, statìm dimittenda est; crudele enim est, tentando media, relinquere aliquem in verisimili periculo peccati (a).

Quæ omnia applicanda sunt iis qui peccati mortalis aliis occasionem dant (*b*).

Nota : remotâ occasione semper danda sunt monita, præscribendaque media ne redeat.

Quin et expedit multùm juvenes, puellas præcipuè præmunire contrà occasiones quæ occurrunt in ediscendâ et factitandâ arte, in famulatu, in colloquiis pro eligendo cui nubant.

(*a*) Cum hâc ergò restrictione intelligendi qui dicunt non statim exigendum à pœnitente ut occasionem proximam deserat, si timeat scandalum aut alia gravia. Nec rationes quæcumque hìc sufficiunt, sed proportionatæ esse debent periculo quod timetur. Nullæ autem, præter necessitatem, proportionem habent cum verisimili periculo peccati. Experientia docet raro, in permultis casibus, probationem ad bonum pervenire exitum. Sic cùm audiuntur confessiones generales, in quibus vita tota uno oculi ictu videtur, ferè ordinariè reperitur famulas quas confessarii in occasione reliquerant, eas probando, per multos annos semper deliquisse, vitando peccatum solùm per unum aut alterum mensem, bis aut ter quaterve in anno. Ergò sæpissimè vitanda statim occasio, præcipuè in famulatu. Officium dimittendum, ars abjicienda. *Si oculus tuus*, etc.

(*b*) Ut vendentes libros contrà religionem aut mores bonos, domum aleæ præbentes, etc. Ut adhùc tabernarii plurimi qui, etc. Patres familiàs qui promiscuos juvenum conventus apud se recipiunt.

§ V.

Cum consuetudinariis et recidivis.

741. Omnes consuetudinarii recidivi non sunt (*a*), nec omnes recidivi eo ipso sunt consuetudinarii, quia ex aliâ causâ relabi possunt quàm ex consuetudine; ex infirmitate, v. gr.; vi tentationum, occasionum, etc., non habituali, sed actuali affectu.

Recidivi ergò vocantur qui in idem peccatum, vel semel, post pœnitentiam, relabuntur præcisè;

Consuetudinarii verò qui in idem relabuntur ex consuetudine seu habitu contracto.

Sed pro semper notatum sit, eodem modo agendum cum recidivis, si frequenter relabantur, quàm cum consuetudinariis.

Imò etsi in idem non relabantur, sed sæpè modò in unum,

modò in aliud mortale. Hoc enim sæpiùs saltem indicium est quòd careant contritione et firmo proposito omne mortale vitandi (*b*).

Ergò consuetudo mala, seu habitus pravus, est propensio notabilis seu facilitas ad peccatum ejusdem speciei, orta, non ex solâ naturâ corruptâ, seu quasi naturali ad malum propensione, sed ex repetitis actibus pluribus, vel paucioribus qui pluribus æquivaleant.

Imò aliquandò ex uno solo, si nempè sit, ut jam dixi, in genere mali heroïcus, et supponat omnem ferè abjectum timorem Dei, omnia ferè superata quæ ab eo deterrebant, conscientiæ nullo relicto stimulo, perditoque pudore, sitque ex iis ad quæ natura corrupta multùm inclinat.

Undè ut cognoscatur habitus seu consuetudo mala, non frequentia actuum sola attendi debet, sed

1° Natura peccati (*c*);

2° Indoles et ætas peccantis (*d*);

3° Frequentiores vel rariores, vehementiores aut mitiores tentationum impetus. Qui enim quasi continuò et vehementer tentantur, non tàm facilè quàm qui raro et remissiùs, habitum contrahunt, quamvis idem sit in utrisque casuum numerus (*e*);

4° Adversi conatus et remediorum usus;

5° Circumstantiæ quæ lapsus comitârunt (*f*);

6° Sinceritas et bona voluntas peccatoris.

Sed in dubio an contracta habitudo, agendum sicut si contracta foret.

(*a*) Consuetudinarii enim possunt pœnitentiam nondum egisse aut potiùs sæpè simulâsse. Imò plures sunt jam consuetudine malà irretiti qui ex tunc nondùm confessi, aut de eà nihil dixerunt, quin et nec interrogati fuerunt. Hi autem recidivi perperam vocarentur, quamvis ordinariè sic appellentur.

(*b*) Tales qui singulis mensibus duo aut fortè unum solum mortale committunt; qui semel in paschate confitentes, generis multiplicis 10, 15, mortalia accusant, præcipuè si ferè sine tentationibus ea commiserint ut qui præcepta Ecclesiæ faciliter violant. Isti enim omnes ad infernum, vel mediante sacramentorum usu, clausis oculis vadunt. Ergò quamvis strictè non haberentur ut consuetudinarii, non tamen absolvendi quousquè veram contritionem ostenderint, et aliquandò expectandum erit usquequò plures fuerint occasiones peccandi in quibus non peccaverint, præcipuè similiter;

(*c*) Sic impudicitiæ et ebrietati faciliùs quàm aliis peccatis assuescunt;

mollitiei quàm simplicibus tactibus; actibus quàm cogitationibus; solitariis actibus quàm actibus cum altero, excipiendo tamen casum propensionis ergà alterum, maximè si ejusdem sexûs, quia multi inveniuntur qui ergà alios multùm propensi, ad solitariam libidinem non inclinantur, maximò in fœmineo sexu hoc observatur.

(*d*) Personæ indolis facilis malo faciliùs assuescunt quàm personæ ingenii stabilis; personæ vagi et oscitantis quàm cogitantis animi; ætatis formatæ quàm adolescentis, etsi hæ faciliùs relabantur. Videndum adhùc an non in sanguine sit vitium, supposito quòd cognoscatur pœnitentis parentela.

(*e*) In priori casu, si semel aut bis in mense solùm peccatur, peccatum reputari posset ex infirmitate, non in posteriori, si totidem.

Cùm hic sit præsertìm ex circumstantiis judicandum, nulla ferò afferri possunt exempla. Sint tamen hæc:

Qui à pluribus mensibus, singulo mense semel aut bis lapsus est, si violenter, quamvis rarò tentetur, non ideò ut consuetudinarius habendus. *Methodus Bisuntina.* Adderem: nisi ceciderit toties ferè quoties tentatus est. Saltem tunc agendum cum eo sicut agendum infrà dicetur cum iis qui cadunt sæpè ex infirmitate.

E contrà, addit eadem Methodus, idem qui per singulas hebdomadas lapsus esset.

Qui, præsertim non vehementer tentatus, ter aut quater in mense cogitationibus turpibus adhæret, turpia bis aut ter loquitur, semel aut bis polluitur à duobus aut tribus mensibus (et minùs sæpè, si à longo tempore) in horum peccatorum consuetudine est.

Fornicator aut adulter, quamvis semel per duos menses, si jam antea, saltem si pluries, præsertim cum eâdem et adsit occasio;

Ebriosus si quinquies aut sexies in anno, nisi sæpissimè bibat;

Fur, si bis aut ter in anno, saltem si à duobus aut pluribus annis furetur, ut consuetudinarii habendi sunt.

Acediosus qui quinquies aut sexies in anno missam dominicalem non audit, si non ut consuetudinarius habendus, absolutione tamen indignus est, quia non contritus.

Consuetudo peccata in confessione reticendi in indole est. Facilè ergò hinc dignoscitur. Utinam adeò facilè eradicaretur! Sed vix ac ne vix unquàm.

(*f*) Sic qui peccat in exitu somni aut quasi inscienter in vino, potiùs ex infirmitate, saltem si rarò, quàm ex consuetudine peccare censetur; et hæc duplex circumstantia sæpè inquirenda. Plures enim eam non dicunt. Et sunt qui pollutionem in semi-somno, imò etiam in somno accusant simpliciter sicut in vigiliâ.

Quantùm autem hi, præsertim priores, culpabiles sint ponendo aut non auferendo causam, vide alibi, notando quòd et in hâc culpabilitate possint esse consuetudinarii [473, *c*, *d*].

Et videndum quæ pœnitentia lapsum subsecuta sit. Aliquando enim adeò gravis ut consuetudinem tollat.

---

742. Absolvendi ordinariè recidivi ex infirmitate, si contriti sint.

Prudentia tamen dictat aliquandò ut probentur, ut nempè magis sibi præcaveant (*a*).

(a) Aliundè fieri posset ut quis ex fragilitate humanâ deficiat, aut retineat affectum ad peccatum. Multi ob peccata fragilitatis damnabuntur. *Dens*

Et hìc locus foret dicendi de casu non multùm raro, quem tamen apud nullum auctorem inveni, cujusque decisio me semper ità angustiavit, ut ferè nesciam quid dicam. De iis puellis loquor, quæ, non obstante magno, quo affectæ videntur, timore Dei, periodicis tamen, aliquandò saltem, temporibus (fortè instantibus menstruis) ità vehementer tentantur et quasi naturali necessitate, ob nescio quid incommodi et attrahentis quod sentiunt (congestionem fortè humoris fœminei) tangunt se et polluunt non desideratâ imò nec cogitatâ copulâ. Misericordiâ dignæ, attamen stando principiis non videntur posse absolvi, usquedùm superatis non semel per potentem et continuatam ad alia animi applicationem, et fortè carnis tunc macerationem, flagella super humeros, etc., his importunis tentationibus, emendatæ judicentur. Nam etsi aliquandò ferè dubitetur an verè liberæ sint, abit dubium cùm attenditur quòd priùs restiterint, et posteà doleant. Sunt sibi occasio peccati; ergò debent se gerere sicut si ab alio tentarentur vehementer. Præcipuè monendæ ut instante tali tentatione confessarium adeant.

---

743. Qui, ex habitu, in gravia eadem relabuntur, non sunt ordinariè, extrà casum necessitatis absolvendi, nisi, per media ipsis præscribenda, debitamque probationem, mutatis moribus, omnique ad peccatum voluntario affectu deposito, contriti appareant.

Anteà enim verè contriti judicarentur imprudenter, vel etiam ex protestationibus gemitibusque, quia magìs ex durâ, quam sibi imposuerunt, necessitate, quàm ex sensu intimo gravitatis peccati, hi gemitus, qui aliundè transitorii sunt, procedere videntur.

Attamen qui de malitiâ habitûs pravi nondùm moniti sunt, nec consequenter media conversionis inaniter adhibuerunt (*a*), possunt absolutè primâ vice absolvi, modò contriti sint verèque ad adhibenda omnia contrà recidivam media præscribenda dispositi, nisi fortè sint in occasione proximâ (*b*).

Et primâ vice possunt absolutè absolvi qui extraordinaria et vera dant pœnitentiæ et conversionis signa (*c*).

Tandem sine probatione absolvi possunt qui jam antè confessionem emendaverunt mores, faciendo fructuosè quidquid præscribere potuisset confessarius (*d*).

Horum omnium ratio est quòd confessarius possit tunc de contritione pœnitentis et emendatione, seu morum mutatione prudens ferre judicium.

Nota : Absolutio differri potest affectum ad venialia habentibus, facillimèque in ea labentibus; sed moneantur quòd non nisi venialia sint eorum peccata.

(a) Sed quasi pro monitis, habendi sunt docti qui sciebant se peccare graviter, et pro verè monitis qui sciebant remedia et ea non adhibuerunt. Attamen hos non tandiù probarem quandiù eos qui à confessario iterùm atque præcipuè iterùm moniti sunt, nisi flagitiosè per plures annos vixissent. Nec tandiù eos qui noverant se malum facere, sed non audebant declarare. Imò possent absolutè sine probatione absolvi, si non communia dent contritionis signa, præcipuè si confessarius eos iterùm videre nequeat.

(b) Nam difficiliùs vitatur recidiva, si habitus pravus cum occasione proximâ, maximè continuâ, conjunctus sit. Quamvis ergò tunc confessarius judicaret pœnitentem esse sat ad absolutionem dispositum, cum tamen, ut medicus saltem et rector probare debet ordinariè, ni gravia obstent.

In his casibus cùm pœnitens absolvi posse judicatur, statim per interrogata fieri potest ejus confessio generalis, ordinariè necessaria ab initio saltem habitùs pravi, et dari absolutio si timeatur ne non redire possit pœnitens sine gravi, etiam aliquandò solùm imaginato, incommodo. Sic Billuart et plures quos novi benè *practicantes*.

Attamen si habitus pravus multum inveteratus sit, et ex eo genere ad quod natura vitiata multùm inclinat, ut impudicitiæ consummatæ, etiam per solam pollutionem, si confessarius possit, debet probare aliquandiù pœnitentem ut magis conteratur et ad præcavendum relapsum. Multi enim in hoc casu relabuntur, etsi nondùm, ut supponitur, anteà moniti. Dico : si confessarius possit; nam si redire nequeat pœnitens et locus timendi sit ne apud alium peccata confiteri non audeat, videtur absolvi posse, si verè contritus appareat, maximè si protestetur se existimasse aut nullum aut non tantum malum facere, præscribendo ipsi, inter alia, ut brevi post confiteatur iterùm.

Sed fortè relabetur? Imò aliquandò quasi certò; sed hoc non impedit contritionem et firmum propositum actuale quæ hìc semper supponuntur. Relapsus instabilitati voluntatis vel fragilitati vel reliquiis consuetudinis nondùm penitùs amotæ, licèt retractatæ, magis quàm malitiæ et defectui veri propositi imputandus erit. Confessarius in præsenti casu prudenter agit ut judex et minister sacramenti, agere non potens ut medicus et rector. Vel potiùs agit ut medicus in necessitate qui meliori modo agere nequit.

(c) Quamvis sæpè probationi subjecti, semper relapsi sint. Talia ostendunt ex casu, v. gr., ex morte alicujus improvisâ, ex forti impulsu conscientiæ, vel ab intrà veniente, vel ab extrà, ut ex concione præsertim jubilæi, missionis, recessùs spiritualis temporibus, modò commotio non sit transitoria et instantanea solùm.

Et, aliquandò saltem, hujus subitæ conversionis signum esse posset solus accessus ad tribunal pœnitentiæ spontaneus extrà usitata tempora. Non enim, inquit Augustinus, tàm consideranda est mensura temporis quàm doloris.

Sæpè tamen in his casibus aliquod tempus antè absolutionem concedendum. Non enim obliviscendum perversos difficilè corrigi.

(d) Si notabiliter jam emendatus sit. *Theol. Pictav. Manuale genevense*. Hàc notabili emendatione pro omni casu contentus esse videtur S. Carolus, huc accedit Billuart. Sed semper necesse quod verè contritus et à peccatis

abstractus prudenter judicetur pœnitens, ità ut relapsus, si adhùc aliqui sint, fragilitati potiùsquàm malitiæ et affectui ad peccatum tribui possint.

Undè non probandam arbitror eorum praxim qui antè notabilem mutationem, sed post notabilem præcisè mutationem absolvunt. Quomodò enim judicium prudens ferre possunt de contritione pœnitentium? Fateor cum eis non requiri certitudinem in primis gradibus moralem de dispositionibus pœnitentis, nec usquè extendi debere damnationem factam ab Innocentio XI propositionis hujus : *Licet in administratione sacramentorum sequi opinionem probabilem, relictâ probabiliori et tutiori.* Præterquàm quòd enim videatur hic sermonem esse de materiâ et formâ ab ipsomet ministro ponendâ, nulla unquàm ferè daretur absolutio. Sed requiritur saltem judicium prudens de hâc à pœnitente positâ materiâ sufficienti seu dè contritione ejus. Ferri autem posse in dicto casu tale judicium non video, et eò minùs quòd in regionibus ubi talis est praxis, ferè nunquàm differatur absolutio. Sanè abjiciendus rigor nimius; sed et timenda laxior praxis ad quam non parùm inclinantur omnes ferè *practicantes* et ad quam multi tandem deveniunt.

Nota : Ergò sufficienter emendatus aut extraordinariè contritus non æstimandus est quis faciliùs ex eo præcisè, v. gr., quòd viam longam fecerit et difficilem etiam extrà tempus paschale, vel etiam confessionis generalis faciendæ causâ, *Manuale genevense.* Hoc manuale supponit tamen et meritò aliqua ibi reperiri posse, imo et sufficientia contritionis extraordinariæ indicia.

Hinc confutata quoàd multa videtur praxis Domini Salvatori in libello nunc prodeunte cui titulus : *Instruction pratique pour les nouveaux confesseurs,* Avignon, etc., 1826. Gravibus equidem auctoritatibus nititur, sed præterquàm quòd in ratiociniis quæ ex illis auctoritatibus instituuntur, conclusio sit sæpè fortior præmissis, principiis cedere debent auctoritates. Est autem principium ab omnibus admissum non posse sacerdotem extrà casum necessitatis absolvere eum, quem non potest prudenter judicare verè et summè contritum, seu peccatum mortale detestantem suprà omne detestabile. Est et principium confessarium, etsi ut judex absolvere queat, aliquandò non posse ut medicum.

---

744. Circà probationem consuetudinariis præscribendam, sint regulæ sequentes : 1° Non ad longum tempus remittendi, imò solùm ad aliquot dies qui quotidiè labuntur, curandumque ut reverti non timeant, etsi relaberentur (*a*).

2° Revertenti non crudè petendum nùm relapsus sit, sed nùm toties quoties anteà. Congratulandum ei qui non aut rarò relapsus est, semel, v. gr., et absolvendus si tempus probationis sufficiens sit, si casus ex infirmitate, non ex affectu per consuetudinem contracto, venisse censendus sit, et si credatur contritus (*b*).

Sed si nullatenùs aut ferè, culparum numerum minuerit, cum eo ingemiscendum, sed non desperationi exponendus, imò spes ipsi ingerenda. Interreà remedia grandiora præ-

scribenda, si (quod ferè supponi nequit) jam præscripta adhibuerit (*c*).

Nota : Si pœnitens tempore probationis tentatus non fuerit, probatio ut quasi nulla habenda est, nisi adeò et hortationes confessarii et remedia adhibita, cum commoverint, ut horror peccati tentationi vix permiserit locum.

Cautè petendum à pœnitente num et quoties tentationi restiterit, dicendo ipsi eam non esse peccatum, et edocendus quid sit tentatio, aliquandò nempè simplex involuntaria mali cogitatio. Ordinariè enim non credunt se tentari nisi vehementes sentiant ad malum impulsus.

Qui tamen longo tempore non tentaretur, absolvendus foret si contritus judicetur, nisi defuerit sola tentationis occasio, quæ redire debeat. Tunc enim agendum ut suprà, ubi de occasione.

3° Diutiùs probanda incipiens inveteratorum quàm recentiorum consuetudinariorum emendatio.

Diutiùs item probandi qui jam probationi inutiliter subjecti sunt quàm qui à laxioribus semper absoluti.

Et diutiùs rarò quàm crebrò tentati, et quibus rarò se offert occasio, quàm quibus frequenter.

Diutiùs tandem parùm quàm multùm contriti et qui media non, aut inutiliter adhibuit, quàm qui adhibuit utiliter (*d*).

Nota : sperandum de iis qui perseverantiam promittere non audent.

(*a*) Fertur D. Bernardum, juvenem quotidiè in pollutionem labentem emendasse præscribendo primùm ut duos dies abstineret à peccato, et dein confessurus rediret. Fecit juvenis. Quatuor dies indixit tunc sanctus; dein sex, octo, etc. Praxis ipsius erat consuetudinariis præscribere ut à peccato abstinerent 1° tres dies in honorem SS. Trinitatis, 2° dies tres in honorem Christi, 3° tres in honorem B. V., etc.

S. Philippus à Neri consuetudinariis præscribebat septies in die orationem ad B. V. *Salve Regina*.

(*b*) Satagendum, quantum fieri potest, cognoscere an qui non est relapsus, ideò non se abstinuerit præcisè ut absolutionem reciperet, non verò, præcipuè saltem, ex timore peccati. Taliter sæpè judicandum de iis qui acceptà absolutione, statim relabuntur; diutiùs ergò hi probandi.

Item cognoscere an qui post multoties iteratas absolutionis dilationes se tandem non relapsos affirmant, non mentiantur ad absolutionem tandem recipiendam. Id suspicandi locum præbere posset quædam in affirmante

reticentia et à fortiori hæsitatio, præsertim si addunt se nullatenùs fuisse tentatos. Iterùm tamen affirmantibus modo qui videatur sincerus, danda absolutio, si aliundè dispositi, sufficiensque sit probatio.

(c) Semper relabenti aliquandò dicendum : nullam tibi impono pœnitentiam, fac quam volueris et tibi Deus suggeret. Artem meam vincis. Deus non elegit me pro conversione tuâ, rogo ut alium confessarium adeas.

(d) Quidam antè probationem notabilem absolverent eum qui transit ad statum sanctum ubi multa habebit auxilia. Confessarius equidem non teneretur tunc forsan agere partes medici et rectoris, sed tenetur agere partes judicis et ministri sacramenti, necesse est ergò ut prudenter judicet de verâ contritione.

Nota : Sicut tempus ad habitum contrahendum, ità ad illum finiendum definiri nequit, cùm hìc ex tempore non nisi partìm judicari possit. Sint tamen, cæteris paribus, exempla sequentia.

Per plures menses probandus foret qui bis aut ter in mense, parùm tentatus peccabat ex habitu. Plures vidi, inquit Collet, qui duobus mensibus incontinentes probabant; et sic regulariter agendum dicit rituale Teloniense, cum iis qui singulis hebdomadibus polluuntur, inebriantur aut blasphemant. Apage ergò praxis nimis usitata, præsertìm tempore paschali, tales post quindenam aut tres hebdomadas absolvendi.

Et laxa videtur praxis eorum qui absolvunt eum qui singulis hebdomadibus semel aut bis peccabat, si per septem aut quindecim dies æqualiter tentatus abstinuit à peccato. Sic à confessariis tractati longam juventutem transigunt in pravis habitibus vix aliquoties per mensem interruptis.

Salvo meliori consilio, prudenter agere videtur qui post quindecim dierum probationem efficacem absolvit juramentis et maledictis, et post paulò majorem, verbis obscœnis valdè assuetum. Sed multò longior deberet esse probatio, si rarò, licèt ex habitu similia proferebantur.

Post quindecim ad summum dierum probationem quotidiè polluentum se, post mensem verò, si bis aut ter in hebdomadâ, præsertìm si habitus nondùm sit inveteratus, absolvi posse arbitrarer. Sed longiori tempore probandus esset fornicator aut adulter qui bis aut ter cadebat in mense. Circà ebriosos vix aliquid circum circà determinari potest. Duorum aut trium mensium probationi, non tamen sine intermediâ confessione subjiciendus videtur ebrietati mediocriter deditus. Ebrietatis et turpiloquii habitûs omnium difficilior eradicatio, quia tales peccatores nec sentiunt.

§ VI.

Cum iis qui fidei mysteria et alia quæ ad salutem muneraque implenda necessaria sunt, ignorant.

745. VIDEAT statìm confessarius an pœnitens hæc edoctus sit; de quo, vel ex modo confitendi non rarò suspicabitur (a).

Si necessaria [219], necessitate medii, etiam sine suâ culpâ, aut necessitate præcepti, cum gravi suâ culpâ, eum ignorare invenerit, tunc non solùm eum absolvere nequit, sed necesse confessiones à tempore ignorantiæ iterare.

Cum hâc tamen differentiâ quòd, iis iteratis, si nihil aliud obstet, possit statìm absolvere ignorantem scitu necessaria solùm ratione præcepti, si ea ediscere, quàm primùm moraliter, sincerè promittat, dùm oportet è contrà ut jam sciat necessaria necessitate medii (*b*).

Neque absolvendi patres matresve, heri, heræ, etc., qui filios, famulos, etc., in ignorantiâ derelinquunt.

Attamen necessariorum ignari edoceantur in articulo mortis, eliciantque circà ea, suggerente confessario, actus fidei, saltem circà præcipua mysteria, articulos nempè symboli, et sacramenta saltem quæ recipienda sunt (*c*).

Imò et extrà mortis periculum agendum idem cum pœnitentibus ingenii adeò tardi ingratæque memoriæ, ut nihil ferè retinere possint, absolvendique sunt, nihil aliud obstante, sedulò moniti ut in omnibus confessionibus similia sibi à confessario fieri curent.

Tandem absolvi possunt ignorantes, qui actu in confessionali edoceri poterunt.

Communior quàm putatur ignorantia, et alicubi communissima.

Nota generaliter circà hucusquè in præsenti articulo dicta: quoties pœnitens non absolvitur, monendus est ut intercà excitet se ad contritionem perfectam ferventerque eam postulet à Deo, ne fortè subitò si moreretur, damnatus existat, et ut è statu inimicitiæ Dei exeat viamque paret ad absolutionem.

(*a*) Si dubitet, caveat ne habeatur pro confessario de catechismo interrogante. Dicere posset: *Nùm oneri tibi foret si memoriæ tuæ revocarem quæ olim circà religionem didicisti.* Vel: *per cujus merita speras te peccatorum remissionem accepturum?* Vel: *duo magna sacramenta recepturus es: Vide quem in communione recepturus sis*, etc. Si quæ sunt Christi sciat, non leve est indicium quod cætera calleat. Sed Christum eum cognoscere non ex eo judicetur quòd sicut in catechismo respondeat; non sufficit enim ut memoriter sciat, sed requiritur ut teneat fidei mysteria.

(*b*) Nam ex Benedicto XIV, constitutione etsi minimè (bullarii ipsius tomo 1, N° 32) invalida esset hujusmodi absolutio cùm impossibile sit sine fide placere Deo, ac proindè cum ipso reconciliari et justificari. Tota ratio est quòd sic statuerit Deus. Undè accuratè loqui non videtur Theol. Pictaviensis cùm dicit talem absolvi non posse, *præsertim* si culpâ suâ mysteria fidei ignoret.

(*c*) Sic, v. gr.: *Deus hoc revelavit. Credis. Deus hoc jubet, hoc vetat. Vis facere? Vis vitare?*

AGENDA

IN CONFESSIONIBUS GENERALIBUS.

Sunt hæ confessiones vel totius vitæ vel cujusdam solùm temporis, et tunc sat vulgò *revues* appellantur.

Hic duo extrema vitet confessarius, nempè indiscriminatìm ferè ab omnibus tales confessiones semper aut nunquàm exigere, et cuilibet petenti ferè nunquàm aut ferè semper concedere; non raro enim nocivæ sunt, sæpiùs necessariæ, aliquandò inutiles, utiles aliquandò solùm.

§ I.

Casus in quibus necessaria vel nociva, utilis vel inutilis est confessio generalis.

746. Confessio generalis necessaria est cùm præcedentes [71, *a*, *b*], vel dubiè iterandæ sunt ob essentialem defectum (*a*).

Si non omnes iterandæ sint, sed inveniantur intermediæ ob bonam fidem validæ, peccata in his declarata non sunt necessariò in confessione generali declaranda.

Sed si nihil obstet, si, v. gr., peccata in confessionibus reputatis validis declarata non difficilè novæ declarationi subjicerentur (de quo cautè sciscitandum) omnium peccatorum æquè ac solùm plurium facilis erit confessio, et eam tunc optant sæpè pœnitentes.

Nota : Si ad confessionem generalem necessariam, omnibus tentatis, ostensâ ejus facilitate, etc., adduci nequeat pœnitens, dicendum ei : *Numquid ægrè ferres quòd te de peccatis interrogem?* Et, quæsitis omnibus necessariis, addendum : *Timebas confessionem generalem, en facta. Numquid non de omnibus his accusas te? Vide tamen attentè an non aliquid omiserimus.* Si quid, *dices cùm redieris, et te, modò contritum, absolvam.*

Si non necessariam obstinatè affirmet (quod rarum), os-

tendendum ei cur necessaria sit. *Vides quod contritionem non habueris, quòd tale et tale peccatum reticueris, etc.*

Sed non semper statìm proponenda; aliquandò enim non rediret pœnitens.

(a) Ex dictis usquè hùc patet sæpè defecisse in pluribus pœnitentibus veram contritionem et firmum propositum non peccandi de cætero; v. gr., quasi certò in iis qui in lethalia semper, aut ferè semper, præsertim eadem promptè relapsi sunt. Et à fortiori si media ad ea vitanda ipsis præscripta non adhibuerint.

Sed meritò notat Collet possibilitatem quòd quædam confessiones, quæ per generalem repararentur, nullæ fuerint, non esse rationem sufficientem eam exigendi à piè viventibus; quia illæ confessiones nullæ, si fuerint, per subsequentes reparatæ, et pœnitentes indirectè à peccatis absoluti fuissent.

Imo addit tales in bonà fide relinquendos, etsi cognoscatur aliquas ex eorum confessionibus invalidas fuisse, si prævideatur eos ex impositâ confessionis generalis obligatione mortaliter peccaturos, utpotè qui ad eam adduci non poterunt, obstinatè negantes eam esse necessariam; vel quia ex pluries tentatis hujusmodi confessionibus peccassent lethaliter. Ratio est quòd præceptum confessionis utpotè positivum, non obliget cum tanto damno.

Quidquid sit de hoc ratiocinio, quòd si confessario prosit, non video quomodò prodesset pœnitenti. Rarum est quòd, ut suprà, confessio generalis fieri nequeat per interrogata. Magìs timerem ex parte pœnitentis reticentiam, si repetenda haberet dictu valdè difficilia, quod non frequens. Sed si vehementes contrà castitatem tentationes experiri deberet pœnitens, aut in graves scrupulos foret conjiciendus, casus esset certè eum in bonâ fide relinquendi.

---

747. Utilis sæpissimè confessio generalis si non (quod non rarum) necessaria,

1° Cùm facienda est prima communio;

2° Anno ætatis circiter 20, ad reparandas, si opus, adolescentiæ malè factas confessiones;

3° Cum vitæ status eligitur;

4° Morte approximante;

5° Cùm quis novum desiderat concipere de peccatis dolorem;

6° Dùm fiunt extraordinaria jubilæi, missionis, etc., exercitia, quia tunc pœnitentes magìs revertuntur ad cor.

Nota : In confessione solùm utili dicendum pœnitenti non tàm profundum et minutum exigi examen quàm in necessariâ, et quòd notando ea quæ nondùm ex oblivione invin-

cibili declarata fuissent, alia jam declarata et remissa posse sine sacrilegio omitti, imò reticeri, quod tamen ipsi non consulitur, ne, quamvis non justè, conscientia eum remordeat. Cæterùm, quòd si quæ jam olim declarata nunc è memoriâ excidant, non erunt posteà necessariò declaranda (*a*).

(*a*) Docet experientia accedendum sæpissimè, si non ordinariè, voto pœnitentis confessionem generalem postulantis, etsi, cùm petitur cur, nullam causam afferat præter suum desiderium; nam non rarò veram causam primùm tacet, etsi in particulari hæc causa quæratur, v. gr., nùm aliquid in confessionibus præteritis reticuerit? Aliundè quot invenientur confessiones saltem dubiè validæ ob malè circà plura efformatam conscientiam. Quoties in decursu confessionis, hæc invenietur necessaria, cùm vix utilis primùm judicata fuerit à confessario, eò quòd pœnitentis confessarius semper fuerit, et ejus sinceritati confidat. Ergò magis timendum extremum rarò confessiones generales excipiendi quàm frequentius.

Cavendum tamen à mulieribus quæ ex larvatâ devotione confessiones iterare volunt, quod non frequens. A fortiori, sed quod rarissimum, à puellis perditis quæ in confessione generali occasionem quærunt libidinosè animum, cor, et forsan sensus hilarandi.

---

748. Inutilis confessio generalis pœnitentibus qui jam plures rectè fecerunt et novum de peccatis dolorem tam facilè ex graviorum quàm ex omnium iteratâ accusatione concipiunt fervoremque augent.

---

749. Nociva scrupulosis, et aliquandò iis qui plura contrà castitatem commiserunt, cùm nempè imaginandi vim magnam habent vehementerque tentantur [67].

§ II.

Modus particularis confessionis generalis audiendæ.

750. Ante omnia cognoscendus status actualis animæ pœnitentis, ne, si absolvi nequeat, incassùm fiat ejus confessio.

Attamen si omnium peccatorum confessio medium videatur pœnitentem ad emendationem adducendi, fieri potest ejus confessio generalis, etsi ad absolutionem, utpotè nondùm abstractus à pravis habitibus, sit actu indispositus, modò post emendationem audiri possit.

Nec incipienda ordinariè confessio generalis nisi pœni-

tens necessaria alia antè præstiterit, ut reconciliationem cum inimicis, etc.

Excipe adhùc (et sic in similibus casibus) si confessarius timeat ne aliâ vice pœnitens non adeò sincerè confiteatur, utpote qui jam, stimulante conscientiâ, confessionem præparaverit; jam quædam hucusquè celata dixerit, sed non omnia; aut si timeat ne non revertatur.

Posset tamen et sæpè prudenter primâ vice audire solùm quæ miserum magìs gravant.

---

751. Ordo pro pœnitente et confessario, est ipsemet ordo mandatorum Dei et Ecclesiæ peccatorumque capitalium;

Graviora peccata, cum circumstantiis percurrendo, dein minùs gravia ejusdem generis quæ ex iis ordinariè profluunt. Non enim sufficit supponere ea, sed de iis facienda accusatio;

Quemdamque assignando numerum qui post sufficiens examen, attentioni verisimilior occurrerit, complectaturque peccata ejusdem speciei quæ in memoriam non venerunt, quamvis verisimiliùs admissa.

Hinc fiet ut cujuslibet classis, turpiloquii, v. gr., detractionis, etc., peccata, etiam ea de quibus in particulari nec cogitatum fuerit in examine, declarata censeantur, nec iterùm declaranda sint, si in memoriam redeant, nisi numerus præcisus, aut notabiliter minor declaratus sit.

Ast cùm rarò, ob multitudinem peccatorum quâ quasi obruuntur multi pœnitentes, possint ea in memoriâ collocare simul, nedùm de iis se accusare; confessarius monebit pœnitentem se eum, factâ, proùt poterit, confessione, interrogaturum (*a*).

Nota : Cùm apud confessarium ordinarium fit confessio generalis, si hic vitæ et peccatorum pœnitentis cognitionem, quamvis confusam conservet talem ut judicare possit quàm inordinata fuerit ejus vita, satis est quòd pœnitens, celata, si quæ, omissave aut apud alium clavibus subjecta, huic confiteatur, addendo : et accuso me iterùm de omnibus aliis quæ in anteactis confessionibus declaravi tibi, de omnibusque omissis (*b*).

Undè ad confessarium ordinarium mitti sæpè possunt qui confessiones generales facere volunt, ut breviùs fiant.

Nota iterùm : Non sunt miscenda peccata nondùm declarata cum jam declaratis, nisi nulla adhùc remissa sint. Sed et tunc declarandum quoties peccata celata fuerint eaque celandi habita fuerit voluntas, quia hoc peccatum est speciale.

Nota tandem : Non expedit sine causâ absolvere primâ vice in confessione generali. Miraretur sæpè pœnitens, inquietus esset, multa recordaretur, et aliundè mens de declaratione peccatorum tota occupata, minùs apta est ad eliciendam contritionem, de quâ magis quàm de confessionis integritate satagere adhùc debent et pœnitens et confessarius.

(a) Sic in missionibus obruti inveniuntur pœnitentes, ob nempè conscientiam agitatam tunc, ità ut si eos non adjuvaret confessarius, pauciora multò accusarent quàm temporibus ordinariis. Interrogationes autem fiunt secundùm suprà dictum ordinem pro conditione pœnitentium et variâ eorum ætate [66, c].

(b) Ità Theol. Pict., praxis Bajocensis, Collet et alii non laxiores. Sæpè tamen reperi non sine fructu iteratam tunc de integro confessionem generalem et alios tunc inveniri pœnitentes quàm in confessionibus ordinariis apparuerant. Celata tunc aperiunt quæ non aperuissent si solùm per modum supplementi confessionem generalem fecissent. Aliundè multa per interrogata reperiuntur. Undè expedit, quandò sic in globo fiunt confessiones generales ut saltem confessarius interroget accuratiùs et ampliùs quàm in confessionibus ordinariis.

AGENDA

CUM IIS QUI IN PECCATA AUT CENSURAS RESERVATA CECIDERUNT.

PRÆNOTANDA

752. Omnes casus reservatos qui communiter, imò et qui aliquandò solùm occurrunt, sciat confessarius necesse est, et

Cuinam reserventur;

Et quæ, si quam habeat, sit ergà ea sua potestas.

Si ad superiorem recurrendum sit, statìm post casûs confessionem petat à pœnitente nùm ire velit, aut consentiat ut scribatur, eo non nominato. Alioquin enim ulteriùs, non au-

ditâ integrè ejus confessione, ad approbatum pro dicto casu, foret mittendus (*a*).

Ut autem cognoscat utrùm et ad quem superiorem recurrendum sit, attendat an omnia ad casus in se, aut tali vel tali superiori reservationem, necessaria occurrant (*b*) [99,100].

Obtentum rescriptum attentè legat ut omnes ejus clausulas adamussim servet, et si formam absolutionis contineat, hâc utatur [643] (*c*).

(*a*) Ordinariè præsumi potest de intentione pœnitentis ut scribatur.

(*b*) Si casus inveniatur Papæ reservatus, nec ullâ ex causâ ad Episcopum devolutus (ferè semper devolvitur), scribendum tamen priùs foret ad ordinarium, quia forsan ex indulto absolvere posset.

Supplica autem casum clarè exponat et breviter, modò omnia contineat. Vitandumque in eô quidquid sigillum attingere posset. Aliquando casus talis est ut superior posset suspicari personam. Tunc habeatur ab eâ specialis scribendi licentia.

Supplica contineat insuper nomen et domicilium illius ad quem responsum dirigi debet et quâ viâ, rogando ut ab etiam simplici approbato, id est, qui nec doctor sit nec magister in Theologiâ, rescriptum executioni demandari possit. Quæ tamen cautela inutilis esset si ad Episcopum scribatur. Tandem relinquatur in chartâ locus sufficiens ad continendum responsum.

Vide Epistolæ vel supplicæ exempla in rituali tuo.

(*c*) Potientes facultate à casibus S. P. vel Ordinario reservatis absolvendi, absolutionem non aliter impertiantur quàm sub hoc onere, nempè ut pœnitens juramentum præstet de non committendo in posterum tali crimine ob quod in censuram incurrit (cap. *de cætero*, et cap. *ex tenore* de sententiâ excommunicationis). Sed non puto hoc ubique saltem vigere. Nihil circà hoc præscriptum inveni in gallis auctoribus. Nihil in rituali Bisuntino, etsi in Bisuntinâ diœcesi vigeant constitutiones quæ non in aliis Galliæ diœcesibus.

NOMENCLATURÆ

Casuum præcipuorum jure vel consuetudine reservatorum, omissis qui rarissimè accidunt.

Alii Papæ, alii Episcopis solùm reservantur.

753. Et si circà casus papales non eadem sit diœcesum praxis, eos tamen qui frequentiùs in variis diœcesibus habentur ut reservati, habeto hic, prænotato quòd partìm in Bullâ *Cœnæ* (*a*), partìm in jure scripto seu volumine juris canonici et partìm in bullis et decretis S. P. contineantur (*b*).

(a) Bulla, *in cœnâ Domini*, sic dicta eò quòd singulis annis die sanctæ cœnæ publicaretur, ab anno 1769 Romæ non ampliùs publicata fuit.

Non ubique viget, inquiunt, si adhùc alicubi vigeat, quamvis Henno et alii affirment eam obligare in universâ ecclesiâ [101, *a*], quia Romæ promulgata est, et sacra congregatio ut falsam damnavit propositionem in quâ dicebatur eam non obligare ubi promulgata non est [119, *c*].

Ratio priorum est quòd pontifex in ipsâ bullâ jubeat eam publicari, et hoc expressiùs jussit S. Pius V, anno 1568.

Alii dicunt in dubio an vigeat in tali regione, casus in eâ contentos non ampliùs reservari, quia dubii sunt [138, 139]. Fortè addi posset quòd ubi viguit, per desuetudinem ibi ampliùs non vigeat.

Sed vim obtinuit in multis regionibus, et forsan adhùc obtinet, in hoc sensu quòd quibusdam fortè modificationibus exceptis, non sit tàm juris novi quàm veteris promulgatio. Licèt enim Bonifacio VIII sat communiter tribuatur, consideratur tamen tanquàm plurium S. P. opus. Casus ejus, quorum materia occurrit frequentiùs, sunt hæresis, lectio librorum hæreticorum, schisma, appellatio à Papâ ad futurum concilium, falsificatio litterarum S. P., usurpatio fructuum et proventuum Ecclesiæ, auxilium præstitum infidelibus, etc.

In veteri Rituali Bisuntino a D. Ant. Petro à Grammont, hujus nominis primo, edito, casus Bullæ continentur tanquàm è Bulla excerpti. Sic etiam in Rituali à D. Francisco Josepho à Grammont, anno 1705 edito. Sed statim correctum fuit quoàd aliqua, ità ut ejusdem anni duo habeantur in Bisuntina diœcesi Ritualia. Nullum ex tunc ampliùs editum. In Rituali autem correcto casus idem Bullæ continentur, sed sine ullâ Bullæ, benè verò juris solùm mentione, tanquàm S. P. reservati. Multis post annis, circà 1750, cùm Collator seminarii D. Labet, in publicâ nobis sacerdotum collatione consuetâ dixisset Bullam *Cœnæ* in dictâ diœcesi vigere, fortiter obstitit conventus præses D. Bailly, vicarius generalis et officialis, ut narravit mihi nepos ejus itidem officialis, qui tunc junior collationi aderat. Cùmque mense sequenti, eadem collator idem repeteret, faciendo præcedentis collationis analysim, obstitit iterùm vicarius idem generalis. Circà annum 1780, cùm studiis theologicis in eodem seminario vacarem, nihil nec scriptis nec voce circà hoc punctum traditum est; sed casus Bullæ ut Papæ alii, ut Episcopo alii reservati tradebantur. Undè saltem tanquàm ex usu in hàc diœcesi reservatos habebis in sequentibus nomenclaturis enunciandos.

Nota : Citatur cui titulus : *Recueil des représentations, etc.*, continens resolutiones Pii VI, Viennæ datas, anno 1782, ex quibus quid de Bullâ sentiendum fortè concludi possit. Sed non potui illud mihi procurare. Postquàm Feller, in suo Dictionario historico (art. Pie V) retulit suspensionem publicationis Bullæ à Clemente XIV, addit : *Pie VI a continué à la regarder comme non avenue.*

(b) Et alii veteribus additi sunt. Sic : quicumque aliquam propositionem inter damnatas ab Alexandro VII, Alexandro VIII et Innocentio XI, docuerit, defenderit vel ediderit, excommunicationem S. P. reservatam incurrit ipso facto. *Dens.*

Filiucius suo tempore numerabat 80 casus papales. Ergò pauci ex his casibus incurruntur. Quia pauci noti sunt et nosci moraliter possunt, cùm pauci à pastoribus populis exponantur.

754. CASUS PRÆCIPUI

S. P. RESERVATI (a).

(a) Duos solùm novi reservatos ratione sui, ubi vigent quæ illos reservant constitutiones.

Primus : Peccatum nefariorum et perditarum qui calumniosè accusant confessarium de sollicitatione ad turpia in tribunali pœnitentiæ. Ex Benedicto XIV, Const. 20.

Secundus : Peccatum contrà sextum præceptum à confessario patratum cum suâ pœnitente. Ex eod. S. P. *P. Ant. à Goritiâ*.

EXCOMMUNICATIONES PRÆCIPUÆ

S. PONTIFICI RESERVATÆ.

PRIMA.

755. INCURRITUR per percussionem gravem vel mediocrem clerici aut monachi. Ex concilio Lateranensi 2, cap. 5 relato causâ 17, q. 4, can. 22. « Si quis, suadente diabolo, hujus » sacrilegii vitium vel crimen incurrerit, quòd in clericum » vel monachum violentas manus injecerit, etc. »

Comprehenduntur mandantes, effectù secuto, ratam habentes suo nomine factam percussionem, et non impedientes cùm ex officio tenentur et possunt impedire.

Si quis. Etiam impubes, etiam ipse clericus aut monachus qui se ex desperatione aut irâ percuteret. Non, si ex dolore, ob peccata, ob amissum patrem, etc.

Suadente diabolo. Ergò non, si solùm jocosè.

In clericum vel monachum, aut monialem, etsi solùm vota simplicia emiserint; aut etiam novitium, fratrem laicum, eremitam, modò non vagum, sed alicui religioni, regulæ et superiori subjectum. Tandem in equitem melitensem.

Nec excipitur si percussi percussioni consentiant, quia renunciare nequeunt privilegio sui statûs, in cujus favorem censura lata est; benè verò si percussi canonis privilegium amiserint (*a*), et si monialis novitiave vivat in domo paternâ more laicorum.

Violentas manus injecerit. Non sufficit ergò comminatio

pugno aut baculo, sed requiritur, sicut et sufficit vis, tactu solùm mediato, ut in vestes, equum, rhedam, à membro quocumque illata.

Et sufficit expuitio, luti injectio vel injusta incarceratio, etiam in domo privatâ, undè clericus, etc., non possit sine dedecore exire (*b*).

Nota : Percutiens Joannem clericum putans se percutere Petrum itidem clericum, excommunicationi subjacet, quia injuriam realem facit statui clericali. Secùs si, intendens percutere Joannem laicum, per infortunium attingeret Petrum clericum. Percussio enim Petri involuntaria esset.

(*a*) Quales, qui habitum clericalem non gestantes, ignorantur probabiliter esse clerici, si enim cognoscantur clerici, quamvis nec tonsuram nec habitum clericalem haberent, ex Benedicto XIV, lib. 12, de Synodo diœcesanà, gaudent semper privilegio canonis.

Et quales, ait Manuale genevense, ii qui tribus distinctis vicibus ab Episcopo moniti, à negotiis sæcularibus non desistunt; vel contempto clericali habitu arma ferunt, vel mimicam artem per annum exercent, cauponasve agunt; bigami, imò simpliciter conjugati, si habitum non gestent.

Forsan in Galliâ per matrimonium amittitur privilegium, etiam sine monitionibus. *Collet.*

(*b*) Addit Billuart : Violentam pecuniarum ablationem.

Juxtà Theol. Pict. sola Episcopi aut cardinalis incarceratio excommunicationem inducit S. P. reservatam.

Qui monachum clericum percutit, duplicem excommunicationem incurrit. *Suarez.*

---

756. A censurâ prædictâ eximuntur magister, pater aut alter consanguineus qui subditos moderatè, correctionis causâ, percutit.

Et qui cum debitâ moderatione, modò actutùm (*a*) percuteret ad vitam castitatemve suam, uxoris, matris, filiæ, sororisve, cum quibus turpia, etiam solis amplexibus, clericus ageret, servandam (*b*).

(*a*) Dubitant, si fugere possit. Sed notant aliqui fugere non teneri personam gravem, ut magistratus, ad vitandam insaniam clerici, quia hoc esset ipsi dedecori.

(*b*) Et eximuntur pueri clerici qui in rixis sese compellunt pugnisque percutiunt, quia non censentur gravi se contumeliâ afficere. *Theol. Pict.*

---

757. Ad cognoscendum an percussio gravis sit aut saltem

mediocris, omnia attendi debent. Levis enim ergà simplicem clericum, mediocris, imò gravis esse potest ergà sacerdotem sacris indutum aut ergà Episcopum, graviorque est quæ in publico fit quàm quæ in secreto (*a*).

In dubio gravis aut mediocris præsumitur.

Sed mediocris inter collegialiter viventes, Papæ non reservatur.

(*a*) Ut mediocris communiter habetur dens confractus, avulsa magna capillorum copia, carnis sugillatio, colaphus in plateâ publicâ.

Sunt qui ut levem habent, seclusis circumstantiis aggravantibus, percussionem palmâ, pugno, pede, baculo aut lapide, si non relinquat vestigium. Si autem relinquat, licèt absque mutilatione notabili, lethali vulnere, aut sanguinis effusione aliundè quàm ex naribus, ut mediocrem habent.

In dubio res Episcopo est exponenda.

SECUNDA.

758. Incurritur per violationem clausuræ monasteriorum personarum utriusque sexûs. Ex Trid. sess. 25, cap. 5, et ex variis S. Pii V et Gregorii XIII constitutionibus.

Per clausuram intelligitur omne illud spatium quod vallatur monasterii septis, etiam dirutis.

Violatur autem clausura vel ab intrà habitantibus, vel ab extraneis.

Ab intrà habitantibus : si

Religiosi mulieres introducant prætextu privilegiorum;

Si moniales, sub eodem prætextu, viros aut mulieres introducant (*a*);

Vel ipsæ egrediantur (*b*) præter casus necessitatis, putà magni incendii, infirmitatis, etc.

Ab extraneis verò, putà

A mulieribus, ni indultum Papæ habeant (quoad pietatis opera, non ad vagandum per ambulacra), cùm ex quocumque fine ingrediuntur monasteria virorum, etiam canonicorum regularium in communi viventium.

Excepto, quandò in iis celebrantur missæ, etc., aut tantus est populi concursus ut per portam principalem ingredi aut egredi commodè nequeant, modò recto eant tramite.

Et à viris mulieribusque, cùm, saltem sub prætextu pri-

vilegiorum aut ob malum finem, monasterium mulierum ingrediuntur (*c*);

Et ab iis qui moniali licentiam faciunt exeundi, vel eam recipiunt.

(*a*) Etiamsi solùm infantem introducant per rotam, *le tour. Plures.*

(*b*) Ad unius aut alterius pedis mensuram. *Bonacina.* Videtur requiri et sufficere ut dici possint egressæ.

(*c*) Juxtà multos censuram incurrit qui justâ de causâ ingressus, ex curiositate pervadit, impleto officio, monasterii loca, si sufficienti ad mortale tempore, quod aliqui existimant horæ mediæ. Revera si monasterium non illicitè ingrediatur, illicitè ejus loca ingreditur. Quod sufficere videtur ad censuram incurrendam. Contrà tamen habet Manuale genevense.

Et disputant an incurrant excommunicationem S. P. reservatam, qui non ingrediuntur sub prætextu privilegiorum. Negant Suarez. Rit. Bisunt. correctum et Manuale genevense, si non ob malum finem. Affirmat Filiucius additque talem esse S. Pœnitentiariæ praxim. Citat insuper sacræ congregationis declarationes. Aliundè, inquit, non sat cautum esset castitati et quieti monialium si à censurà excusarentur qui ingrediuntur etiam ex merâ curiositate.

Saltem certum est quòd incurratur tunc excommunicatio lata à Tridentino ubi recepta est ejus disciplina (recepta est in diœcesi Bisuntinâ); sed non est reservata. Et statuta particularia hanc excommunicationem statuere possent. Hæc excommunicatio Episcopo reservata dicitur in rituali Bisuntino correcto, et additur hoc locum habere pro fœminis ingredientibus domos regularium.

Nota adhùc pro diœcesi Bisuntinâ : Anno 1758 declaravit D. Archiepiscopus monasteriorum superiores non posse pro libito declarare quæ ad claustra attineant, sed eos agere debere conformiter ad canones.

Insuper Gregorius XIII dictis superioribus ingressum in monasteria monialium, extrà casus permissos, prohibet sub pœnâ interdicti ab ecclesiæ ingressu pro primâ vice, suspensionis à functionibus pro secundâ, et excommunicationis ipso facto pro tertiâ.

TERTIA.

759. Incurritur per duellum, etiam ut aiunt [353], solùm usquè ad primam sanguinis effusionem. Ex Trid. de reformatione, sess. 25, cap. 19, Clemente VIII, const. *Quæcumque et illius vices*, et Gregorio XIII, const. *Ad tollendum*.

Excommunicatio afficit, etiam pugnâ non secutâ, provocantes vel acceptantes, suadentes, opem ferentes, patrinos, socios, aliosve cooperantes, de industriâ spectantes (*a*).

(*a*) Seu ex proposito spectatores, qui de industriâ ad locum duelli conveniunt videndi causâ; et ità se spectatores exhibent ut duellum quasi appro-

base videantur; secùs qui è fenestrâ, aut transeuntes fortuitò se sistunt ad videndum. *Manuale Genevense*. Mihi videtur esse verè de industriâ spectatores qui transeuntes sisterent sufficienter propè ut pugnantes incitare et approbare viderentur.

QUARTA.

760. Incurritur per simoniam sive realem juris divini vel ecclesiastici sive confidentialem [301].

5ª Asserendo esse hæresim vel peccatum mortale affirmare B. V. fuisse absque maculâ peccati originalis conceptam, et vice versâ, et impugnando, etiam privatim hanc immaculatam conceptionem.

6ª A regularibus viaticum aut extremam-unctionem matrimoniumve absque debitâ licentiâ administrantibus (*a*).

Et ab eisdem præsumptuosè absolventibus à casibus reservatis et censuris, vel absolventibus à sententiis per statuta provincialia aut synodialia promulgatis (*b*).

(*a*) Et simpliciter Eucharistiam, etsi non per modum viatici, juxtà Lovanienses, quod deducunt ex Clementinis libro 5°, titulo 7°, cap. 1°. Hæc de tempore paschali intelligit Manuale Genevense.

(*b*) Ex extravagante quam non citant, nec invenire potui, deducunt constitutiones Lausannenses excommunicationem Papæ reservatam etiam incurri à confessariis qui sine licentiâ speciali Papæ absolvunt à casibus ipsi reservatis. Negat Collet extrà sphæram bullæ in cœnâ.

Et excommunicationem Papæ reservatam tulit Benedictus XIV, constitutione *apostolici numeris* (tomo I ejus bullarii) contrà eos qui attentant absolvere complicem in materiâ luxuriæ. Hæc constitutio viget in diœcesi Basileensi, et citatur in manuscripto codice seminarii Bisuntini ; sed vanè tentavi cognoscere an de facto in hàc diœcesi constitutio Benedicti XIV promulgata sit, aut alio modo vigeat. D. de Pressigny, archiepiscopus Bis. consultus, respondit in dubio tutiorem partem esse eligendam.

SUSPENSIONES PRÆCIPUÆ

S. P. RESERVATÆ.

761. 1ª Incurritur per susceptionem ordinis sacri absque titulo sub promissione Episcopo factâ alimenta ab eo nunquàm petendi;

Vel cum titulo, sed sub promissione fructus ejus nunquàm exigendi (*a*);

Et qui, suscepto cum titulo ordine, illum sine Episcopi

licentiâ dimitteret, et alium ordinem susciperet; ab hoc ultimo foret suspensus.

2ª Per susceptionem ordinis sacri antè ætatem à Trid. præscriptam (*b*).

3ª Per susceptionem ordinis furtivam seu extrà conscientiam Episcopi, non obstante ipsius sub pœnâ anathematis prohibitione (*c*).

4ª Per susceptionem duorum ordinum sacrorum duobus diebus continuis et immediatis (*d*);

Et probabiliùs per susceptionem ordinum per saltum.

5ª Per culpabilem susceptionem ordinum in excommunicatione (*e*).

(*a*) Item, juxtà aliquos, cum titulo fraudulento, aut hypothecis gravato, aut insufficienti.

Juxtà graves non incurritur suspensio si promissio fructus tituli non exigendi excipiat casum necessitatis.

(*b*) Non incurritur, si bonâ fide. Sed detecto errore, ordo susceptus exerceri nequit antè ætatem adeptam;

Et etiamsi malâ fidei posset sic ordinatus, adeptâ ætate, ab Episcopo absolvi, seu dispensari. *Col. And.*

(*c*) Sed si facta non fuerit talis prohibitio, Episcopus posset ab hâc suspensione absolvere. *Collet.*

(*d*) Nùm ipso facto suspensus sit, disputant. Et disputant an suspensio incurratur, si ordo ultimùm susceptus sit subdiaconatus.

Nota : ab hâc suspensione absolvere potest Episcopus, si sic ordinatus ordinem non exercuerit.

(*e*) Ità Collet et Bailly. Ordinariè saltem talis suspensio Episcopo devolveretur.

CENSURÆ PRÆCIPUÆ

EPISCOPIS JURE VEL CONSUETUDINE RESERVATÆ.

EXCOMMUNICATIONES.

762. 1ª Incurritur per clerici aut monachi percussionem, in sensu juris, levem; aut mediocrem, sed inter collegialiter viventes.

2ª Per abortum fœtûs animati [352, *a*], quoquo modo procuratum, veneno (*a*), potione, percussione, oneribus, laboribus gravioribus prægnanti impositis.

Non requiritur voluntarium directum.

Et censuram incu[redacted]atores.

3ª Per crimen[redacted]antè denunciationem ecclesiasticam.

4ª Per ra[redacted]clesiarum cum effractione, itidem antè denunciati[redacted]).

5ª Per absolutionem ab excommunicatione vel suspensione vel interdicto vi vel metu extortam (c).

(a) Doctor medicus mihi dixit hoc esse impossibile, nisi simul veneno pereat mater.

(b) Hæ duæ excommunicationes Papæ reservantur post denunciationem.

(c) Addunt meritò excommunicationem ob sepulturam scienter datam excommunicatis vitandis. *Publicis*, ait Rituale Bisuntinum, et addit vel nominatìm interdictis, vel manifestis usurariis, vel hæreticis eorumque fautoribus, si sepeliantur in locò sacro.

Et habeto sequentes minùs raras excommunicationes, in jure Papæ non reservatas, sed quæ in Rituali Bisuntino correcto Episcopo reservatæ dicuntur. Sunt :

Contrà raptores mulierum et auxilium ad hoc præbentes.

Contrà cogentes virginem aut aliam mulierem ad ingressum in religionem, aut hunc ingressum vel professionem absque causâ impedientes, huicque peccato cooperantes.

Contrà contrahentes scienter matrimonium in gradibus prohibitis consanguinitatis aut affinitatis, vel cum moniali.

Contrà sepelientes hæreticos vel excommunicatos vitandos, in locò sacro.

Et contrà monachos, moniales, clericos sacris initiatos, qui matrimonium contrahunt.

Idem Rituale excommunicatos dicit usurarios manifestos qui non promptè resipiscunt, et usurpatores jurisdictionis ecclesiasticæ ordinariæ (sunt qui addunt *et delegatæ*).

SUSPENSIONES.

763. 1ª Sed in uno sensu impropriè dicta, incurritur ab ordinato etiam bonâ fide per saltum.

2ª Ab ordinato ab Episcopo extraneo sine litteris dimissoriis (a).

3ª Per susceptionem ordinum intrà annum vacationis sedis episcopalis per obitum prælati, nisi ordinatus arctatus sit ratione beneficii.

4ª Per susceptionem ordinum à proprio Episcopo in alienâ diœcesi absque expressâ diœcesis hujus Episcopi licentiâ.

5ª Per susceptionem ordinis sacri extrà tempora, absque S. P. dispensatione.

6ª Per conjunctionem in matrimonium sponsorum alterius parochiæ sine licentiâ proprii parochi ordinariive (*b*).

(*a*) Si agatur de ordinibus sacris. *Rit. Bis.*

(*b*) Addunt nonnulli suspensionem Episcopo reservatam incurrere qui usurarios manifestos ad communionem admittunt, eorumve oblationes suscipiunt ex cap. 6° de usuris [19].

Addit Rituale Bisuntinum suspendi qui in loco interdicto missam celebrat. Varia interdicta vide in jure et in Rituali.

ADJECTUM

De privatione sepulturæ ecclesiasticæ [854].

764. Ex jure deneganda est

1° Paganis, Judæis aliisque omnibus infidelibus, inter quos comprehenduntur infantes non baptizati.

2° Hæreticis eorumque fautoribus, apostatis à fide christianâ, schismaticis et excommunicatis vitandis (*a*), interdictis nominatim et iis qui moriuntur durante interdicto locali generali, etc.

3° Suicidis ex desperatione vel iracundiâ, nisi antè mortem dederint signa pœnitentiæ.

4° Morientibus in duello, licèt antè mortem signa dederint pœnitentiæ, etsi extrà locum conflictûs decedant, inquit Benedictus XIV, modò ex vulnere in duello accepto, et quamvis absolutionem obtinuissent à peccato et censuris, etc.

Sequere rituale tuum, et dubiis in casibus consule, si possis, Episcopum (*b*).

(*a*) Imò publicis seu notoriis. Sed anteà consulatur Episcopus, si fieri possit.

(*b*) Et attende ad usum: sic in diœcesi Bisuntinâ negatur comœdis qui antè mortem arti ludicræ non renunciârunt. Sed non denegatur neque ob omissum paschale munus, neque manifestis et publicis peccatoribus qui sine pœnitentiâ obierunt præcisè, quamvis id præscribat hujus diœcesis Rituale. Aliud forsan foret si sacramenta recusassent. Testibus enim adhibitis eorum obstinationis, non assisterem eorum sepulturæ, quamvis impedire non possem ne in loco sacro sepelirentur. Ergò possunt in Ritualibus veteribus reperiri casus denegandæ sepulturæ qui in desuetudinem abierint.

APPENDIX

DE EXCOMMUNICATIONE OB HÆRESIM ET LECTIONEM LIBRORUM VETITORUM.

§ I.

765. Excommunicatio ob hæresim formalem in jure est, et in usu ubique vigente [224]; Papæque reservatam supponit Tridentinum, et dicit Bulla *In cœnâ;* sed hæc solùm ubi vigent [753] (*a*).

Ut autem incurratur, hæresis debet esse interna, et signo aliquo [225] (*b*), quamvis non viso nec audito, exteriùs manifestata.

Eam incurrunt hæreticorum ut talium fautores.

(*a*) Ex usu saltem Episcopi Galliæ ab hæresi etiam publicâ absolvunt, sive per se sive per delegatos.

Imò et in diœcesi Bisuntinâ, quamvis in eâ Tridentinum fuerit receptum, et in rituali, etiam correcto, anni 1705, hæresis ponatur inter casus Papæ reservatos. Item ab excommunicatione ob lectionem librorum vetitorum. Talis saltem usus antè diœcesum extinctionem et novam erectionem per concordatum anni 1801; et in seminario Bisuntino hæc excommunicatio ponebatur à professore inter excommunicationes Episcopis reservatas. Idem usus continuatur.

(*b*) Ex affectu hæreseos prodeunte. *Theol. Pictaviensis.*

§ II.

766. Libri alii generaliter, alii specialiter, alii utroque modo prohibiti (*a*).

Sermo hic solùm de lectione librorum generaliter prohibitorum sub pœnâ excommunicationis, ubi vigent constitutio in cœnâ, aut index romanus, aut ubi sic usus statutave particularia.

De indice (*b*) dicendum solùm

1° Quòd contineat libros prohibitos sive propter ipsos auctores, hæreticos scilicèt, vel qui ab auctore hæretico vel de hæresi suspecto editi, de religione tractant ex professo. Sive quia libri illi, etiam ab auctore catholico editi, doc-

trinam continent non sanam, suspectam et moribus fidelium repugnantem.

2° Quòd in regulâ 10 indicis (ad calcem Concilii Trid.) « præcipiatur omnibus fidelibus, ne quis audeat...., contrà » indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere. » Quòd si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris » scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem » damnata atque prohibita, legerit, sive habuerit, statim in » excommunicationis sententiam incurrat. »

Undè fieri potest ut quis tunc in duplicem incurrat excommunicationem, unam indicis, sed non reservatam; et, alteram Papæ reservatam, per Bullam in cœnâ nempè, ubi hæc Bulla, etiam per solum usum in vigore est.

« Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut » habuerit, præter peccati mortalis reatum quo afficitur, » judicio Episcoporum severè puniatur (c). » *Ibidem.*

(a) Hinc legens vel retinens *Augustinum* Jansenii, non incurrit nisi excommunicationem indicis, quia Jansenius hæreticus non erat. Secùs librum *Réflexions morales*, etc., Quesnellii, quia et hæresim continet, et Quesnellius erat hæreticus. *Dens.*

Saltem liber Quesnellii à Clemente XI in Brevi *universi gregis* specialiter sub pœnâ excommunicationis S. P. reservatæ prohibitus est.

(c) Juxtà Steyaert et Dens, prohibitio libri Romæ publicata sufficit; quia decreta librorum prohibitionis non condunt jus novum, sed supponunt jus vetus et receptum regularum indicis. Ergò ubi vigent indicis regulæ, ibi valet librorum in indice designatorum prohibitio.

In diœcesi Bisuntinâ superiores dant licentiam legendi libros in indice prohibitos, quod probat disciplinam Tridentini circà indicem, ibi adhùc vigere.

In eâdem diœcesi, statutis annorum 1573, 1648, etc., vetitur lectio librorum hæresiarcharum, cujuscumque argumenti vel tituli fuerint.

Nota : Episcopus quilibet permittere potest lectionem librorum in indice tantum vetitorum. *Bonacina*, post Reginaldum. Excipe si adsit specialis prohibitio.

Saltem in indice concilii hæc facultas Episcopis non aufertur.

(c) Ex regulâ 5 indicis, non est permissum legere scripturam sacram linguâ vulgari, nisi iis quibus ab Episcopis vel inquisitoribus data licentia est.

Sed multis in locis consuetudo contraria legi in pluribus fortè derogavit, et in quibusdam penitùs abolevit. Aiunt in diœcesi Bisuntinâ legi posse traductiones à S. P. aut ordinario approbatas, non alias. Olim saltem, in genere vetabantur.

767. Cùm, saltem ex usu multis in diœcesibus [753, a](a)

vigeant dispositiones Bullæ *in cœnâ* quoàd excommunicationem Papæ reservatam ob lectionem, etc., librorum hæreticorum, has hìc habeto explicatas, præcipuè à Suarez.

TEXTUS BULLÆ.

« Excommunicamus.... (hæreticorum quocumque nomine » censeantur et cujuscumque sectæ existant) libros hæresim » continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate » nostrâ et sedis apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, » imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quâvis » causâ, etc. »

Scienter legentes [638] (*b*) per se aut per alium (*c*).

Retinentes, licèt idiomate sibi ignoto scriptos.

Retinere autem censetur qui in suâ habet potestate (*d*), licèt non apud se pro nunc.

Si liber retineatur animo illum conservandi, pœna statìm incurritur.

Si verò animo abjiciendi, faciliùs in hâc retentione quàm in lectione erit materiæ levitas (*e*).

Ergò et vendentes pœnam incurrunt, sicut *imprimentes*(*f*).

Et *defendentes*, seu verbo aut scripto approbantes, excusare conantes, laudantes (ni solùm ob stylum), destruere impedientes.

Libros, etiam solùm manuscriptos (*g*).

Imò quamcumque partem libri, etsi hæc pars errorem non contineret, sive quia pars in toto est, sive ob periculi possibilitatem, sive quia libri prohibentur partìm in odium hæresis et hæreticorum

Si plures sint tomi ità distincti ut de diversis tractent, nec inter se habeant connexionem, legi posset tomus qui nec heresim contineret, nec de religione tractaret.

Secùs si unus et idem sit liber, in tomos, ad vitandam molem, divisus.

Hæreticorum (sub quibus apostatæ), id est christianorum pertinaciter tenentium errorem oppositum articulo fidei, ab Ecclesiâ proposito.

Juxtà communiorem et probabiliorem sententiam requiritur ut auctor fuerit hæreticus tempore quo librum scripsit (*h*).

Et sub lege censuræ cadunt libri scripti partìm ab hæretico et partìm à catholico, nisi catholicus hæretici dicta, licèt de verbo ad verbum, desumpserit ad ea confutanda.

Sed tutum non esset legere errores et non antidotum.

Tandem sub censurâ caderet liber catholici in quem hæresis esset ex proposito ab eo inserta; tunc enim non esset liber catholici, sed hæretici.

Nota : Auctores censentur qui dicta aliorum compilant.

Hæresim continentes, vel unam (*i*), modò auctor sit hæreticus, etsi de religione non tractaret ex professò, neque de errore.

Vel *de religione tractantes*, non obiter, sed ex instituto (*k*).

Nota : Licentiâ indigere non videtur prædicator vel controversista qui opus habet quærere in libro vetito citationem ut demonstret auditoribus in quos excessus lapsi sint hæretici, vel ut convincat personam quâcum circà aliquod punctum collationem habet, est casus necessitatis. Tutiùs peteretur dispensatio si in tali casu quis frequenter inveniri deberet.

(*a*) In Bisuntinâ de verbo ferè ad verbum, dispositiones Bullæ circà libros hæreticorum continet Rituale. In correcto legitur : « Præcipuè excommu-» nicationes reservatæ Papæ in jure, sunt quibus innodantur.... 16° legent-» hæreticorum libros de religione tractantes, retinentes, imprimentes. » In non correcto verò, « scienter legentes, retinentes, imprimentes, defenden-» tes libros hæreticorum qui hæresim continent vel de religione tractant. » Ex usu hæc redactio quæ est ipsamet redactio Bullæ, tenet etiam nunc.

(*b*) Scientia autem hic ad incurrendam censuram necessaria extendit se ad omnes conditiones requisitas ut liber sit prohibitus, ità ut v. gr., qui sciret se legere librum ab hæretico scriptum, sed ignoraret etiam vincibiliter hæresim in eo contineri, etc., censuram non incurreret. *Suarez.*

(*c*) Hic, juxtà communem, datur levitas materiæ. Nec movet ratio quam contrà affert Collet. Quòd enim legens etiam paucissima, cadere possit in locum periculosum, non videtur sufficere, quia periculum potest esse remotum.

Equidem mirè variant auctores in assignandâ quantitate ad censuram incurrendam sufficienti. Sed quid mirùm? Nonnè sic in aliis multis. Nemo se exponat. *Coll. And.*

Si vis, hæ sunt auctorum discrepantiæ : alii quasdam lineas pro materià gravi assignant, si locus hæresim continent. Alii quindecim lineas, alii paginam, alii duas paginas. Marchantius non audet à mortali et consequenter

à censurâ excusare eum qui librum solùm aperit, capitum titulos percurrit, in unum aut duo loca conjicit oculos, et statim claudit, si errorem videat.

Sed quid si quis neque legat, neque curet ut legat alius, sed simpliciter legentem audiat? Juxtà Suaresium et Azor, incidit in censuram, quia finis legis totus hic offenditur. Contrà sentiunt Sanchez et Sylvius, nisi, ait iste, audiens hæresi vel hæretico faveat.

Non peccaret qui legeret in idiomate sibi ignoto, ni illud intelligant audientes. *Suarez* contrà Sylvium.

In censuram cadit qui solâ mente revolvit. *Idem* contrà eumdem qui excipit, si faveat hæretico. Quid faciliùs, in his casibus dubiis, periculo se non exponere?

Addit Suarez non posse in præsenti materiâ applicari regulam : *Odia restringi*, etc., quia lex est fidelibus favorabilis. Alii tamen contrà sentiunt.

Nota : Peccat, sed censuram non incurrit qui, licentiam habens, legit ex curiositate, quia clausula licentiæ, v. gr. *Ad effectum libros illos confutandi*, non est revocatoria licentiæ, cùm talis restrictio non adjungatur. *Varii.*

(*d*) Et licèt liber ad alium pertineat. *Suarez.*

(*e*) Sic in dubio, etiam probabili, de libri prohibitione, retineri posse videtur usquequò consulantur periti, modò consulantur quàm primùm commodè, levisque negligentia culpa gravis non esset. Sed meminerint legem factam fuisse partim in justum hæresis horrorem.

Nota : Ubi non viget inquisitio, cùm liber tradi non possit inquisitori, sufficere videtur ut comburatur, nec necesse esse illud tradere Episcopo. *Varii.*

(*f*) Addunt plures : et concurrentes ad impressionem.

Sed multi excusant correctores qui non concurrunt nisi ad curam operis nisi tamen corrigendo legant, quod difficilè aliter.

(*g*) Ex usu Patrum et curiæ Romanæ, nomine libri intelligitur et brevis scriptura, oratio, concio, disputatio, epistola, quæ sæpè majus continent periculum quàm liber grandior. *P. Gab. Ant.* Ità etiam jam Suarez contrà Sanchez, etsi agatur de brevi concione. P. Ant. à Goritiâ et alii à denominatione libri excludunt epistolam; et reverà liber esse non videtur. Sed iterùm quid faciliùs quàm periculum vitare.

(*h*) Sub lege censuræ cadunt ergò libri rituales Græcorum, et juxtà plures, inter quos Collator And., libri eorum qui volunt examini rursùs subjicere quæstiones à SS. PP., cum tacito Ecclesiæ consensu diremptas, quales libri eorum qui pertinaciter rejiciunt Bullam *Unigenitus*, libri Jansenistarum et Quesnellistarum de religione tractantium.

Et juxtà eumdem libri pseudo-philosophorum, qui de religione tractant aut hæresim continent; videntur enim apostatæ. Ità judicavit Archiepiscopus Bisuntinus D. Cortois de Pressigny, anno 1822.

Magis tamen arrideret generalis sententia Suarez et Dens existimantium requiri ut auctor libri, non quidem, ut vult Graphis, sit de hæresi damnatus, sed ut hæreticus aut apostata communi judicio habeatur, ità ut constet quâcumque ratione illum esse hæreticum aut apostatam. Lex enim simpliciter loquitur, cui sententiæ concordare videtur antiquum rituale Bisuntinum in quo excommunicantur hæretici sententialiter condemnati, delati, seu publicè diffamati, et legentes eorum libros, etc.

An autem id dici possit de omnibus pseudo-philosophis? An de omnibus Jansenistis, etc., Pronunciare non audeo. Non enim eo ipso ut hæreticus

Duodecimus : Voluntarium domorum alienarum incendium.

Non ergò reservatur incendium casuale, licèt mortale foret.

Decimus tertius : Homicidium voluntarium actu perfectum, sub quo comprehenditur abortus fœtûs animati [332].

Nota 1° : Reservationi non subjacet qui occidens ad vitam tuendam, moderamen excedit inculpatæ tutelæ; benè verò qui aggressorem jam fugientem occidit.

Nota 2° : Hæc duo crimina mandantes, consulentes, et alii iis cooperantes, reservationem incurrunt, effectu secuto.

Decimus quartus : Usus magiæ strictè dictæ aut maleficiorum, ad ostentationem aut ad nocendum [306].

Reservationi non subjacet peccatum eorum qui magiam consulunt aut ejus usum edocent.

Decimus quintus : Sollicitatio pro se mulieris ad libidinem in sacramento pœnitentiæ, etiam effectu non secuto, nec datâ absolutione, modò in ordine ad eam fiat confessio.

Et sive mulier sit nupta sive libera.

Sufficit sollicitatio implicita, signis, etc.

Sed non reservatur peccatum mulieris corde vel affectu consentientis; benè verò, ut videbitur infrà, si exteriùs consentiat. Sed tunc reservatur solùm pro confessario complice.

Sint hìc.

AGENDA

CUM SOLLICITATIS AD TURPIA IN CONFESSIONE, etc.

769. Constitutiones SS. PP. indicant horribilem hunc casum posse reperiri. Sunt autem Gregorii XV *universi dominici gregis* et Benedicti XIV *sacramentum pœnitentiæ* (*a*).

Ex illis autem sequitur à pœnitente (*b*), sive vir sit, sive mulier, denunciandum sacerdotem quemlibet qui pro se vel pro alio eum sollicitaverit, « vel in actu sacramentalis confessionis, vel (immediatè) antè, vel immediatè post confessionem, vel occasione aut prætextu confessionis etiam confessione non secutâ (*c*), vel etiam extrà occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem (*d*) confessionem, ad inhonesta et turpia, sollicitare vel provocare (sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu (*e*), sive per scripturam aut tunc aut post legendam tentaverint), aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus, temerario ausu habuerint. »

Nec impedit quòd longum tempus à sollicitatione elapsum sit, nisi sollicitans jam mortuus sit.

(a) Bulla Benedicti XIV est confirmatio Bullæ Gregorii XV, quam Franciscus Josephus à Grammont Arch. Bis. voluit in suâ diœcesi observari. *Litteræ Pastorales in capite collectionis statutorum Bisunt. diœc.* Quæ sunt inter parentheses, sunt Benedicti XIV.

(b) Excepto 1°, casu excusationis legitimæ, qualis censetur adesse quoties ex denunciatione malum grave denuncianti et ipsi conjunctis in primo gradu tàm affinitatis quàm consanguinitatis timetur. *Varii* contrà Bonacinam.

Excepto 2°, casù dispensationis pontificiæ ob insuperabilem pœnitentis verecundiam aut timorem. *Pastoralis Basileensis.*

Notant plures, inter quos Bailly, obligationem denunciandi non urgere, quandò confessarius creditur fraternè corrigibilis aut emendatus. Bonacina, Dens, et P. Ant. à Goritiâ qui præsentem legem in suis tabulis multùm discutit, hanc exceptionem non putant probabiliùs admittendam; nihil enim de eâ dicit lex. Solummodò innuit Benedictus XIV esse exceptiones, dicendo: juxtà occurrentium casuum circumstantias. Graves, quos novi, sentiunt ut isti theologi, et sic sentire ipse multùm inclinor; denunciatio enim præcipitur in pœnam et terrorem, et nescio an frequentes forent casus sperandæ emendationis aliter quàm per Episcopi monitionem cum interdicto. Sed esto quòd sæpè eveniret ut non relaberentur sic fraternè moniti; saltem timor fraternæ monitionis non impediret primum crimen sicut timor denunciationis. Aliundè sunt confessarii qui faciliùs ex hàc causâ à denunciatione eximerent. Sollicitans hos confessarios sollicitatis forsan indicaret. Imò post iteratos lapsus profutura crederetur adhùc fraterna monitio, et sic lex ex magnâ parte tacret. Possunt tamen occurrere circumstantiæ adeò claræ ut confessarium ex hàc causâ à denunciando excusantem damnare non auderem.

(c) Ut si confessarius advertens ex confessione pœnitentem proclivem esse ad libidinem, indè sumat occasionem ad ejus domum accedendi aut eam ad se vocandi et sollicitandi, præsertim si id contingat brevi tempore post confessionem, v. gr., eâdem die. *Bonacina, P. Ant. à Goritiâ.* Optimè quidem, si sollicitatus sciret ex tali occasione se fuisse sollicitatum. Sed quomodo illud sciet? Ex aliis ergò circumstantiis judicandum an occasione confessionis facta sit sollicitatio, si non immediatè post confessionem.

Sed quid si confessarius post confessionem exiens ab ecclesiâ, aut etiam in tribunali, peractâ confessione, pœnitenti dicat: *Veni in domum ad prandendum*, etc., vel simpliciter: *Veni in domum*; et ibi cum eo turpia faciat? Non videtur esse casum denunciationis, quia non magìs occasione confessionis quàm aliâ quâlibet invitavit eum. Sed si ex circumstantiis judicare potuit pœnitens, quo fine invitaretur, quia, v. gr., ambo in pravo habitu vivunt, vel jam aliàs sic; et à fortiori si apertè ei dixerit cur eam invitaret; item si in iisdem circumstantiis, confessarius occurrens venienti ad confessionem dixerit: post confessionem venies, etc. Sollicitatio videtur facta immediatè antè, vel immediatè post confessionem. Facienda ergò denunciatio.

Quodnam autem tempus requiratur ut sollicitatio censeatur facta immediatè antè vel immediatè post confessionem? Moraliter sumendum. Hæc enim in instanti physico non consistunt. Sæpè tamen est casus dubii.

(d) Ergò in *sacristiis*, licèt non primariò destinatis ad audiendas confessiones, si cum simulatione ibi audiendi confessionem.

Ergò iidem in domo ubi mulier, v. gr., se simularet ægram et advocaret confessarium qui pro turpibus ei consentiret. *P. Ant. à Goritiâ*. Turpia aliundè fiunt tunc occasione confessionis.

(c) Item, inquiunt iidem, Bonacina, etc., osculis aut aliis signis amatoriis. Hæc enim includuntur in verbis constitutionis supposito quòd amorem carnalem indicant.

Ast quid 1°, si dubia sint sollicitationis indicia? Legem tunc obligare existimant alii contrà alios, inter quos pastoralis Basileensis : sed quo hi fulti principio [135]? Ordinario, nempè legem pœnalem esse rigorosè interpretandam et in dubiis odia esse restringenda. Sed nùm certò casus? Denuntiatio pœna est pro confessario sollicitante, non pro pœnitente qui forsan innocens remansit. Onus ipsi equidem imponitur, sed onus charitatis ob bonum commune.

Nollem tamen hìc scrupulosè agi. Sic: hæc verba confessarii ad complicem peccata apud ipsum deponentem : *Nihil est in hoc mali*, etc., non arbitrarer esse semper indicia vel dubia sollicitationis etiam solùm implicitæ; de hoc judicarem ex circumstantiis et modo dicendi. Verba hæc sunt equidem aliqualis sollicitatio, sed indirecta et remota valdè, in quantum nempè conscientiam complicis possunt compescere et sic ad peccata cum confessario continuanda eum inducere. Ast hoc non videtur propriè dicta sollicitatio, sed ad summum solùm dubia. Provocare, inquit Bonacina, est allicere, precibus rogare, seu aliâ ratione invitare.

In dubio an confessarius verba protulerit ad provocandum vel ad alium finem, præsumitur quòd ad provocandum, quia sic communiter. *Idem*. Ergò in casu præsenti, si diceret confessarius : *Hæc mihi sedatâ conscientiâ permitte*, sollicitatio esset.

Et occurrere possunt forsan dubia circà amplexus in ipsâ confessione habitos, tactus manuum, etc., an nempè hæc turpia sint et inhonesta ad luxuriam pertinentia. Oscula non videntur posse relinquere dubium.

In vero dubio, undecumquè veniat, casum Episcopo exponerem de licentiâ pœnitentis, et ne multiplicentur epistolæ, nomen sollicitantis in papyro brevi sigillato ab ipso pœnitente, in epistolâ casum sub ficto nomine exponente, et tutò mittendâ, includerem papyrum. Aperiet, si judicet, Episcopus. Sic Cardinalis Cozza, etc.

Quid 2°, si sollicitatio consistat in sermonibus lascivis, sed ipse pœnitens prior confessarium ad hos sermones provocaverit? Alii negant casum esse denunciationis, quia lex loquitur solùm de sollicitantibus, non de sollicitatis. Sed confessarius, etsi consentiens, non sollicitat. Alii affirmant, quia confessarius habet saltem sermones inhonestos cum pœnitente. *Aut cum eis illicitos et inhonestos sermones temerario ausu habuerint*, inquit Benedict. XIV in suâ constitutione. Imò si nihil dicendo, confessarius externè consenserit his sermonibus modo qui consensum demonstret, videtur esse in casu denunciationis, quia per signa, quæ vocibus æquivalent, tractat inhonestè cum pœnitente.

Nota 1°. Si persona sollicitata non possit adire Ordinarium, nomen et locum sollicitantis scribat, aut si nesciat scribere, sub aliquo prætextu ab alio scriptum obtineat, claudat sigillo, ut suprà, tradatque confessario qui mittet cum casu et attestatione sinceritatis personæ sollicitatæ. Addit pastoralis Basileensis exigendum juramentum super veritate facti. Sed non exigatur quòd subscribat, si sit verecundæ nimiæ. Non mihi videtur hoc unquàm exigendum.

Quòd si hæc fieri nequeant, neque velit confessarius in se suscipere onus denunciandi, nec persona sollicitata possit sine detrimento rei (quæ gravissimi momenti est) proportionato, adire Ordinarium, cessat obligatio.

Ast teneturne confessarius suscipere onus denunciandi? Negant multi; quin et aliqui volunt personam sollicitatam non teneri sollicitantem confessario suo designare, quia eum apud ipsum diffamaret. Sed, inquit P. Ant. à Goritiâ, hoc contrà praxim esse videtur; non enim rarò per confessarios fiunt denunciationes. Si autem confessarius possit onus denunciandi suscipere, non video cur, ratione boni communis, ad id non teneretur.

Nodum præcidit D. Episcopus Basileensis in suâ pastorali jam sæpè citatâ, multùmque commendabili. « Si scribere nesciat pœnitens, onus ipsi imponat confessarius sibi concedendi licentiam post peractam confessionem, de » faciendâ denunciatione cum ipso colloquendi, quâ obtentâ, et præstito à » pœnitente de dicendâ veritate juramento, ex auctoritate D. Episcopi sibi » confessario juxtà decretum Urbani VIII, 27 septembris 1624, editum Fer» raris (verbo *sollicitatio*, n° 10) per præsentes specialiter delegatâ extrà » confessionem ore tenùs à pœnitente denunciationem suscipiat, etc. Eam » (omisso denunciantis nomine) cum testimonio de veritate mittet obsigna» tam, etc. »

Nota 2° Non statim aperienda sollicitatis obligatio denunciandi, tùm quia forsan reticerent, aut casum mitiùs exponerent; tùm quia non impossibile est, quòd perditæ mulieres confessarium calumniosè insimulent. Omnia ergò sunt antè pensanda. Videndum an sit causa denunciandi, et an credi possit personæ se accusanti. Diffidendum non parùm, si primo aditu dicat: *Confiteor quòd fuerim sollicitata*. Sed ordinariè sollicitatio deprehenditur in inquisitione circumstantiarum peccati, ità ut ægrè ferant cùm enunciatur obligatio denunciandi. Rarus ergo casus calumniosæ insimulationis.

Cùm reperiuntur quæ cum sacerdote quovis modo peccaverunt contrà sextum præceptum, (quam circumstantiam, ex verecundiâ non rarò celant, ni stimulet multùm conscientia) inquirendum nùm apud ipsum confessæ sint? Nùm de his in tribunali quæstio? Quid antè, quid post confessionem, etc.?

Nota 3° Juxtà aliquos denunciatio fieri debet Episcopo loci undè est confessarius sollicitans; juxtà alios Episcopo loci ubi est; et id satiùs apparet.

CASUS

In diœcesi Bisuntinâ specialiter reservati.

770. Sunt numero novem quorum septem spectant ad clericos in sacris constitutos, et ex iis tres reservantur ratione censuræ, suspensionis nempè ab ordine et quidem latæ sententiæ.

Alii sex solùm ratione sui.

Hos casus, pro quibus remittendis specialis requiritur delegatio, in multis interpretatus est vivâ voce D. Cortois de Pressigny Archiepiscopus Bisuntinensis, ut ubi opus erit, annotabimus. Sed nondùm sufficienter promulgata videtur hæc interpretatio ut authentica sit, vimque legis habeat. Sed cùm mox, aiunt, talis futura sit, referendam putavimus, salvis, si quæ fiant, mutationibus.

CASUS

Specialiter reservati ratione censuræ.

I. Ex Statutis 9 et 56, Tit. II.

Non deferre vestem talarem in loco residentiæ, qui totam parochiam complectitur, aut in alio diœcesis loco, si ibi fiat commoratio plusquàm octo dierum [634, *d*].

Statuta subsequentia præcipiunt, sed sine pœnâ, ut vestis sit à collo ad pedes modestè occlusa.

Togæ longæ (*les anglaises*) ad renes usquè solùm occlusæ, non videntur, in sensu statuti, vestis talaris (*la soutane*), sed si extendantur ad pedes sintque, multùm saltem, infrà renes occlusæ, etsi sine globulis (*boutons*) nihil nisi certa forma illis deesse videretur. Permittuntur autem peregrinantibus, toga brevior (*la soutanelle*), et ex usu à superioribus non reprobato, vestis gallica nigri aut obscuri coloris, quæ infrà genua descendens, à togâ breviori non differt nisi per aperturam.

Ex supradictâ interpretatione censuram non incurrit qui sine veste talari degit in atrio suo, in horto aut viridario concluso, etsi ab ædibus presbyteralibus viâ publicâ separato.

Benè verò si in pratis, sylvis, etc., sine eâ deambularet, aut antè domum sine causâ necessariâ extrà septa staret sederetve. Sic statutum interpretatur usu timoratorum.

Nec ex eâdem interpretatione, censuram incurrit si sine talari extrà parochiam eundo aut intrà redeundo, in aliquam parochiæ domum intret, aut si jam, post reditum, domum suam ingressus, denuò exeat ad eundum in ecclesiam aut aliquam domum. Sed quàm facile talarem statim induere !

Nec tandem si, extrà parochiam eundo, ad aliquam ab ædibus suis distantiam domum alienam ingressus aliquâ de causâ, retineatur ad prandium, contrà suam prævisionem, etsi post prandium iter non continuaret.

II. Ex eodem Statuto 9.

Compotatio in tabernis.

Parochiæ nempè et locorum vicinorum, si illùc eatur comessationum causâ, nullâque negotiorum aut itineris ulteriùs conficiendi necessitate.

Taberna comprehendit hortos, viridaria aliaque loca annexa ab eâ dependentia.

Ex supradictâ interpretatione, domus in quâ cafeus et liquores cuilibet pro pecuniâ distribuuntur ibi sumenda hìc tabernæ loco venit.

Statutum subsequens excipit à statuto præsenti casum in quo parochus ejusve vices gerens, pro sacramentorum administratione aliisve parochialibus muneribus (non pro particularibus negotiis) ad remotiores parochiæ partes progrediens, ibidem in tabernâ, si necesse, nec commodè queat alibi, refectionem sumeret. Conditionem : *Si necesse, aut nequeat alibi commodè*, abstulit supradicta interpretatio, utpotè anxietatibus locum præbentem.

Nec ex eâdem interpretatione ad bibendum ire censetur qui vicinum parochum invisens, cum intentione refectionem cum parocho sumendi, eum non inveniens, in tabernâ prandit, maximè si à caupone invitetur.

Secùs qui pagum vicinum petens, etiam sine intentione in tabernâ bibendi, in eâ tamen bibit sine morali necessitate, sed compotationis causâ. In casu est illius qui vadit ad bibendum.

II. Ex Statuto 22 ejusdem Tituli.

Interesse ludis publicis,

ALEARUM præsertim et chartarum, etiamsi non ludatur, et sive in locis publicis sive in domibus privatis, ubi tenentur academiæ (*tripots*) ad quas omnes promiscuè admittuntur, ludi illi exerceantur.

Ludus metularum in loco publico, lucri causâ exercitus, ad quem omnes pro suâ pecuniâ admittuntur, jam ex declaratione superiorum inter ludos publicos fuerat annumeratus.

Sed insuper, ex supradictâ interpretatione, locus ipse ludi (et sanè similium ludorum) sub censurâ vetitus est, in hoc sensu quòd non liceat in sacris constitutis in eo ludere, etiam tempore quo aliis lusoribus vacat, etsi non omnes indiscriminatim ad ludendum cum clericis admitterentur, et etiamsi ludi illi essent in atriis, areis, hortis, etc., domorum privatarum, eo ipso quòd omnes ibi promiscuè admittuntur, censentur enim tunc academiæ.

Ergò statutum extensum est. Non enim loquebatur nisi de iis qui intersunt ludis publicis. Locus autem non facit ludum.

Videretur tamen pro ludi loco non habendus ludus in domo privatâ in quo ex merâ benevolentiâ dominus admittit quos vult, licèt eò usquè progrediatur ejus benevolentia ut omnes admittat, modò non sat frequenter ut ejus domus academia ludi (*tripot*), dici possit.

Cæterùm ludo interesse non censetur qui è fenestrâ, v. gr., aut ex horto, ludentes conspicit, nisi ità prope ut sermonem cum ludentibus aut adstantibus, voce ordinariè in conversatione elatâ, miscere possit.

Nota : In his tribus statutis, sicut in aliis, est materiæ levitas, licèt difficilè determinanda. Nec enim, v. gr., statutum graviter violat qui in tabernâ vini semi-poculum bibit, præsertim si solùm ad illud gustandum, imò nec tunc leviter peccat. Idem dicendum de eo qui propè ludentes transiens, eos instanti quasi physico conspicit, etiam gradum sistendo; vel qui instanti itidem quasi physico extrà portam domûs suæ aut atrii sine veste talari egreditur.

Specialiter reservati solùm ratione sui.

I. Ex Mandato anni 1709, renovato anno 1703.

Cohabitatio cum mulieribus ætatem prærequisitam non habentibus.

In hunc incidunt cum suspensionis comminatione (ex litterâ pastorali in capite collectionis statutorum) clerici in sacris, qui concedunt personæ diversi sexûs ut domi pernoctet, aut, etiamsi non pernoctet, assuescunt et affectant admittere eam ad officia domestica (*pour faire le ménage*), cùm decimum-quartum superans, quadragesimum ætatis annum nondùm complevit, ni mater sit (aut matertera) (*a*), soror, vel uxor fratris, amita aut neptis seu filia fratris vel sororis.

Jam licebat personas diversi sexûs, quæ domum, visitationis causâ convenirent, tribus aut quatuor diebus retinere.

Sed ex supradictâ interpretatione, possunt domi pernoctare operariæ longiùs distantes ut in domum suam redeant. Sed non crebriùs fiat.

Et si, absente clerico, extranea domi pernoctet, non esset locus peccato statuti violati. Imò, adveniente noctu clerico, non foret necessariò pro hâc nocte dimittenda.

Et si clericus apud suos, quorum non sit quasi caput, manens; aut in alienâ domo pensionarius existat, potest fœminarum domûs istius uti obsequio, nisi sint in ipsius famulatu peculari.

(a) Sic interpretantur.

II. Ex Statuto 11 Tituli XXI.

Neglectus instructionis quæ dicitur le prône, *aut catechismi duobus Dominicis continuis, à clericis curam animarum habentibus.*

Negligere autem non censetur qui omittit ob necessariam ægrotantium visitationem, sacramentorum administrationem, infirmitatem, etc.

Qui supplet parochum tenetur sicut ipse et non ampliùs, ità ut si suppleat, ob istius infirmitatem,pro missâ celebrandâ,ad pronum non obligetur, licèt ipse non infirmetur, nec ullam aliam exemptionis causam habeat.

Quamvis sat ex tenore statutorum pateat quòd catechismus pronum et pronus catechismum non suppleat; id insuper citatâ interpretatione declaratum est.

Sed additum quòd dominicâ Palmarum et dominicâ in quam incidit festum Corporis Christi, aliisque in quibus parochus à prono intrà missarum solemnia legitimâ impeditur causâ ob, v. gr., parochiarum administrationem, pronus intrà vesperas fieri queat.

Item quòd instructio in dominicâ facienda (pronus sit, vel catechismus) in festo solemni intrà hebdomadam incipientem cadente fieri possit.

III. Ex Statutis 20 et 53 Tituli II.

Venatio cum armis ignitis.

Statutum hoc solos spectat clericos curam animarum habentes. Aliis in sacris constitutis comminatur suspensionem.

Statutum litteraliter non attingit nisi eos qui venationi insistunt, sed declaratum posteà, et notanter in citatâ interpretatione venationem cum armis ignitis simpliciter dictam statuto vetari.

Non tamen venari censendus est qui avem vel feram videns in horto, occidit, aut ab horto pisces in flumine.

Nec, arbitror, qui fortuitò in campis avem videns, etc., catapultam venatoris transeuntis arripiens, avem, etc., occidit. Non venatur.

IV. Ex Statuto 27 Tituli XI.

Auditio confessionis mulierum extrà ecclesiam, etiam in sacristiâ, aut in ecclesiâ sed extrà tribunal in loco patenti erectum.

Excipiuntur confessiones legitimè impeditarum morbo, infirmitate, senectute, prægnatione, difficultate audiendi. Ex epistolâ pastorali quæ est in capite collectionis statutorum, eæ audiri possunt extrà tribunal in ecclesiâ, vel in alio loco patenti.

Observat statutum quòd cùm tales audiuntur in sacristiâ (item in domo, in lecto) janua non debeat esse clausa

Et quòd tribunal debeat esse à parte anteriori clausum. Sed ex citatâ interpretatione duo hæc ad rigorem statuti non attinent.

Reservationi subjecta mihi videtur auditio extrà tribunal, puellarum in cæremoniâ primæ communionis, etsi absolutio non detur.

A fortiori si aliæ quævis fœminæ, licèt in sacristiâ, pro reconciliatione, ut aiunt, audirentur, quia reconciliatio, licèt brevis, vera confessio est.

Equidem simile statutum aliter interpretati sunt superiores Chamberienses (formula Chamberiensis); sed oppono auctoritatem Archiepiscopi Melchiniensis qui in decreto anni 1724, vetuit ne ullo unquàm casu aut prætextu, nequidem ob peccati omissi, aut oblitæ sacramentalis satisfactionis prætextum, excipere confessionem vel partem ejus à personâ fœminini sexûs ab anteriori parte confessionalis, et id sub pœnâ suspensionis ipso facto ab audiendis confessionibus. Interpretatio superiorum Chamberiensium valet pro diœcesi Chamberiensi, sed non posset pro nostrâ in exemplum adduci. È contrà confirmor in meâ sententiâ exemplo diœcesis Melchiniensis, eò quòd sat similes fuerint Belgii et comitatûs Burgundiæ mores et disciplina, utpotè quòd illæ provinciæ iisdem principibus diù subditæ fuerint.

Igitur usquè dùm explicet aliter statutum nostrum D. noster Archiepiscopus, petenti reconciliationem dicendum ut ingrediatur tribunal; et si vix sinat tempus, ipsi mihi videtur dici posse sæpiùs: *vis mihi dicere extrà confessionem, sub secreto tamen*, quid te remordeat, ut videam an sit casus reconciliationis? etc.

V. Ex Statuto 14 Tituli XIV.

Peccatum complicis, sive viri, sive mulieris, in materiâ luxuriæ.

Per peccatum in materiâ luxuriæ hic intelligitur quidquid in hâc materiâ mortale est, etiam turpiloquia, oscula, amplexus, aspectus, tactus manuum, si hæc sint libidinosa; nec requiritur alia consummatio.

Sed ut locum habeat reservatio, requiritur non solùm ut peccatum sit utriusque mortale et utriusque externum quatenùs mortale [99]; sed ut externum sit quatenùs mutuum, seu ut sit exteriùs manifestatum ex utrâque parte simul moraliter, sive verbo, sive gestu, sive aspectu ità ut sit invicem conspicuum ut mortale et communicatum.

Undè si actus externus supponi possit solùm venialis, ut, aliquandò saltem, leve osculum, tactus levis manuum, etsi utrinque fieret animo libidinoso, non reservaretur.

Item si actus exterior sit libidinosus, ut tactus impudicus, sed unus exteriùs resistat sufficienter ut mortalis non sit exteriùs, etsi interiùs consentiret, aut occultè motus voluntarios, imò voluntariam pollutionem experiretur, non foret reservatus, quia non esset exterior complicitas, et quia in complicitatem cadit reservatio. *Varii.*

Reservatio autem afficit solum confessarium complicem, non alium, nisi aliundè peccatum jam reservatum sit.

Nec reservatur, saltem in diœcesi Bisuntinâ, peccatum ipsius confessarii, ni adhùc aliundè sit reservatum.

Nota 1°: In concessione generali facultatis absolvendi à casibus reservatis etiam specialiter, nunquàm comprehenditur facultas absolvendi complicem in materiâ luxuriæ, debetque fieri expressa mentio facultatis hujus quæ non nisi in casu extraordinario et ob causas gravissimas concederetur.

Imò graviter peccaret confessarius qui in articulo mortis talem complicem absolveret, cùm posset illi confessarium alium procurare. Sed validè tamen absolveretur moribundus, quia non ex suâ culpâ alium confessarium non habet, aut ignorat reservationem.

Qui peccata dubia ut reservata non habent, faciunt quidam hìc exceptionem, sed magis puto, ob horrorem quàm ob casûs differentiam. Saltem in praxi tenenda sententia tutior.

Nota 2°: Complicis in materiâ luxuriæ ab alio validè absoluti confessiones ulteriores audire potest sacerdos complex, sed, sæpiùs saltem, quàm hoc indecorum, ne dicam periculosum!

Nota 3°: Ex citatâ interpretatione, ad vitandas anxietates multas, prohibitio audiendi complicem in quâcumque materiâ [770], quæ statuto lata erat, sed quoàd licitatem solùm sublata est.

Ast in casibus multis remanere videtur prohibitio quædam major vel minor juris naturalis. Numquid enim decenter ebriosus, v. gr., ebriosum commensalem audiret in tribunali? Et quo fructu? Hinc S. Carolus in suâ synodo diœcesanâ XI confessariis generatim atque universìm facultatem interdixit sui cujuscumque criminis socium, seu quoquo modo participem absolvendi.

Nota 4°: Manuale genevense D. Biord à reservatione excludit peccata complicis alterius quàm fœminei sexûs, et peccata à muliere commissa cum sacerdote antequàm sacerdos ordinem sacerdotii reciperet. Sed hæ distinctiones non inveniuntur in constitutione Benedicti XIV, *sacramentum pœnitentiæ*, nec in statuto Bisunt. diœcesis. Quin contrarium clarè indicatur pro priori casu. De posteriori nihil audeo dicere. Solùm ergò pro diœcesi genevensi et aliis ubi similes exceptiones habentur, iis tuto uti posse existimo.

VI.

Peccatum cauponum qui tempore officiorum divinorum diebus de præcepto festivis et dominicis parochianis vinum præbent.

Nota: Erat et septimus casus specialiter reservatus ratione sui, nempè peccatum heremitarum sibi de collectis (*quêtes*) aliquid in particulari retinentium.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARIORUM POST CONFESSIONEM.

771. Hæ sunt : orare pro pœnitentibus, præsertim si sint obdurati ;

Iis exemplum esse omnium virtutum ;

Secretum servare [103, etc.];

Parùm et cum multâ circumspectione de his loqui, etc.

Demùm reparare defectus, si qui in actu confessionis fuerint.

Porrò ii defectus sunt vel substantiales, vel solùm accidentales.

Substantiales : cùm ex quâcumque causâ invalida fuit absolutio [88, *b*].

Accidentales : si data sit, non sat cognitâ specie aut numero peccatorum, vel non instructo pœnitente aut non monito de obligatione restituendi vel satisfaciendi, vel occasionem vitandi ; vel non interrogato circà numerum, circumstantiasve, si opus erat, aut de fraudibus in arte suâ communibus, etc.

§ I.

772. Si ex culpâ gravi defectus substantiales commiserit confessarius, vel ad eum redibit pœnitens, vel non redibit.

Si redeat, confessionis præcedentis defectus reparare sub mortali tenetur, etiam cum gravi suo incommodo.

Sed quâ viâ? Excipiendo cum industriâ à pœnitente novam confessionem sive generaliter, si sat meminerit statûs ipsius conscientiæ, sive particulariter, non tamen quoad minuta, ut sat recordetur, etc., quo facto eum absolvet simul et à non remissis et à recenter admissis, supposito quòd sit dispositus.

Si redire non debeat : vel urget necessitas, v. gr., periculum mortis, aut diuturna in peccatis perseverantia, vel hæc non urgent ;

Si urgeant : petitâ prius licentiâ (a) eum de intrà confessionem gestis alloquendi, moneat de nullitate confessionis ;

Si non urgeat necessitas, idem faciat, si possit sine scandalo, aut longè graviori detrimento.

Sed si prævideat pœnitentem ex monitione graviter commovendum, et indè odiosum futurum sacramentum ; aliudve grave timeat scandalum, non moneat, nisi forsan pœnitens diù permansurus sit in peccatis, hoc ultimum cum gravitate mali quod timetur, ponderando.

Imò, si moraliter certum sit pœnitentem iterùm et brevi confessurum, et indirectè proindè absolvendum, divinæ providentiæ dimittendus est, quia sequeretur semper aliquod scandalum in pœnitente et magna verecundia et infamia in confessario (b).

Si autem defectus essentiales commissi sint inculpabiliter, aut solùm venialiter, non videntur reparandi cum gravi incommodo (c) nisi absolutus invalidè sit in periculo mortis (d).

(a) Si licentiam dare nollet, quamvis, ex D. Carolo, ad id teneatur, foret tamen monendus, inquiunt aliqui, si esset in necessitate spirituali extremâ, modò ex monitione fructus speretur, quia non esset rationabiliter invitus. Hùc accedit quòd, juxtà probabiliorem, non frangeretur tunc sigillum.

(b) Videtur certum plures defectus essentiales fore in primâ benè factâ confessione reparandos, omnes nempè pro quibus confessarius futurus habebit jurisdictionem, quia non requiritur accusatio oblitorum, sed cum declaratis declarata censentur et remissà. Instar oblitorum autem erunt peccata in præcedenti confessione declarata, sed non remissa.

Notat hìc Billuart quòd si quis fuisset à censurâ invalidè absolutus, posset confessarius obtinere facultatem eum absolvendi nescientem : imò absentem.

(c) Ut quid grave reputant multi confusionem et infamiam confessarii : decidant circumstantiæ.

(d) Qui sine jurisdictione in parochiâ aliquâ confessiones audivisset, reparare omnia ferè posset et deberet, mediante parocho et aliis parochiæ confessariis, si in eâ ipse confessiones ampliùs audire nequiret.

Dicunt aliqui in scamno absolvendum qui absolutus non fuit in tribunali [88, a]. Alii, cùm videbitur ubicumque. Quod ultimum non videtur ullatenùs probandum.

§ II.

773. Item defectus accidentales sunt culpabiles vel inculpabiles.

Si priùs, confessarius videtur teneri eos corrigere, præsertìm si sint graviter culpabiles, modò possit sine suî incommodo culpæ (*a*) et damno sacramenti et pœnitentis proportionato.

Et certò ad id tenetur, etiam cum gravi suo damno, si error cum magno tertiæ personæ aut ipsius pœnitentis detrimento conjunctus sit, et fuerit mortaliter culpabilis.

Ex charitate saltem, si fuerit causa negativa damni [578, *a*] v. gr., non obligando ad restitutionem; ex justitiâ verò si *deobligando* ab eâ.

Si posteriùs, nec defectus sint cum damno (*b*) tertii, etc., conjuncti, ad nihil ordinariè tenetur confessarius, quia ordinariè non posset eos reparare sine suo, aut pœnitentis, etc., graviori damno, malâ existimatione, etc.

Excipe si confessarius errorem docuerit ex quo sequeretur violatio præcepti;

Vel si ex omissione monitionis aut silentio ejus pœnitens moveatur ad credendum illicitum quod licitum sit et vicissìm; charitas enim exigit ut hæc reparentur cum aliquali etiam incommodo, et quia reparanda est omissio periculosa rei ex officio debitæ.

(*a*) Etiam cum gravi sui incommodo, si damnum tertii per se exurgat, præsertìm si culpa confessarii gravis fuerit. *P. Ant. à Goritiâ* [557].

Defectus accidentales reparabit in confessione sequenti, ut suprà dictum est, si possit non reddendo confessionem odiosam, sed non extrà confessionem, quia judicium jam finitum est, et ex monitione semper natum est sequi scandalum in pœnitente. *Billuart.* Undè non oportet petere licentiam, nec ad novam confessionem invitare, nisi ob graviores causas, v. gr., ad peccata gravia tollenda, ad impediendam infamiam; quia hoc odiosum. *Dens.* Quæ omnia eò lubentiùs admitto et multi sanè itidem, quòd confessarii scrupulosi semper angerentur et sæpè licentiam peterent loquendi de actis in confessione, cum vilipensione sui ministerii et rubore pœnitentis.

Ast nùm tenetur licentiam petere si culpabiliter malè obligavit ad restitutionem aut *deobligavit?* Meliùs faceret, restituendo ipse si possit, ut deberet. Si autem non possit aut malit licentiam petere, videndum ex quâ parte majora sint inconvenientia.

(*b*) Si autem defectus inculpabiles conjuncti sint cum damno tertii, aut cum positivâ damnificatione quæ non sit primò faciendâ, etiam tunc ad nihil tenetur confessarius, inquit P. Ant. à Goritiâ. Sed si damnosa sit decisio, tenetur saltem ex charitate, et juxtà P. Gab. Ant., ex justitiâ errorem dedocere, quia, inquit iste, quisque tenetur ex justitiâ impedire ne suâ actione etiam inculpabili, pariatur alteri damnum. Quod conforme est principiis ubi de restitutione positis [557].

Undè si potuit impedire effectum malum, et non fecerit, restituere tenetur, quamvis posteà moneret, si ab omissâ monitione, monitus factus fuerit impotens ad restituendum.

Hæ sunt justæ sequelæ sententiæ P. Gab. Ant., in suppositione quòd saltem graviter peccaverit confessarius non dedocendo errorem.

Eadem dicenda si indebitè ad restitutionem obligaverit pœnitentem, cum hâc differentiâ quòd non ægrè ferret pœnitens se de suâ licentiâ. extrà confessionem de errore moneri. An autem sic moneri debeat, petitâ ejus licenceentiâ qui à restitutione inculpabiliter deobligatus est, collige ex suprà dictis.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA, EFFECTIBUS ET NECESSITATE SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS.

774. EXTREMA-UNCTIO, seu sacramentum exeuntium, quod pœnitentiæ complementum est, à Christo institutum fuit ad delenda peccata peccatique reliquias, et levamen ægroto, imò sanitatem, si saluti ipsius expediat, tribuendam.

Apud S. Marcum, cap. 6 insinuatur, et à B. Jacobo promulgatum est his : *Infirmatur*, etc.

Hujus sacramenti materia remota oleum est olivæ (utpotè oleum simpliciter dictum) quod ab Episcopo aut à sacerdote ad id deputato (*a*) consecratum sit.

Materia proxima unctio est; forma verò, verba quæ unctionem comitantur (*b*).

(*a*) Non pauci benedictionem ad essentiam non pertinere existimant. Pauciores oleum quodcumque ad validitatem sufficere opinantur. Alii volunt quòd à Papâ deputatus sit simplex sacerdos ad oleum hoc benedicendum. Alii probabiliùs existimant sufficere deputationem Episcopi, quia sic apud Græcos.

Quidquid sit, utendum, sub gravi, oleo, etc., ab Episcopo benedicto, et quidem in anno, etiam sub gravi, juxtà aliquos, nisi adsit casus necessitatis.

(*b*) Forma debet esse deprecatoria, etsi indicativa in usu alicubi fuerit. *Orent super eum.*

Undè concludunt aliqui, invalidum evadere sacramentum, si minister voluntariè distrahatur; et idem dicunt de benedictionibus, si distractio sit plenè voluntaria.

Ast validitas sacramentorum ab intentione pendet, non ab attentione ministri [13]. Oratio quidem est forma sacramenti extremæ-unctionis, sed ut est opus operatum, non ut opus operantis. Aliundè à malis ministris sæpè invalidè conferretur sacramentum hoc, et continuò anxiarentur scrupulosi, iterareque vellent. Tandem ratio quam afferunt ii pauci, nempè quòd deficiente voluntariâ attentione orantis, deficiat ejus intentio, nulla est.

Nota : Sub mortali ex genere suo recitandæ sunt preces quæ unctiones

præcedunt et subsequuntur, si per tempus liceat; et si urgente causâ fuerint omissæ, debent suppleri, si vivat adhùc æger.

Sunt qui ut quid leve habent omissionem litaniarum, sed cur aliquid sine necessitate omitteretur?

---

775. Extremæ-unctionis effectus sunt infusio gratiæ sanctificantis;

Remissio consequenter, saltem indirecta et per accidens, peccatorum mortalium. Infusio enim gratiæ est cum peccato mortali incompossibilis.

Si autem directè peccata mortalia remittat extrema-unctio, id operatur tanquàm pœnitentiæ supplementum (*a*);

Remissio probabiliùs directa venialium; *si in peccatis sit, remittentur ei;*

Allevatio infirmi, undè fiducia in Deum misericordem, faciliorque diabolo resistentia;

Deletio reliquiarum peccati, torporis nempè, mœroris, anxietatis, metûs mortis et judicii et præcipuè pravarum dispositionum animæ;

Deletio pœnarum peccato debitarum;

Et tandem, secundariò, restitutio sanitatis, si saluti expediat, nec naturalis ordo aliter postulet (*b*).

(*a*) Ex verbis generalibus D. Jacobi, videtur extremam-unctionem mortalia directè remittere. Cùm enim omnes sint in peccatis saltem venialibus (*si dixerimus quoniam peccatum non habemus, etc.*); si de venialibus solùm loqueretur apostolus, non diceret: *Si in peccatis sit.*

Quidquid sit, cùm non potest fieri confessio aut dubitatur an, quæ fieri potest, aut supponitur facta (ut vita christiana quam duxit moribundus) sit sufficiens [731]; in casu in quo non sufficeret, extrema-unctio sacramenti pœnitentiæ vices supplet in contritis, etiam solùm imperfectè, juxtà multos.

(*b*) Non conveniunt effectum hunc procedere ex opere operato.

---

776. Sacramentum hoc necessarium est, saltem per accidens, ratione nempè tentationum quæ instante morte urgere solent, et ratione vitandi scandali (*a*).

Undè fideles tenentur illud recipere; et omittentes graviter peccarent, saltem si ex contemptu aut cum scandalo, qualia ferè semper, maximè cùm à pastore monentur (*b*).

Et illud itidem sub gravi, contrà justitiam quidem, minis-

trare tenentur curam animarum habentes, etiam cum mortis periculo, iis qui non certò absolutionem validè receperunt, ut sensu orbati aliique quorum incerta confessio ; quia fortè vel attriti, per hoc sacramentum salvarentur, qui sine eo damnarentur [17, *c*].

Sacramentum hoc non iteratur (*d*) in eâdem infirmitate, et eodem infirmitatis statu, etsi sacrilegè susceptum.

Sed si æger convaluerit, ità ut mortis periculum evanuerit, rursùs ungendus est, si idem periculum in eâdem etiam infirmitate redeat; quia, ut ait D. Thomas, sacramentum hoc medicina est; et toties adhibenda est medicina, quoties redit infirmitas (*e*).

(*a*) Imò probabiliùs, contrà D. Thomam et plures alios, Suarez nempè, Estium, Cabassutium, Billuart, etc., hoc sacramentum videtur necessarium necessitate præcepti saltem ecclesiastici, etsi Benedictus XIV (de synodo diœcesanâ, lib. 8, etc.) non velit ut Episcopi in suis synodis illud dicant necessarium ullo præcepto. Nam cur institutum sacramentum adeò salubre, sine obligatione illud recipiendi ?

(*b*) Aliqui nullum aut saltem non nisi leve peccatum vident in non receptione hujus sacramenti, seclusis contemptu, etc. Hoc sequela est sententiæ D. Th. et ipsi adhærentium; sed praxis fidelium contraria est. Aliundè quomodò omissio hæc conciliaretur cum suî ipsius charitate ?

(*c*) Infirmo autem qui pœnitentiæ sacramentum recepit, extremam-unctionem cum evidenti mortis propriæ periculo ministrare non tenetur pastor, quia eam cùm tali periculo recipere non teneretur æger.

Graviter etiam peccant pastores, qui hoc sacramentum ministrare differunt usque dùm ægrotans rationis usum perdiderit, aut cùm jam omni sanitatis recuperandæ spe amissâ vitâ et sensibus carere incipit. *Catechismus Romanus. Collet. P. Gab. Ant.*

Notant varii sacerdotem alium quam parochus sacramentum illud ministrare teneri sub veniali in parochi absentiâ, et sub mortali, si infirmus aliud sacramentum quo ipsi subventum sit, recipere non potuerit.

(*d*) Hoc contrà plura antiqua Ritualia. *Benedictus XIV*, de synodo diœcesanâ, lib. 8, cap. 8, n° 4.

(*e*) Notant meritò aliqui non agi de morbi statûs mutatione, quæ fieret de unâ die in unam diem, de manè ad vesperam.

Admonet tamen ibidem Benedictus XIV parochum in his casibus non debere scrupulosiùs se gerere, sed in dubio an reverà morbi status mutatus sit, in iterationem propendere.

CAPUT II

DE MINISTRO SUBJECTOQUE SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS, ET DISPOSITIONIBUS AD ILLUD RECIPIENDUM.

777. Minister est sacerdos, et quidem (*a*) ad licitatem parochus aut ejus vices gerens, ni necessitas aliud postulet, aut parochi delegatio prudenter præsumatur (*b*).

(*a*) Mortaliter peccaret extraneus qui sine, etc., illud ministraret. *P. Ant. à Gorit. et alii.*

(*b*) Duo aut plures sacerdotes possunt, urgente necessitate, simul facere unctiones, inquit Benedictus XIV loco citato. Sed extrà casum necessitatis peccarent mortaliter. *P. Ant. à Goritiâ.*

Dubitant an in necessitate sacerdos possit istud sacramentum sibi ministrare. Crederem, si rationem haberet dubitandi an sit sibi ad salutem necessarium, quia sicut in necessitate utuntur materià dubiâ, ità et ministro dubio uti licere videtur.

---

778. Subjectum est omnis christianus usum rationis adeptus qui jam peccaverit (*a*).

Et qui ita ab causâ intrinsecâ ægrotat ut de ejus morte probabiliter, etsi non probabiliùs, timeatur.

Dandum ergò sensu subitò privatis (*b*) et cæcis, surdis, paralyticis, quamvis sensu visûs, etc., caruerint, et quidem sensum hunc ungendo; quia peccare potuerunt per potentias internas, desideria, etc., huic sensui correspondentia.

Et senibus qui, quamvis nullâ urgente infirmitate, in dies morituri creduntur, verè enim ex senectute infirmantur.

Et vulneratis ad mortem, venenove infectis,

Sed non excommunicatis aut interdictis, aut impœnitentibus (*c*).

Nec furiosis aut amentibus qui toto vitæ tempore insanierunt.

Secùs si lucida habuerint intervalla (*d*), modò sine periculo verisimili irreverentiæ; spurcitiæ, impuritatis;

Nec præliaturis;

Nec ultimo supplicio plectendis;

Nec mulieribus in partu laborantibus, quippè quæ ex causâ intrinsecâ non infirmentur, nisi tamen præ dolore deficientes proximæ sint morti (*e*).

(*a*) Aut de quo dubitatur an jam peccaverit. Tunc datur sub conditione.

(*b*) Etsi non christianè vixerint, modò spatium habuerint pœnitendi, quia fides eorum signum est eos hoc sacramentum desiderare. Ità meritò contrà alios Habert et Collet.

(*c*) Ità ritualia Romanum et Bisuntinum. Adderem pro excommunicatis et interdictis, si sint denunciati. Et pro impœnitentibus, adderem iterùm cum Rituali Cameracensi : Si in peccato mortali manifesto moriantur; v. gr., in duello; aut rationem amiserint in statu evidenter malo.

Si enim non certò constet hos intùs ratione privari, quamvis usu sensuum, alii darent absolutionem cum sacrâ unctione, alii solam absolutionem. Nonne danda foret extrema-unctio, quandò nullum foret signum confessionis, et sacerdos arbitraretur se non posse tunc absolvere?

Sunt tamen qui dicant non posse aliquem inungi eo ipso quòd possit absolvi præcisè.

(*d*) Modò signa sinceræ ad Deum conversionis dederint. *Rituale Bisuntinum*. Vide modò dicta *c*.

(*e*) *Rituale Bisuntinum*. Contrà sentit Billuart quia labor in partu, si sit extraordinariè periculosus, est vera infirmitas orta ex pariendi difficultate.

779. Dispositiones ad hoc sacramentum sunt :

Ex parte corporis, ablutio sordium in membris ungendis quæ sordes contrahere solent.

Ex parte verò animæ, status gratiæ, cùm sit sacramentum vivorum, ac proindè contritio perfecta cum voto sacramenti pœnitentiæ, si suscipi istud non posset.

Cui tamen suppleret cum contritione quæ ad illud sufficeret, si contritio perfecta, etsi pro posse elicita, de facto non haberetur (*a*).

(*a*) Alii requirunt insuper devotionem, saltem habitualem.

CAPUT III

DE OBSERVANDIS INSUPER IN EXTREMÆ-UNCTIONIS ADMINISTRATIONE.

780. Fiducia in sacramenti efficaciam, fide, spe, amore et contritione excitatis, precibusque cum omni ritu recitatis, ungendæ sunt partes corporis, ut in suo rituali quisque invenerit (*a*).

Membro mutilatus in parte inungendus proximiori.

Et cùm membrum duplex inungitur, attendendum ne forma absolvatur, alterutro nondùm inuncto.

Si in decursu unctionum moriatur infirmus, cessandum (*b*); et in dubio, sub conditione : *si tu es vivus*, continuandum.

Si verò moreretur ipse ministrans aut continuare aliter impediretur, alter sacerdos, si haberi posset, continuaret.

Nota 1° Cùm extrema-unctio possit esse ad salutem per accidens necessaria necessitate medii, nec omninò constet ad valorem ejus requiri oleum ad hoc consecratum, nec simpliciter consecratum, imò nec oleum olivæ, pro casuum exigentiâ oleo pro materiâ dubio uterentur (*c*).

2° Si prævideatur olei quantitatem quæ habetur ad annum non duraturam, aliud ex olivis non consecratum immisceri potest, saltem in minori quantitate (*d*).

Nec obest quòd sic pluries jam factæ sint immixtiones. Nam ex naturâ rei totum antecedens consecratum erat.

3° Religiosè vas olei custodiendum; separatìmque ab aliorum sacrorum oleorum vasibus (*e*).

(*a*) Non pauci cum D. Thomâ, ad validitatem requirunt quinque sensuum unctiones; sed multò probabilior videtur sententia contraria, quia D. Jacobus dicit simpliciter : *Ungentes eum*. Saltem quinque sensuum unctiones sufficere videntur ad validitatem, nec consequenter necessaria pectoris, renum, et pedum unctio : pectus enim non est sensus, et sensus tactùs per manuum unctionem unctus est absque eo quòd ungeantur pedes. Sic fatentur omnes, nec tamen circà hoc concordant Ritualia. Ità Benedictus XIV de synodo diœcesanâ, lib. 8, cap. 3.

Imò, ad licitatem solùm, ungenda sunt duo ejusdem sensûs membra. *P. Gabriel Ant. Dens.*

Nec ad validitatem necessarius ullus inter unctiones ordo.

Tempore non sinente, possunt unctiones quinque tempore fieri brevissimo ungendo unam aurem, unum oculum, nares, os et unam manum (vel inquit Billuart, maxillam pro sensu tactûs, quia sensus hic per totum corpus diffusus est) idque sub unicâ formâ omnes sensus singulatìm exprimente, dùm unusquisque ungitur. Dubium enim foret sacramentum, si non nominarentur singuli sensus, sicut in baptismo nominandæ sunt singulæ SS. Trinitatis personæ. *Varii.*

(*b*) In diœcesi Bisuntinâ præscribitur ut, si timeatur ne in unctionum decursu moriatur æger, statim fiat unctio generalis in pectore : *Per istam sanctam... quidquid deliquisti per omnes sensus.* Dein, si tempus permiserit, ordinariæ fiunt unctiones in quolibet sensu, sub conditione quidem : *si tu es vivus*, in casu in quo de vitâ dubitaretur.

Nota : Volunt quidam quòd si sacerdos sibi proponat omnes facere unctio-

nes in quolibet sensu, non factà priùs generali, invalidum foret sacramentum in casu quo infirmus, antè omnes unctiones finitas, animam redderet; quia omnes unctionum orationes particulares pertinent ad perfectionem formæ.

(c) Oleo communi uterentur tunc solùm, cùm nullum ex olivis haberi posset, et moribundus nequiret nec potuisset ulla dare pœnitentiæ signa; oleo verò catechumenorum, ubi viderent ægrotum tot tamque gravibus urgeri tentationibus, ut judicaretur subire, ni ungatur, lapsùs et ruinæ spiritualis periculum.

(d) Sic rituale Romanum. Sic adhùc declaravit Pius VI, proùt resolutum fuit à sacrâ congregatione concilii, die 23 sept., 1682. Vide collectionem Brevium Pii VI, tomo I, paginâ 336.

Quidam volunt immixtionem fieri posse in majori quantitate, quia oleum immixtum non fit benedictum, sicut vinum non consecratum vino consecrato immixtum, non fit consecratum. Ideò autem juxtà eos fit immixtio, ut oleum benedictum faciliùs applicetur. Quidquid sit, non fiat immixtio in majori quantitate.

(e) Mortale reputant P. Ant. à Goritiâ et alii servare continuò, sine Episcopi licentiâ, oleum infirmorum in ædibus parochialibus. Sed sæpè hoc quasi necessarium. Vidi timoratos ità agere, nec peccatum reputarem ubi id fit scientibus et non reclamantibus Episcopis. Sic in diœcesi Bisuntinâ; saltem ubi disseminati sunt parochiani, ut dixit mihi vicarius generalis.

TITULUS VII.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Ordo est sacramentum significativum et productivum gratiæ ad dignè exercendam specialem potestatem quæ in corpus Christi verum aut mysticum ordinato confertur.

CAPUT I.

DE NUMERO ET ESSENTIA PHYSICA ORDINUM.

781. **Septem sunt ordines : sacerdotium, diaconatus, etc.; sacramenta, quilibet, juxtà multos.**

Sub sacerdotio comprehenditur Episcopatus, simplici presbyteratu, jure divino superior.

Ordinibus præit ex institutione Ecclesiæ tonsura, quæ est ritus sacer quo laicus baptizatus et confirmatus clero adscribitur.

---

782. Cum circà ordinum essentiam physicam multùm disputetur (*a*), dicere sufficiat ritus omnes, de quibus an sint essentiales controvertitur, servandos, omissosque ad minùs supplendos (*b*).

Sed certò nonnisi supplendi accidentales.

(*a*) Alii pro materià primam manuum impositionem, secundam alii; alii utramque, alii tres, alii porrectionem instrumentorum cum tactu physico exigunt.

Verisimilius crederem solam manuum impositionem, et quidem in ordinatione presbyteri primam, cum subsequente per modum unius, solam esse materiam essentialem, quia sic apud Græcos.

(*b*) Probabiliùs ritus totus iterandus est. Contrà videtur tamen Gregorius IX relatus à Benedicto XIV, de synodo diœcesanà, lib. 8, cap. 10, numeris 4, 5, 6. Loquitur Benedictus XIV de ordinatione unius presbyteri, qui omnes manuum impositiones acceperat, præter eam quam volunt aliqui comitari porrectionem calicis cum patenà, cui non adfuerat. « Id utique faciendum » quod præscribit Gregorius IX in capite *presbyter* de sacramentis non ite- » randis, nempè : nihil esse iterandum, sed cautè supplendum quod per

» errorem extitit prætermissum. Sed quia aliqui theologi volunt impositio» nem manuum quæ comitatur, secundùm eos, instrumentorum porrec» tionem, coalescere cum primâ et secundâ quæ sunt eadem, in unam ma» teriam; sacra congregatio, scitè animadvertens præviam illam manuum » impositionem jam diù anteà paractam, non posse moraliter conjungi cum » traditione instrumentorum quæ post modum fieret, totam ordinationem » sub conditione iterandam rescripsit. »

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS, LOCOQUE ET TEMPORE AD ILLUD CONFERENDUM.

783. EPISCOPUS est omnium ordinum ordinarius minister. Extraordinarius verò, sed solùm pro subdiaconatu et minoribus, simplex sacerdos ab Ecclesiâ ad id deputatus.

Nota : Ex usu Galliæ, ab Episcopo originis, non ab Episcopo loci in quo quis baptizatus est, ordines recipiendi (*a*), nisi litteræ dimissoriæ habeantur, quæ non cessant morte concedentis, sive Episcopi, sive vicarii ejus, sive vicarii capituli (*b*).

Nota iterùm : Civitas patris vel matris pro loco originis habetur, quandò per accidens, ratione, v. gr., itineris, legationis, mercaturæ, etc., filius alibi natus est (*c*).

Nota tandem : Ordinariè ab Episcopo diœcesis in quâ situm est monasterium, hujus membra ordinanda sunt.

Vide apud auctores quandò quis ordinari possit ab Episcopo domicilii vel beneficii.

(*a*) Secundùm plures, tonsura non solùm illicitè, sed et invalidè ab extraneo Episcopo reciperetur. Undè à Papâ obtinendæ tunc forent litteræ *perindè valere*, ad beneficium tutò recipiendum.

(*b*) Non omnes vicarii generales dare possunt litteras dimissorias, sed ii solùm qui à suo Episcopo hanc habent facultatem.

Litteræ dimissoriæ ex usu post annum pereunt, et à vicario capituli obtentæ, per ingressum Episcopi. *P. Ant. à Gorilid.*

(*c*) Natus ex fornicatione sequitur domicilium matris. *Varii.*

---

784. In loco convenienti suæ diœcesis, in Ecclesiâ quidem et intrà missam à se sub gravi celebrandam, majores ordines conferat Episcopus,

Diebus ab Ecclesiâ statutis, quæ sunt,

Pro Episcopatu dies dominica vel natalis alicujus ex apostolis;

Pro majoribus aliis ordinibus, quatuor anni tempora, sabbatum antè dominicam passionis et sabbatum sanctum;

Pro minoribus ordinibus singulæ dominicæ et dies festi duplicis;

Pro tonsurâ dies quælibet et hora.

Excipe casum obtentæ à Papâ dispensationis quæ dicitur *extrà tempora.*

CAPUT III.

DE SUBJECTO ORDINATIONIS, REQUISITISQUE IN EO AD ORDINES SUSCIPIENDOS.

785. Solus homo viator et baptizatus masculusque recipere potest ordines;

Qui, ut licitè, præter vocationem divinam, statum gratiæ, confirmationem, tonsuram (*a*) et immunitatem à censuris, habeat

Ætatem legitimam,
Interstitiorum observationem,
Congruum sustentationis titulum,
Nec per saltum ordinetur.

(*a*) Ad tonsuram, tanquàm ingressum in statum clericalem, recipiendam, haberi debet, et quidem sub gravi juxtà multos contrà alios (ni ætas excuset), intentio Deo et Ecclesiæ serviendi, et, itidem juxtà alios contrà alios altiùs ascendendi, si vocetur.

Sed certò peccaret mortaliter, si, volens statum clericalem deserere, beneficium reciperet.

Cæterùm nec à culpâ immunis est qui sine causâ justâ statum hunc deserit.

An autem mortaliter peccet qui tonsuram in statu, et præsertim in habitu peccati mortalis, recipit, dubium est.

Clericus tenetur tonsuram deferre; non tamen, inquit Sylvius, si sit solùm minoratus sine beneficio;

Nec sub gravi alii etiam clerici, nisi notabili admodùm tempore eam non deferant, vel post serias ab ordinario receptas monitiones. Ita et Billuart.

§ I.

786. Ætas ad ordines requisita est

Pro tonsurâ septem, sed meliùs, quatuordecim annorum.
Pro minoribus nulla præscripta.
Pro majoribus autem ex Trid. sub gravi,
22 pro subdiaconatu requiritur,
23 pro diaconatu,
25 pro presbyteratu,
30 verò pro Episcopatu, ni aliter ex jure particulari statutum sit, ut, olim saltem in Galliâ, ex concordato, 27 solùm annus. Pro his omnibus sufficit ut annus sit inchoatus.

Nota : S. P., qui solus potest, ordinariè non dispensat nisi pro biennio inchoato.

§ II.

787. Interstitia sunt intervallum inter ordinum receptionem, in hocque ex Trid. servanda sunt, ut non nisi post annum à minorum susceptione quisquam ad majores promoveatur, simileque inter majores servetur intervallum.

Hîc, cùm postulat Ecclesiæ utilitas, dispensare suos subditos potest Episcopus et ejus vicarius generalis, si litteras dimissorias dare possit;

Et vicarius capituli, sede vacante;

Et superiores religiosorum, si abbates.

Sed mortaliter peccaret qui, non dispensatus, interstitia non servaret.

§ III.

788. Titulus sustentationis qui et clericalis dicitur, est securitas cujusdam reditûs temporalis.

Triplex : beneficii, patrimonii et religionis.

Ut legitimus sit, æquare debet taxam ab Episcopo præscriptam;

Constitui, si patrimonialis sit, per actum à notario exceptum, et habere hypothecam in bonum immobile; ter, ad instar bannorum, in ecclesiâ loci ubi bona sunt, publicari; ab Episcopo approbari, liberque esse ab omni hypothecâ, et factus, salvâ aliorum filiorum legitimâ, ni sui juris sint et consentiant : tandem actu possessus [762].

§ IV.

789. Ordinatio fit per saltum, cùm suscipitur ordo superior, omisso inferiori.

Valida, licèt graviter illicita talis ordinatio.

Imò invalida episcopatûs susceptio, omisso presbyteratu, cujus extensio est et complementum.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS IN ORDINATIONE CONTRACTIS.

Præcipuæ sunt

Ad majorem sanctitatem ascensus;

Observatio canonum et statutorum propriæ diœcesis, ad clericorum mores spectantium;

Recitatio precum ab ordinante injunctarum (*a*);

Castitas strictiùs et specialiter servanda in ordinibus majoribus.

Et pro iis initiatis, sicut et pro beneficiariis, recitatio divini officii. De hâc solùm.

(*a*) Sub mortali, juxtà alios contrà alios.

SECTIO I.

De obligatione recitandi divinum officium.

790. Hæc obligatio, quæ incipit ab horâ quâ quis subdiaconatum accepit, sub mortali est ex genere suo, et ex communi sententiâ omissio vel unius parvæ horæ aut partis officii diurni parvæ horæ æquivalentis, materia gravis est (*a*).

Sed peccatum quà mortale non consummatur, nisi cùm omissionem reparandi tempus in die ampliùs non suppetit; imò nec interiùs, nisi omittens non recitare intenderit; quia onus diei est.

Et eadem de malè recitante dicta sunto.

Ergò à beneficiario, proportionatè ad omissiones, fructus beneficii restituendi (*b*).

Nota : Decrevit S. Pius V, ut omnes breviario Romano uterentur ubi ab annis 200 proprium non habebatur (*c*).

Sed possidens beneficium, quod residentiam postulat, uti debet breviario diœcesis ubi beneficium situm est.

Et extrà diœcesim suam, et etiam pro pluribus annis degentes, uti possunt ad libitum suo, aut loci in quo sunt breviario (*d*).

(*a*) De primis diei paschæ vesperis, utpotè brevibus, controvertitur an materia gravis sint. Quis eas omitteret ?

Rigidior paucorum opinio qui mediam, imò tertiam partem horæ ut quid grave habent.

(*b*) Etiamsi tenue sit beneficium, imò nullos fructus reddat, juxtà Billuart qui suam sententiam dicit probabiliorem et certò tutiorem. Multi tamen hunc beneficiarium non obligant nisi ad quarumdam horarum recitationem, proportionatè ad fructus beneficii. Consulendus foret Episcopus.

Sed nùm ad omnium fructuum restitutionem tenetur is cujus beneficium alia, præter officii divini recitationem, munera habet quæ implevit? Ità, si attendatur jus ecclesiasticum. Sed usus contrarius invaluit, saltem in Gallià, communiùsque docent retineri posse partem fructuum his muneribus correspondentem, ità ut tertia, quarta, quintave pars eorum solùm restitui debeat, et quidem proportionatè ad omissiones.

Imò, inquit P. Ant. à Goritià, aliqui ex integro eximunt parochum, quia non ob officium breviarii datur beneficium parochiale. Ad minùs non tuta opinio.

Restitutio fieri debet Ecclesiæ beneficii aut pauperibus, pauperes loci beneficii præferendo.

Fieri autem debet ex bonis patrimonialibus, si quæ habeantur, aut ex redditibus beneficii, si non sunt consumpti, aut his deficientibus mediis, sumptibus posteà parcendo; tandem missas celebrando, preces alias fundendo, si aliter fieri nequeat; vel obtinenda à S. P. compositio.

(*c*) Ubi aliud viget Breviarium, alii affirmant, alii negant posse uti Romano.

Pro diœcesi Bisuntinà quæstionem dirimit D. Ant. Petrus à Grammont, hujus nominis primus, vetando alio uti Breviario quàm Bisuntino, cujus usum habebat diœcesis multis ab annis antè ducentos quos exigit constitutio S. Pii V. Nullam novi factam esse circà hoc punctum immutationem, etiam ab concordato anni 1801.

Nota : Ubi utuntur Breviario romano, debent recitari litaniæ diebus S. Marci et Rogationum, et officium mortuorum 2ª Novembris.

(*d*) Negant aliqui. Consultiùs utatur quis Breviario diœcesis in quà pluribus annis manere debet.

Excipe, si in diœcesi suà habeat canonicatum aut aliud beneficium, nisi tamen munia ecclesiastica velit, ubi est, exercere.

SECTIO II.

De ordine et tempore quo recitari debet officium divinum.

§ I.

791. RECITANDUM officium diei, et quidem, ut communiùs docent, sub gravi, si magna sit differentia, præsertìm si brevius eligatur (*a*).

Ergò qui, etiam ex errore, diei subsequentis officium assumpsit, idem recitare debet sequenti die.

(*a*) V. gr. si dominicâ palmarum recitetur officium diei paschæ; aut die natalis Domini, officium feriæ.

Juxtà multos, qui ex errore, aut etiam ob conformitatem societatum aliamve causam, officium aliud recitavit, pensum implevit, et sufficit ut addat psalmos ex officio omisso, usquè ad æqualitatem, si longius sit recitato.

Ratio est, inquit Billuart, quòd quandò Ecclesia aliquid sub levi præcipit, rationabilis causa sufficiat ut sine peccato omittatur. Undè concludit eum qui ex errore incœpit aliud officium, modò, ut suprà, non multùm differens, illud continuare possit; imò et debet, inquit Collet, si judicet non repetere.

Clerici timorati officium repetunt, non quidem ex integro, sed addendo officio ex errore recitato, quod recitandum habet dissimile; hocque in praxi consultiùs, si sine gravi incommodo fieri possit.

Sed antequàm matutinum et laudes sic repetantur, potest tutâ conscientiâ missa celebrari.

---

792. Veniale solum est, ni ex contemptu, ordinem horarum officii invertere, quia juxtà omnes, non est hìc gravis inordinatio (*a*).

Imò hoc laudabile foret, si ex rationabili causâ, ut cùm officium in choro cum aliis cantandum est, aut cum infirmo privatìm recitandum.

Gravior inversio foret, si missa, matutino et laudibus non persolutis, celebraretur (*b*).

Interrumpere autem, sine causâ interruptioni proportionatâ, peccatum est (*c*).

Sed laudes à matutino separari tutò possunt.

Nec arguendi qui, justâ de causâ, matutini nocturnos separant (*d*).

(a) Excepto, juxtà multos, in oratione publicâ.

(b) Sunt qui hanc inversionem mortalem existiment, si sine justâ causâ fiat, ne v. gr., plebs diù expectet. Citant constitutionem Innocentii IV, anno 1254 editam.

Alii verò non reputant eam nisi venialem.

Mortalis videtur Benedicto XIV si agatur de missâ conventuali. Secùs si de privatâ, nisi id fiat perpetuò, ità ut sic statuisse videatur sacerdos. Quædam quidem concilia, ait, id vetuerunt sub pœnâ excommunicationis ipso facto; sed hæc decreta non vigent nisi in locis pro quibus lata sunt.

Minor videtur culpa, inquit Collet, missam celebrare non recitatâ horâ cujus antè missam recitationem tempus postulabat. Sed numquid hîc culpa? Saltem quot causæ excusarent!

(c) Ex genere suo grave, inquiunt Suarez, Pontas, etc., etiamsi interruptio esset unâ horâ brevior. Alii tamen non nisi veniale agnoscunt in quâcumque interruptione quæ contemptum non indicet, quia hic defectus non est de substantiâ officii.

Interruptio in parvâ horâ faciliùs gravior esset quàm in matutino. *Collet.*

Saltem, in sententia communi, quòd omissio horæ parvæ requiratur ad mortale, interruptio in parvâ horâ, quousquè extendatur, mortalis esse nequit.

Ab omni culpâ immunem existimat Collet qui visitatus à personâ multùm superiore per unam vel horam interrumpit horæ longæ recitationem.

Et excusant nonnulli, inquit idem, eum qui psalmos memoriter recitat in rhedâ, lectiones, cùm advenerit quò pergit, recitaturus. Id mavult hic theologus quàm quòd officium recitetur in tabernæ strepitibus.

(d) Modò, juxtà aliquos, non plusquàm tribus horis.

§ II.

793. Officium recitandum est horis diei ab Ecclesiâ statutis, graviterque peccaret qui vel horam unam post mediam noctem recitare differret, aut hujus dilationis periculo se exponeret.

Sed veniale solùm est quâcumque diei horâ officium recitare extrà chorum, quia præcepti substantia impletur.

Et ex consuetudine peccatum non est matutinum et laudes quâvis (si non celebretur missa) antè meridiem horâ recitare.

Nec à fortiori horas parvas quovis tempore ab aurorâ ad meridiem, sextamve et nonam post meridiem.

Nec vesperas et completorium à meridie ad solis occasum, dilato tamen laudabiliter hucusquè completorio (*a*).

Nota : Ex Ecclesiæ indulgentiâ matutinum et laudes possunt recitari pridiè, ex quo sol propiùs ad occasum vergit quàm à meridie recedit.

(a) Sed hæc solùm extrà chorum; sunt enim qui mortale existimant tempus horarum non servare in choro.

Imò extrà chorum nona non est sine causâ horâ sextâ matutinâ recitanda, nec vesperæ statìm post meridiem, nec à fortiori antè. *Varii.*

Excusant tamen eos qui ratione studii multùm urgentis horas parvas post, et vesperas antè meridiem recitant ob ambages vespertino tempore, prævisas. Satius est ex causâ anticipare quàm post tempus dicere.

Juxtà communiorem, vesperas antè meridiem tempore quadragesimæ recitare extrà chorum, consilii solùm est. Satiùs post. *Ferraris.*

SECTIO III.

De modo recitandi officium divinum.

Integrè et devotè.

794. Integritas in eo consistit quòd non solùm nihil omittatur, sed distinctè pronuncientur omnia, cùm officium oratio vocalis sit (*a*); et quòd, si alternatìm, (ut licèt (*b*) etiam cum ad officium non obligato), socius audiatur (*c*).

(*a*) Hinc alii contrà alios concludunt, sed non probabiliùs, necesse esse ut recitans se audiat ni surdus sit; id est ut ità pronunciet, ut audiret se si non esset obex, ex cantu, strepitu, etc. Hoc sanè consultius; non tamen altâ nimis voce, sufficit enim ut audibili.

Disputant utrùm mutus legere teneatur.

(*b*) Cùm officium alternatìm recitatur, responsoria dicuntur ut psalmi; sed lectiones possunt ab eodem recitari.

(*c*) Multi, contrà nonnullos probabiliùs existimant sufficere surdastro, choro adstricto, mente legere quæ non audit, quia est pars chori canonici, et durum esset illum ad officium bis obligare.

Quid impedit ne recitet quæ non audit.

---

795. Devotio externa esse debet et interna.

Externa consistit in situ corporis decenti, et, de meliori saltem, quantum fieri potest, chori modo accommodato (*a*).

Interna verò in eo quòd intendatur horas recitare et Deum orare (*b*).

Ad devotionem autem necessaria est attentio saltem virtualis quæ

Alia superficialis est, ad verba nempè, ne quid omittatur;

Alia litteralis ad sensum videlicèt;

Et alia spiritualis quæ ad Deum, vel ad Deum pertinentia, vel ad rem petitam.

Cæterùm, sunt actiones externæ cum attentione incompossibiles, ut confabulatio : aliæ non item, quàmvis plùs minùsve attentionem minuere possint, ut deambulatio.

Ast multæ sunt distractiones indirectè seu in causâ voluntariæ, ac proindè plùs minùsve culpabiles, ut si, ad recitandum eligatur locus qui distractiones procuret, qualis locus publicus.

Ob eas autem distractiones quæ ex causâ rationabili veniunt (quod non est scrupulosiùs sumendum) si repellantur, non est unquàm repetendum officium. Hinc enim orirentur scrupuli, nunquàm fortè sanandi.

Nota : 1° Sunt obligationes choro adstrictorum quas hìc prætermittimus.

2° Causæ ab officio excusantes sunt eædem quæ ab aliis legibus :

Impossibilitas, moralis saltem, ut infirmitas, vel repentina occupatio quæ sine notabili suî aut proximi detrimento differri nequit;

Et dispensatio Papæ, vel Episcopi pro brevi saltem tempore et ordinariis frequentibusque casibus (d).

Qui officium recitare non potest, non videtur ad alias preces teneri, nec recitantem audire.

(a) Cùm aliquid præscribitur flexis genibus dicendum, id intelligitur de recitatione in choro. Sed et privatìm servandum, si commodè.

(b) Dubiè, ad minùs, officii pensum adimplet, qui actu propositum habet peccata continuandi.

(c) Supposito animo orandi et colendi Deum, absolutè sufficere videtur attentio superficialis, quia tunc quædam est attentio saltem implicita ad Deum, nec aliter recitant pleræque moniales. *Suarez, Wiggers, Billuart, etc.*

Sed aliæ attentiones multum optandæ saltem; et optandum maximè ut recitans intret corde in verba psaltis, loquaturque nomine Ecclesiæ, vel devotè recogitet varias passionis Christi circumstantias quibus Glossa, (in caput *presbyteros*) ait horas fuisse accommodatas.

Hœc sunt septennis, propter quæ psallimus, horis :
Matutina ligat Christum, qui crimina solvit;
Prima replet sputis, causam dat tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus ejus nona bipartit,
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

(d) Convalescentes vires, sed sine scrupulo, videntur debere experiri, ita ut tamen sibi non graviter noceant, quod verbum *graviter* et accipe sine scrupulo [127, b].

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Missa controversiâ an christiani validè, quamvis illicitè, rationem sacramenti à ratione contractûs separare possint, ità ut verè nupti forent qui nollent sacramentum; matrimonium hìc investigamus ut indivisìm sacramentum est et contractus in officium naturæ.

CAPUT ANTECESSIVUM.

DE SPONSALIBUS.

796. Sponsalia non sunt necessariò matrimonio præmittenda, sed ex præcepto solùm ubi tale viget (*a*).

Sed si fiant, maximè in facie Ecclesiæ, multas habent sequelas.

a) Non præcipiuntur in diœcesi Bisuntinâ, sed non minùs optandum ut fiant, sicut, etiam in facie Ecclesiæ, usus est in multis hujus diœcesis parochiis.

SECTIO I.

De naturâ sponsalium.

797. Sponsalia sunt mutua matrimonii promissio strictè dicta [441].

Hæc promissio aqorum contractuum, aliarumque promissionum naturam sequitur in omnibus ferè, ni jus obstet (*a*).

Fit autem et acceptatur non solùm verbis, sed signis et scriptis, quæ concurrentibus circumstantiis, juxtà loci consuetudinem, promissionem mutuam indicent (*b*).

Si autem mutua non sit, posset esse vera promissio in jus-

tiâ promittentem obligans, cùm ab altero acceptata esset; sed non constitueret sponsalia (*c*).

Persona ergò quâcum sponsalia contrahuntur, sit determinata (*d*).

(*a*) Juxtà communiorem, invalida sunt jure positivo sponsalia extorta metu gravi injusto (etiam reverentiali, præcipuè si cum minis rigidæ tractationis, juxtà varios) sicut statuitur pro matrimonio. Sed cùm auctores graves contrà sentiant, et ea existiment solùm irritanda, debet metum passus curare ut à judice ecclesiastico irritentur, et ad eautelam petere dispensationem à juramento, si quo firmata sint, imò ab impedimento honestatis publicæ, si casus sit.

Nota : Si promissio ficta fuerit, æquè sequitur aliorum contractuum naturam. Vide 372, *f*.

Hinc stuprator, si sit major et sui juris, stupratam promissione ficta deceptam, ducere tenetur, nec ista ad pecuniam acceptandam cogi potest. Est tunc contractus innominatus, *facio ut facias*. Quod extendunt aliqui ad casum inæqualis conditionis, si promissio fuerit juramento firmata.

Si tamen gravia, rixæ, discordiæ, etc., ex matrimonio oriri debeant, summa acceptanda.

(*b*) Non sufficiunt ad promissionem hæc verba : *Volo te ducere. Nulli alteri sponsabo* ; quia indicant propositum, non voluntatem se obligandi ex justitiâ. Nec ista : *Consentio, contenta sum*. Sed sunt sæpè peccaminosa, et quidem, saltem aliquandò graviter, quia sic falluntur juvenes.

Sed quid de his sincerè prolatis cum intentione se obligandi : *Promitto tibi me nulli unquàm alteri nupturum?* Conditionatam, si acceptentur, inducunt obligationem, inquiunt Bailly et Billuart; id est quòd si promittens nubat, debeat ducere cui promisit.

In dubio judicandum secundùm sensum communem verborum.

Juxtà aliquos, ad acceptationem non sufficit mera taciturnitas, nisi ipsi parentes sponsalia faciant, aut nisi aliter ex circumstantiis judicetur, ut si tacens matrimonium quæsierit sollicitè. Aliter non est nisi consensus præsumptus.

(*c*) Ordinariè in his promissionibus subauditur conditio : *Si repromiseris*, et rarum est, inquit Billuart, quòd quis se obliget aliter, nisi fortè cùm promissio fit ad significandam gratitudinem. Intentionem promittentis sedulò quærerem in dubio.

Ad acceptationem et repromissionem sufficit (ni de contrariâ mente constet) arrharum, annuli, jocalium acceptatio.

Quidam volunt mutuam esse promissionem eo ipso quòd acceptatur, sed videtur tunc acceptari solùm fidem ab alio datam.

Sed nùm revocari potest promissio antè acceptationem? Imò et ante repromissionem? Certò antè acceptationem. Sed si vera et absoluta promissio acceptata sit, non potest revocari antè repromissionem, et usquè hùc non sunt sponsalia.

Collet hìc videtur rigidior dicendò antè acceptationem non posse promissionem revocari pro libito, eò quòd crudeliter læderetur puella, cùm sine causâ ullâ rescinderetur facta ei publicè matrimonii promissio, et à fortiori si juramento firmata sit. Nam eo ipso quòd supponitur non acceptata, nulla

fit injuria, nisi, quòd supponere videtur Collet, sed tamen quod semper fortè non est, tacitè saltem concessum sit aliquod tempus ad acceptandum, de quo judicandum ex circumstantiis, et præcipuè ex intentione promittentis.

Nec refert quòd juramento firmata sit hæc promissio non acceptata; juramentum enim non mutat naturam promissionis, nec obligaret tunc nisi spectetur ut assertorium præcisè [423, b].

(d) Sed ordinariæ promissionis exurgere potest obligatio cum indeterminatâ personâ, ut si quis uni è quatuor sororibus matrimonium promittat quod omnes acceptant.

---

798. Sponsalia, alia ecclesiastica et solemnia, quæ coràm parocho:

Alia civilia seu clandestina, quæ coràm notario, aut privatìm, etiam sine testibus fiunt.

Ecclesiastica in quibusdam diœcesibus præcipiuntur;

In aliis clandestina prohibentur;

Et in cæteris nec præcipiuntur ecclesiastica nec prohibentur clandestina (a), à quibus tamen semper amovendi juvenes, si privatìm; vix enim sine peccato et sæpè gravi fieri possunt, præsertìm cùm matrimonium longo antecedunt tempore. Valent tamen. Vide Benedictum XIV, de synodo diœcesanâ, lib. 12, cap. 5.

Ubi vigent ecclesiastica, civilia impedimentum publicæ honestatis non inducunt, nisi simul sint ecclesiastica, si aliud non ferat consuetudo (b);

Alia per se ipsos faciunt nupturi,

Alia per parentes, et alia per procuratorem.

Alia absoluta sunt, et alia conditionata.

Alia cum et alia sine arrhis aut pœnâ.

(a) Non prohibentur in diœcesi Bisuntinâ.

(b) Promissio facta absenti sponsalia non constituit, etsi manifesta per mandatum non habentem, nisi facta fuisset repromissio. *Collet.*

---

799. Causa [426, a], modus, demonstratio, non suspendunt sponsalia, benè verò conditio, circà quam vide dicenda de matrimonio conditionato [817], et adde

Neutrum sponsum resilire posse, altero invito, antè purificationem conditionis honestæ et possibilis; et si resilierit, teneri sponsalia renovare;

Adveniente conditione in absoluta transire, perseverante consensu;

Sponsalia inita sub conditione matrimonii substantiæ repugnanti, certò nulla esse (*a*);

Valere verò sub conditione servandæ utrinque castitatis, si conditio non in jus, sed in usum matrimonii cadat;

Valere tandem probabiliùs inita sub conditione petendi dispensationem ab impedimento dispensabili, si hæc obtineatur, non revocato consensu.

Quæ dispensatio obtinenda est sumptibus communibus, ni aliter conventum.

(*a*) Si sub conditione impossibili, nulla sunt. *Collet, Bailly et alii plures*; quia jus hanc conditionem non habet ut non appositam, sicut in matrimonio.

In foro interno standum foret intentioni contrahentium, ità ut si conditio impossibilis apponatur reverà ad indicandum non consensum, non valeant.

Si verò sponsalia contrahantur sub conditione turpi de futuro et intentâ, nulla itidem sunt. quia nemo potest se obligare ad illicitum; et si jus vult ut stuprator ducat quam sub tali conditione defloravit, id fit ad reparandam injuriam.

Multi tamen, inter quos Collet et Billuart, ea sponsalia habent ut valida, conditione impletâ, modò non repugnet substantiæ matrimonii [428].

Tandem ut nulla habent alii sponsalia *inductiva* scandali, utì prudenter prævideri posset, si ex honestis parentibus natus personæ vili sponderet. Et ità decisum fertur à S. congregatione, anni 1723 et 1725. *P. Ant. à Goritiâ.*

---

800. Valent sponsalia cum arrhis et stipulatione pœnæ à resiliente solvendæ, sed cum hâc differentiâ quòd licitè cum arrhis fiant, etsi ab his dissuadendum, illicitè verò cum stipulatione pœnæ. Imò hæc invalidè stipulata, saltem olim fuisset (*a*), quia officit libertati matrimonii, dùm non sic arrha (*b*).

Excipe, si pœna non tàm ut pœna quàm in damni compensationem sit.

Sed si damnum nullum, vel resiliens justè resiliat, ad nihil teneretur, saltem antè sententiam judicis.

(*a*) Quid non? Consule jurisperitos, si casus occurrat.

(*b*) Hæc est inter pœnam et arrham differentia, quòd arrha, non magni ordinariè ponderis, maturiori consilio detur tanquàm symbolum seu signum

amoris quo suaviter alliciantur; pœna verò apponatur ut timore illius quodam modo cogantur ad promissionem implendam.

Arrhæ graviores pro pœnâ haberentur. *Collet.*

Cùm arrha rarò, rariùs pœna resilienti imponatur, de his solùm ulteriùs habeto :

1° Arrhæ, contracto matrimonio restituuntur, non vero largitates sponsalitiæ, quia non sunt pignus. Sic saltem olìm.

Sed excipit Collet, si arrhas dans fuerit in morâ culpabili, et interea moriatur qui eas accepit. Tunc ad hæredes ejus transeunt.

2° Arrhas datas amittit qui sine justâ causâ resilit, nisi longè superent damnum passum. Tunc enim per judicis sententiam, posset pars earum obtineri.

Amittit etiam quas accepisset. Imò si solus accepisset in duplum, quin et in quadruplum restituere debet, sed probabiliùs solùm post judicis sententiam. Hæc enim dupli, etc., restitutio pœna est. Sic adhùc saltem olìm.

3° Si neuter sit in morâ culpabili, et unus moriatur, arrhæ et largitates sponsalitiæ, seu jocalia, restituenda sunt hæredibus, nisi puella diù expectando, matrimonii commoditatem amiserit, præsertìm non reclamantibus hæredibus.

Nota : Jocalia semper præsumuntur data sub conditione futuri matrimonii. Restituenda ergò, si culpâ accipientis matrimonium non sequatur, vel si dans justè resiliat. « Toute donation faite en faveur du mariage sera caduque, si le mariage ne s'ensuit pas » (1088).

Quod spectat ad pœnam, volunt multi contrà alios, eam validè et licitè apponi posse injustè resilienti, quia tunc non læditur æqua libertas. Justè autem resiliens, eam juxtà omnes solvere non tenetur. Alter tamen eam retinere potest, si resiliens eam solvat sciens se ad id non teneri.

Et hæc dicit Collet de pœnâ negativâ à viro ergà mulierem impositâ. V. gr., *tibi dabo, etc., si me in conjugem accipias.* (Lege 9, ff *de verborum significatione*).

Excipit tamen si vir senex aut ignobilis, mulier verò juvenis aut nobilis sit. Tunc enim promittens, æqualitatem compensare potiùs quàm pœnam imponere censetur.

SECTIO II.

De his qui sponsalia contrahere possunt.

801. **Omnes** rationis usum habentes (*a*), non ligati impedimento indispensabili et perpetuo, sponsalia contrahere possunt.

Ligati verò impedimento cessaturo per tempus aut dispensationem, non nisi sub conditione tacitâ expectandi cessationem impedimenti, vel petendi dispensationem contrahunt, alioqui invalidè, quia de re illicitâ (*b*), etsi impedimentum sit solùm prohibens.

Undè vulgare : Omne impedimentum, etiam prohibens, dirimens est sponsalium.

Undè iterùm invalida sunt sponsalia ab iis facta qui ignorant ligatos se impedimento etiam dispensabili, nec per subsequentem dispensationem evaderent valida.

(a) Jure tamen ecclesiastico invalida videntur sponsalia facta à septennio minoribus, etsi probabiliùs usus rationis et prudentia ætatem suppleret, nisi, inquiunt, parùm, v. gr., sex mensibus à septennio distent, quia, ut ait D. Thomas, quod parùm deest, nihil esse videtur. Quidquid sit, in foro externo ut nulla haberentur talia sponsalia, nisi, septennio adepto, rata habita fuerint. In dubio, non forent dissolvenda, et casu eveniente, petenda dispensatio ab impedimento publicæ honestatis, si quod foret.

In diœcesi Bisuntinâ talia sponsalia à parocho recipi nequirent, quia à spondentibus exigitur juramentum, et juramentum ab impuberibus fieri nequit.

(b) Qui contrahunt sub conditione dispensationis obtinendæ, videntur obligare se ad eam petendam, si alteruter, velit. Tunc, seclusâ consuetudine contrariâ, sumptus faciat requirens. *Collet.* Æquum videretur ut sint communes.

Ast non desunt qui ut invalidà semper habent talia sponsalia, etiam, juxtà aliquos, adveniente dispensatione, ità ut nisi fuerint renovata tunc, alteruter possit semper, altero renitente, resilire. Hoc non videtur probabile. Ad minùs ergò foret, si casus, petenda dispensatio ab impedimento publicæ honestatis.

Statuta Bisuntina vetant parochos sponsalia recipere eorum qui impedimento ligantur, nisi obtentâ priùs dispensatione.

---

802. Parentes (non tutores) sponsalia contrahere possunt pro filiis etiam absentibus aut ignorantibus, sed nullam hæc imponunt filiis obligationem, nec publicæ honestatis inducunt impedimentum, nisi filii septennio majores expressè vel tacitè (*a*) ea rata habeant.

Sed et tunc, si antè pubertatem facta sint, possunt, hâc adeptâ (non antè), probabiliùs dissolvi sicut et quæ sponsi ipsi fecissent, modò statìm reclament, aut reclamandi intentionem saltem manifestent (*b*). Hæc ex jure.

(a) Tacitè rata habentur, mittendo aut acceptando munera, pergendo servare nomen sponsi, aut si indicatâ potestate reclamandi, non reclament. *Collet et alii.*

(b) Statìm reclamat qui intrà triduum, ex lege finali, cod. *Judicis. Bailly,* nisi ignoraverit jus suum, quia tempus non currit ignoranti. *Collet.* Sed non puto quòd ratio hæc valeret in foro externo in quo nemo jus suum ignorare præsumitur.

---

803. Illicita sunt sponsalia filiorum-familiâs minorumve

sine parentum aut tutorum consensu (*a*), nisi saltem sub hujus consensûs conditione facta sint.

Imò et invalida, si matrimonium fieri non possit licitè, quia essent de re illicitâ, et nemo potest se obligare ad illicitum (*b*).

Ergò illicita et invalida sponsalia cum hæreticis, excepto dispensationis casu.

(*a*) Et multis irrita videntur, ubi vigent sponsalia ecclesiastica. Saltem iis non assistat parochus.

(*b*) Ergò si justâ de causâ contradicant parentes, etiam postquàm filii majoritatem adepti sunt, sponsalia talia servari non debent. Nec enim validè fieri potuerunt nisi sub tacitâ conditione consensûs rationabilis parentum.

Ast consensum tenenturne petere? Videtur; sub hâc enim tacitâ conditione censentur spopondisse.

Cæterùm rationabilis vel irrationabilis parentum dissensus, non à filiis familiâs, sed à prudentibus est judicandus. Aliquandò parentes omninò irrationabiliter, et graviter peccando, filiorum matrimonio obsistunt. Præceptum parentum de ineundo vel non ineundo matrimonio à filiis, obligat equidem, sed non plùs quàm causa ob quam fertur. *D. Thomas* supplementi q. 47, art. 6.

SECTIO III.

De obligationibus sponsorum.

804. 1ª Obligatio nubendi, quæ justitiæ strictæ est, implendaque, sub gravi ex genere suo, statìm moraliter, si nullum; præfixo verò tempore, si quod tempus determinatum sit (*a*).

Judicis est ecclesiastici cogere recusantem aut diutiùs differentem; civilis insuper pro interesse [824], etc.

Sed judex non cogat, si timeantur, ut ordinariè, infausti coacti matrimonii exitus.

Judex civilis (vel ecclesiasticus ubi sic) solummodò mulctâ (imò nec forsan) plectet nocentem aut indemnisatione; sed intereà ligatus coràm Deo remanebit, ni innocens jus suum relaxet. Ad id hortandus est, si indemnis sit (*b*).

(*a*) Unius aut alterius diei dilatio vacat à culpâ, ni aliter ex circumstantiis judicetur.

Sed notabilis dilatio, altero non consentiente, culpa mortalis est, et eò gravior quò proximius damni, rixarum, scandali, incontinentiæ in alteru-

tro vel utroque periculum imminet. Invitentur ergò, etiam de dilatione concordes, ad citiùs nubendum.

(b) Juxta alios contrà multos, cùm unus injuste resilit, alter, si nihil damni patiatur (quod rarum) nihil antè sententiam judicis exigere potest, ut promissionem relaxet, quia injuria quam patitur non est pretio æstimabilis [358, b]. Saltem potest antè sententiam de summâ pacisci, si intentionem habeat sententiam obtinendi quæ pro ipso sit pretio æstimabilis.

---

805. 2ª Obligatio servandi fidem, cum uterque in corpus suum jam jus ad rem tradiderit.

Ergò circumstantia sponsalium est in confessione declaranda à sponsis cum aliis fornicantibus, et ab iis qui cum alterius sponso vel sponsâ fornicati sunt (a).

(a) Aliqui sponsum ab accusandâ sponsalium circumstantiâ eximunt, quia graviùs peccaret sponsa. Sed quid indè?

Sponsalium circumstantiam declarandam quidam dicunt, etiamsi solùm agatur de tactibus, osculis, etc., quamvis non tàm graviter tunc violetur justitia quàm per fornicationem. Tutiùs saltem declaretur.

---

806. 3ª Obligatio sibi mutuò aperiendi defectus.

Defectus vel sunt graviter probrosi, aut aliter positivè damnosi comparti, etsi occulti maneant; vel quia verisimiliter innotescent, et odium ejus, rixas, etc., sunt excitaturi (a).

Vel solùm leviter, minùs nempè gratum aut commodum reddituri matrimonium.

Priores detegendi, si possibile sine gravi damno aut infamiâ.

Non posteriores, nisi inquirantur, possintque, saltem tunc sine probro detegi (b), ut in contractibus venditionis.

Ergò deneganda absolutio recusanti declarare suos graves defectus.

Sed si utrinque celentur, videtur esse compensatio (c) periculosa tamen multùm, et consequenter difficilè à peccato immunis.

(a) Ut lepra, morbus gallicus, infamia orta ex genere vel delicto, et ea quæ sive generationi sive educationi prolis graviter officiunt. Addunt multi si sponsus alteruter gravatus sit ære alieno. Item si grave odium compartis, etc.

Hinc puella, etiam solum dubitans an à sponso, an ab alio sit gravida, id aperiat, aut saltem à matrimonio desistat, si possit sine graviori damno.

Sed quid in hoc casu, si ad matrimonium urgeat sponsus, vel ob aliam causam sponsa nequeat resilire, putà sine gravi infamiâ, periculo mortis, aut ærumnæ gravissimæ ex parte patris furibundi? Difficilè non inveniet, ope confessarii consulti, medium aliquod è tali angustiâ exeundi, v. gr., benignam à sponso relaxationem aut cum eo compositionem, dilationem matrimonii post partum alicubi secretò faciendum.

Sed difficilior adhùc casus si sponsa sit certò ab alio gravida; mala enim maxima tunc debent timeri ut à sponsalibus non discedatur. Consulendus foret, si possibile, Episcopus.

(*b*) Defectus, etiam graves qui nocivi non sunt nec probrosi, quia manere debent occulti, ut si corrupta sit quæ virgo creditur, sunt quasi non essent. Sed se virginem non esse deberetne sponsa sponso fateri, si inquireret? Nullatenùs, sed posset dissimulare, inquit Billuart. Ast dissimulatio rem aperiret sponso sagaci. Meliùs ergò attonita responderet : quid quæris? Indignus es cui jungar, si talia de me suspiceris, sicut indigna sum quæ tibi uniar, si talia facere potuerim. Sed et hæc periculosa responsio foret. Non longè essem à sententiâ Pauwels existimantis negationem simplicem in hoc casu non esse mendacium, quia hæc negatio debet intelligi secundùm communem sensum et populi opinionem, juxtà quam passim virgines vocantur quarum pudicitia non est prostituta, vel, si perdita, occultè perdita fuit.

Inter defectus non necessariò aperiendos, cùm non inquiruntur, computat Billuart paupertatem, ignobilitatem, etc., quia hi defectus nec probrosi sunt, nec positivè damnosi. Sibi imputet compars si diligentiorem inquisitionem non faciat. Saltem non sit ab alio comparte deceptio.

Nulla fierent matrimonia, si omnes defectus aperirentur ; saltem ii qui, etsi leves à matrimonio deterrerent. Aperiendos tamen innuit Bailly, sed hoc generaliter sumptum videtur nimis rigorosum. Non enim ideò defectus aperiendus est in contractibus venditionis, etc., quia cognitus à contractu deterruisset : ergò à pari [484, *a*].

(*c*) Nisi res non sit par ob specialia consectaria aut circumstantias, ut si sponsus crimen sponsæ detecturus sit, et in immania irrupturus. *Collet.*

SECTIO IV.

De sponsalium proclamationibus.

807. Proclamationes antè-nuptiales, quæ banna dicuntur, sub gravi ex genere suo obligant (*a*) et parochum et nupturos.

Ideòque iterari debent, dilato notabiliter matrimonio (*b*).

Sed non necessariæ ad validitatem sacramenti.

Et ab eis subditos suos (*c*) dispensare potest Episcopus ex causis majoribus vel minoribus proùt ab omnibus, vel duabus vel unâ tantùm dispensat (*d*), modò tamen certitudinem habeat moralem nullum esse impedimentum.

(a) Quod contrà Sanchez, Bonacinam, etc., alii dicunt, etsi vel una proclamatio omittatur, etiam in casu in quo moralis esset certitudo nullum existere impedimentum.

(b) Tempus notabile variè varia ritualia definiunt. Romanum et Bisuntinum duos menses assignant. Omnes, aut duæ, aut una, ad arbitrium Episcopi repetuntur tunc proclamationes.

(c) Ergò si sponsi sint ex diversis diœcesibus, uterque, ex usu in Galliâ, à suo Episcopo dispensandus.

(d) Ab unâ vel duabus dispensatur ex causis non gravissimis, ex timore, v. gr., subsannationis aut joci juvenum, ex timore peccati inter sponsos qui malè vixerunt, ob iter agendum, ob instantiam temporis vetiti.

Quidam, sed videtur immeritò, ut causam sufficientem habent certitudinem moralem nullum esse impedimentum.

Sed ut ab omni proclamatione dispensetur, requiritur causa gravissima, ut si vivant in concubinatu qui ut conjuges habentur publicè, vel si detegatur impedimentum occultum quod publicum evadet. Vel si in extremis ducenda sit concubina.

Imò, etsi parochus non possit hìc dispensare, potest tamen per epikeiam, urgente necessitate, in similibus casibus matrimonio assistere. Hæc matrimonia vocantur à Germanis *marganatina*. A sacræ pœnitentiariæ tribunali non admittuntur, nisi cùm concubinarii ut legitimi sponsi habentur. Saltem plena sunt periculi et scandali sæpè.

In constitutione *satis vobis* præscribit Benedictus XIV quid tunc agendum. Ergò non negat ea in similibus casibus fieri posse. *P. Ant. à Goritiâ.*

---

808. Proclamationes faciendæ à proprio parocho utriusque contrahentis aut ab ipsius deputato.

Majorum quidem, in ecclesiâ parochiali loci in quo à sex mensibus aut anno commorantur, proùt àb ejusdem vel alienæ diœcesis parochiâ venerunt; aliter in loco præcedentis domicilii.

Minorum verò, quamvis vidui aut viduæ forent, in ecclesiâ insuper domicilii patris matrisve aut tutoris. In utroque domicilio, si nupturi duplex habeant, ni unum sit sex mensium aut unius anni (a).

Intrà missarum solemnia.

Tribus continuis (b) diebus de præcepto festivis.

Nota : Ordinariè proclamari non debent matrimonia, nisi nupturi postulent, et constet eos immunes esse à vinculo matrimonii, armorum professione et impedimentis dirimentibus, saltem per jam obtentam dispensationem, et nisi accesserit consensus parentum, tutorisve aut familiæ, saltem legitimè postulatus (c).

Nec danda de proclamationibus attestatio nisi elapsis horis 24 ab ultimâ (*d*).

(*a*) Si vagi sint, proclamationes fiunt in loco ubi sunt, et insuper in loco originis, aut saltem ubi diutiùs commorati sunt. *Bailly*. In diœcesi Bisuntinâ sæpè ergà vagos dispensat Episcopus, ut proclamationes non fiant nisi in loco ubi sunt, cùm saltem semper vagi fuerunt.

Expedit ut proclamationes studentium, famulorum, militarium etiam majorum, puellarum in monasteriis degentium, publicentur insuper in loco originis et præcedentis domicilii facti ubi moram traxerunt longiorem. Saltem à parochis locorum habeatur testificatio quòd sint liberi à vinculo matrimonii.

(*b*) Id est, qui non multùm à se distent, seu quòd nulla dies festiva sit interpolata.

In diœcesi Bisuntinâ una saltem dies debet esse dominica.

(*c*) Inquirat insuper parochus an nupturi aliis non spoponderint, an paschatis muneri satisfecerint (hæc pro prudentiâ), an fidei mysteria edocti sint. *Rituale Bisuntinum*.

(*d*) Potest esse materiæ levitas in proclamationum accidentibus. *Rituale Argentoracense*.

Sed sanè tutiùs nihil omittere, si possibile.

---

809. Factis proclamationibus, quisque fidelis, etiam ex diœcesi alienâ, et quamvis solus impedimentum sciat, illud revelare tenetur sub mortali, sive dirimens sit, sive solùm prohibens.

Et quidem intrà 24 horas à primâ proclamatione, quia nupturi possent ab aliis dispensationem obtinere et statìm nubere (*a*).

Imò ex religione et charitate revelandum etsi à trinâ proclamatione dispensatum sit.

Et ipsi etiam nupturi superiori interroganti, impedimentum, etsi infamans, revelare tenentur (*b*).

Nota : Eædem, quæ à revelando in aliis causis, rationes hìc excusant, cum differentiâ.

1° Quòd parentes et affines à revelando hìc non excusentur ut tales; ab ipsis enim præcipuè impedimenta cognosci possunt.

2° Quòd, ob secretum naturale hìc non eximatur quis adeò facilè quàm si ageretur de pœnâ infligendâ. Multi enim casus esse possunt in quibus validitas matrimonii et salus nuptorum prævalerent malo publico ex revelatione secreti exur-

genti, bonoque sponsorum consuleretur potiùs quàm irrogaretur ipsis injuria.

In dubio consulendus est vir prudens qui omnia ponderet (*c*).

(*a*) Excommunicatio, sub cujus pœnâ fieri præcipiuntur revelationes non est in diœcesi Bisuntinâ, nisi ferendæ sententiæ.

(*b*) Si impedimentum ex naturâ suâ publicum sit, sponsis vel parentibus revelari primò debet, et si ultrà progredi vellent (ut forsan timore impensarum) parocho denunciandum; imò Episcopo, si locus timendi sit ne parochus sponsis faveat contrà regulas.

Si verò impedimentum occultum sit, prius parti eo ligatæ solùm revelandum, ni prævideatur quòd monitionem malè recipiet, in quo casu, vel si monitus (saltem iteratò) ultrà progredi velit, agendum ut modò dictum est.

Sed caveat parochus ne revelans pro calumniatore habeatur. Obstabit ergò per se aut per Episcopum, vel dispensationem obtinebit.

(*c*) Addunt aliqui hunc unicum revelantem sufficere pro impedimento quod probari nequit, quia non agitur de reo puniendo. Ast malignus posset sic matrimonium impedire. Consulendus ergò foret Episcopus, et obtinenda, si concedi posset, dispensatio. Casus non est metaphysicus. Posset quis sororem suam ducere, quin heu! et filiam.

---

810. In excipiendis revelationibus, cautus sit parochus.

Vel enim impedimentum quod revelatur publicum est, et ex registris probari potest, vel publicum, sed quod ex registris probari non possit, vel occultum.

Si primum : monitis sponsis, abstineat à novis proclamationibus, nisi rationes sint dispensationis obtinendæ, expediatque continuari proclamationes.

Sed proclamationum non det attestationem, nisi mentione factâ de impedimento aut dispensatione.

Si secundum : exigendum à revelante coràm duobus testibus, qui cum eo subscribent, chirographum revelationem continens.

Si tunc monitæ partes (quin et antè ordinariè monendæ) desistant, aut consentiant obtinendæ, si locus sit, dispensationi, nulla superest difficultas.

Sed si secùs, mittenda res ad Episcopum.

Quòd si tunc sponsi incitent continuari proclamationes, et se matrimonio jungi, ad Episcopum itidem mittendi. Audiet eos et revelantem.

Sed si revelans nec subscribere nec cognosci velit, spon-

sique impedimentum negantes jungi exigant : intrà proclamationes, quæ tunc possunt continuari, res itidem deferenda ad Episcopum, nisi clarè constet de calumniâ (*a*).

Si tertium (ut impedimentum ex copulâ illicitâ) : sive revelans subscribere velit, sive non, statìm secretò monendus est sponsus et adducendus ad petendam dispensationem, si obtineri possit, aut ad resiliendum.

Si consentiat obtinere dispensationem, continuabuntur proclamationes, si necesse sit, ut ordinariè, ad vitandum scandalum.

Si neget perfractè; aut fassus nubere velit, agendum ut suprà, ni constet revelationem esse calumniam.

Nota : Rumor publicus, ni frivolus judicetur, sufficit ad suspendendam matrimonii celebrationem usque ad judicium Episcopi.

(*a*) « Non sunt causæ matrimoniales (etiam dubiæ) tractandæ per quoslibet, sed per judices discretos qui potestatem habeant judicandi. » (Cap. ex litteris) *Rituale Bisuntinum*.

Nota : Circà oppositiones matrimonio aliter quàm ob impedimentum, non possunt civiliter simul et ecclesiasticè in Galliâ nunc, sicut olìm fieri; nec etiam hoc modo fierent ob impedimentum. Sed non puto potestatem civilem ullo modo coacturam parochum ad benedicendum matrimonio, si impedimentum obsisteret ecclesiasticum quòd simul non esset civile cùm matrimonium contrahatur civiliter; nec si parochus matrimonii celebrationi supersedeat, donec ab oppositionibus, si quæ legitimæ factæ sint (quamvis non civiliter, quia in civili sæpè non admitterentur, ut promissiones non scriptæ), resilierint, aut partes amicabiliter composuerint.

SECTIO V.

De sponsalium dissolutione.

811. Cum causa resiliendi à sponsalibus certa est, unus propriâ, ni ritualia vetent (*a*), posset auctoritate resilire, secluso scandalo.

Si verò causa dubia sit non nisi judicis ecclesiastici auctoritate, id posset, ne fortè violet jus alterius.

Causæ resiliendi desumptæ ex naturâ rei, et variis canonicis dispositionibus, sub quatuor possunt facilè comprehendi, spectantque, paucis excipiendis, sponsalia etiam ju-

ramento firmata, quia juramentum est promissionis accessorium.

(*a*) Non vetat Bisuntinum. Cùm unus renititur, sæpè dubitandi locus est an causa resiliendi existat aut sufficiens sit. Equidem testis ètiam unicus aut fama publica sufficit hìc ad certitudinem facti in quo est causa resiliendi; sed non item rumor vagus, cui tamen sæpè nimis fidunt qui volunt resilire.

Sed tutâ conscientiâ est qui ob justam causam resilit, etsi non possit eam probare, et si damnetur ad reddendum indemnem renitentem, hic, qui causam justam cognosceret, summam retinere nequiret. Cùm causæ sunt dubiæ, consulenda semper amicabilis compositio.

---

812. Prima causa : mutuus et liber utriusque sponsi puberis consensus.

Sed caveant, hoc enim levitatis indicium.

Non impedit tamen consensus mutuus quin unus summam accipiat non solùm ob impensas, sed ob injuriam, quæ, etsi relaxata, pretio æstimabilis est, saltem in aliquo sensu.

Nota : Impubes, pubes factus, potest, altero renitente vel annos pubertatis nondùm adepto, resilire, ni habita fuerit cum eo copula.

---

813. 2ª : Notabilis rerum mutatio, sive intrinseca, sive extrinseca, quæ si extitisset aut prævisa fuisset, homines hujus conditionis prudentes à sponsalibus retraxisset (*a*). In communi enim hominum sensu, apposita censetur hæc conditio, eò faciliùs quidem in matrimonio, quòd liberius esse debeat.

Non ideò tamen conditionata sunt omnia sponsalia. Conditionata enim, non adveniente conditione, ipso facto rescissa, seu potiùs nulla sunt. Hìc autem solùm rescindibilia (*b*).

Dissolvendi ergò sponsalia ratio legitima sunt :

1° Professio in religione approbata, et ordinis sacri susceptio (*c*).

2° Fornicatio sponsalia subsequens (*d*).

3° Impedimentum dirimens superveniens (*e*).

Sed supponitur sponsalia post rerum mutationem, non fuisse, nequidem tacitè, renovata.

(a) Etsi mutatio contigerit postquàm resiliens fuit in morâ, modò damna ex morâ evenientia compensentur. *Collet.*

Sed quid, si prævisâ mutatione, quis æquè contraxisset? Juxtà P. Gab. Ant. et alios, excepto casu hæresis, valent sponsalia. Ordinariè in dubio difficilè judicatur, cùm hìc agatur de affectu qui non fuit. Præsumendum ergò in favorem libertatis resiliendi, quandò in casibus similibus sponsalia non fiunt. *Collet.*

(b) Juxtà varios notabiles sunt mutationes rerum hæ :

1° In bonis animi : hæresis, ars infamans.

De crimine gravi accusatio publica.

Diffamatio ex furto aut altero sponsi parentum aut aliorum propinquorum crimine, vel si ipse sponsus sponsam diffamet jactando se cum eâ peccasse.

Magna inter sponsos animorum alienatio (quæ plerùmque culpâ non vacat) quam si tollere nequeat pastor, non cogat ad matrimonium.

Rixæ inter parentes aut familias.

Contradictio parentum.

Timor benè fundatus scandali.

Si sponsus deprehendatur aleæ aut ebrietati deditus, vel ferox, spurius aut spurii parens.

Si, juxtà plures, vidua deprehendatur quæ putabatur virgo.

2° In bonis corporis : gravis olentia oris aut difformitas.

Infirmitas quævis cui mederi non possit, ut lepra, paralysis, oculi privatio, impossibilitas actum conjugalem faciendi quin graviter noceatur sanitati.

Tandem juxtà multos, si sponsa ab oris venustate excidat, præsertìm si sponsus per personæ elegantiam mediocritatem fortunæ ejus intenderit compensare.

3° In bonis fortunæ : ut quævis gravis jactura, etiam culpâ neutrius.

Privatio dotis, aut timor prudens exhæredationis, quamvis dotis facta non fuerit mentio, si credebatur existere, etsi hæc eveniant ex utrâque parte; quia jàm non, aut longè difficiliùs ferri possent matrimonii onera.

Si tamen vir æquè pauperi nubere velit, priori inhærere debet.

Disputant an resilire possit is cujus magnoperè accressit subitò fortuna. Adducatur ad nubendum, si non sit etiam tunc longum inter fortunas intervallum, vel ad indemnem præstandum alterum, si cum eo nubere multum aversetur. Idem de nobili qui defectu fortunæ plebeiæ spopondisset.

Nota : Ei solùm libertas resiliendi in dictis casibus competit qui jacturam non est passus. Attamen rerum mutatio esse posset aliquandò pro altero adeò notabilis, ut et ipse resilire posset.

(c) Illicitè tunc ordo sacer suscipitur, juxtà plures contrà alios, qui vident ibi rerum mutationem notabilem in melius. Judicandum hìc ex circumstantiis. Certè ordo sacer susciperetur illicitè, si occasione sponsalium sive publicorum, sive clandestinorum, sponsus sponsam corrupisset. *Theol. Pict.*

Notat idem auctor eum qui, ob justas causas ordines suscipit post sponsalia, aut religionem ingreditur, debere resarcire damna, v. gr., expensas. De suscipiente ordines transeat. Sed de ingrediente religionem non reor eum teneri nìsi ad expensas et forsan solùm pro suâ parte, nam utitur jure suo.

Quòd si sponsus ordines minores solùm suscipiat, aut novitiatum religionis solùm ingrediatur, sponsa potest statìm resilire; sed non ipse, qui si ulteriùs non progrediatur, illam, si non resilierit, ducere tenebitur.

Sed quid, si post sponsalia unus emittat solùm votum religionis ingre-

diendæ? Sponsalia dissolvuntur non pro vovente, si non profiteatur. Imò sine non voventis consensu profiteri nequit, si eum sub promissione defloravit; quia votum ipsius non fuit cum gravi alterius damno, à Deo acceptum. Quin et P. Ant. à Goritiâ professionem tunc nullam existimat, nisi damna aliter quam per matrimonium reparentur.

Et illicitè profiteretur si post votum religionem ingrediendi sponsalia contraxerit, et sponsam voti ignaram sub his sponsalibus defloraverit; quia, etsi sponsalia hæc nulla sint, tenetur potiùs damna puellæ illata reparare per matrimonium quam servare votum, quod tamen, mortuâ conjuge, adimplere tenebitur, si adhùc ad religionem aptus sit.

Sed quid iterùm, si votum post sponsalia emissum, sit solùm votum castitatis perpetuæ, aut ordines suscipiendi? Hic duplex sententia, æquè ferò gravibus momentis innixa. In praxi consulendum non voventi ut alterum non urgeat. Sed si regula generalis statui posset, ratiocinium sequens illam videretur statuere : votum non nubendi, et votum continentiæ perpetuæ aut sacros ordines suscipiendi ità se habent ad sponsalia, ut quod prius est validum maneat et per se servari debeat. Quod autem posterius est, tantùm valeat ac servari debeat, in quantùm priori obligationi non repugnat. *Novus editor Theologiæ Domini Dens.*

Undè videtur probabiliùs vota sponsalibus posteriora, excepto voto ingrediendi religionem, si sint sponsalibus contraria, nulla esse.

(*d*) Matrimonium aliundè longè difficilius et notabiliter injucundum efficit. Tandem frangenti fidem, fides non debetur; quæ causa valet vicissìm.

Imò, juxtà multos, simplices tactus aut amplexus, alteri quàm sponso permissi, sunt pro illo causa resiliendi, sed non vicissìm, quia sponsa vilior indè fit et censetur impudica, quæ dici non possunt de sponso, nisi ità frequentes sint, ut cor depravatum ostendant.

Et aiunt communiùs sponsum resilire posse, si sponsa fuerit vi oppressa, etsi occultè, quia vilior facta; et aliundè difficilè non rea creditur.

Si uterque peccet cum altero, resilire probabiliùs potest sponsus, non sponsa, quia longè gravior et pro futuro periculosior sponsæ quàm sponsi fornicatio.

Nota : Si pars, fornicationis rea, nolit sponsalium dissolutioni consentire, tradatque innocentem judici, monenda est ut desistat. Si nolit, imputabit sibi diffamationem ab hâc inæqualitate provenientem, si innocens probet ipsius crimen. Si non probet, nocens retinere nequibit mulctam ad quam innocens forsan damnabitur.

(*e*) Impedimentum affinitatis, v. gr., ex copulâ illicitâ. Nec obtentâ dispensatione, innocens impediretur à resiliendo. Imò sola impedimenti fama sufficit, nisi sit rumor vagus.

Nota : Si obtineri possit dispensatio, et innocens non resiliat, reus videtur probabiliùs teneri ad impensas, etiam magnas, juxtà aliquos; conditioni suæ proportionatas, juxtà alios. Secùs enim matrimonium esset moraliter impossibile, sicut si fieri nequiret sine magnâ infamiâ. Sed tunc compensentur aliter incommoda innocenti advenientia.

Sed ad petendam dispensationem neuter tenetur ordinariè, si impedimentum ex neutrius culpâ provenerit, ut, si in casu necessitatis, unus baptizaverit prolem communem.

Nota : Qui, cognitâ resiliendi causâ, etiam fornicatione, sponsalia rata habet, v. gr., per copulam, jam non potest resilire. Secùs si solùm post sponsalium dissolutionem copula haberetur.

814. 3ª Cùm uni ignoranti innotescunt causæ antecedentes, quæ, si fuissent cognitæ, retraxissent virum prudentem hujus conditionis à sponsalibus; si tamen iis ignorantia causam dederit. Perinde est enim ac si mutatio notabilis superveniret; nam res fieri censetur cùm innotescit, sicut et contrà idem est non esse et non apparere.

Ergò fornicatio sponsalia antecedens, si à sponso ignorata fuit, causa est pro ipso resiliendi (*a*), ob grave nempè dedecus et timorem pro futuro (*b*).

(*a*) Sed multi idem non dicunt de sponsâ; volunt enim eam non posse resilire in hoc casu, nisi saltem occurrant graves quædam circumstantiæ, aut frequentia actuum, proles nata, enormitas adulterii. Durum est enim pro puellâ timoratâ et pudicâ cum tali nubere. Scio quidem ad hæc parùm attendere multas, in locis ubi omnes ferè juvenes impudici sunt, quia nulli ferè nubere possent. Sed hoc non facit regulam. Imò numquid certò condemnanda puella quæ resiliret ob quamlibet fornicationem sponsi, si reverà ex hâc causâ?

(*b*) Excipe, si sub spe matrimonii cognoverit hanc non virginem; quia facto suo sat ostendit se velle eam ducere sive virgo fuerit hucùsque, sive non, nisi saltem se virginem mentita sit. *Dens.*

---

815. 4ª Si pars una ità se gerat, ut moraliter, juxtà prudentûm judicium, censeatur resilire. Patet resilire posse alteram. Ergò :

1° Matrimonium etiam invalidum cum altero (*a*).

2° Discessus sponsi (*b*).

3° Mora notabilis in contrahendo, causæ sunt, pro altero, resiliendi (*c*).

(*a*) Nocens ipse à sponsalibus eximitur, si matrimonium sit validum. Sed mortuâ conjuge, sponsalia reviviscunt, ni innocens jure suo cesserit. Ità multi contrà multos.

Sed sponsalia priora per posteriora non dissolvuntur, nisi priora sint justè dissolubilia; nec mortuâ priore sponsâ, posteriora valent. nisi facta sint sub conditione dissolutionis priorum, aut rata habita

Attamen sponsus infidelis teneri posset, ad damna reparanda, sponsam posteriorem ducere, si nempè eam priorum sponsalium ignaram, sub promissione defloraverit.

Imò, quibusdam in casibus sponsa prior obligari potest ex charitate renunciare juri suo.

Sed in quovis casu indemnis præstanda.

(*b*) Sive in regionem longinquam (etsi ex causâ necessariâ, si pro diuturno tempore) ad tempus sufficiens ut non sit spes quod brevì revertetur.

Sive in eamdem provinciam, si adsit translatio domicilii, vel certò futura sit, contracto matrimonio, ni compars consenserit.

Nota : Ex lege 2 cod. de repud. : biennio, si intrà eamdem provinciam, triennio, si extrà expectari debet discedens. Ast brevius tempus sufficit ex cap. *de illis*, præcipuè si urgeat grave damnum, aut incontinentiæ periculum; quia diù absens voluntatem mutare censetur. Jure pontificio nullum tempus ad expectandum præscribitur. Vult tamen Benedictus XIV ut recurratur ad Episcopum qui scribet ad absentem. *Varii.*

Hæc videntur moraliter judicanda.

(c) Vel determinatum fuit tempus contrahendi, vel non fuit determinatum.

Si prius : iterùm distinguendum; vel enim determinatum fuit ad finiendam obligationem (quod rarum), et tunc, eo elapso, resilire potest ille per quem non stetit quin matrimonium celebraretur, saltem si alter in culpâ sit; nàm si in culpâ non sit, juxtà alios contrà alios alter resilire nequit. Ad minùs inhumanè ageret resiliendo præcisè ob dilationem. Consulendus foret Episcopus.

Vel tempus determinatum est ad urgendam obligationem, ut ordinariè. Tunc si, moraliter loquendo, alteruter statìm non obtemperet, requirendus est, et, si nullam dilationis justam causam afferat nec obtemperet, censetur jure suo cedere, alterque, non ipse, resilire potest.

Nota : Minor in hâc suppositione requiretur mora ad resiliendum quàm si nullum tempus fuerit determinatum.

Si posterius, (aut si ut ordinariè, tempus ad primam alterutrius partis requisitionem determinatum sit) dicendum ut in ultimâ suppositione, si intrà tempus commune requisitus ter quaterve juxtà aliquos, nullam dilationis causam justam exhibeat.

Sed quodnam est hoc tempus commune? Alii annum, alii annos duos assignant. Alii ad judicem recurrendum dicunt; alii rem ad judicium prudentûm remittunt. Omnia pro foro conscientiæ pensanda sunt; et si mora tanta sit ut alter non censeatur ad eam se adstringere voluisse, resilire potest. Si ab anno sponsus sponsam non inviserit, etsi in eodem loco commorantem, aut ad eam, si absens, non scripserit, indicium est quòd ampliùs non curet de sponsalibus. Meliùs tamen recurrendum ad judicem ecclesiasticum, maximè in casu in quo sponsa sponsum requirere non auderet.

CAPUT I.

DE ESSENTIA, AUCTORE, MINISTRO, SUBJECTO, EFFECTIBUS ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

SECTIO I.

De essentiâ matrimonii.

816. MATRIMONIUM, ut est in officium naturæ, est contractus justitiæ strictæ, quo vir et mulier habiles sibi invicem tradunt et acceptant potestatem in sua corpora ad individuam vitæ societatem et prolis procreationem.

Ut sacramentum verò (quod, etsi à duobus excipiatur, est numero unum) est sacramentum significativum, et productivum gratiæ ad mutua animorum conjunctionem, levamen et sanctificationem, prolemque christianè instituendam (*a*).

Si matrimonium sumatur præcisè pro vinculo mutuo consensu inducto, legitimum;

Si pro vinculo simul et sacramento, sed cui nondùm accesserit copula perfecta, ratum;

Et si accesserit, consummatum dicitur.

(*a*) Matrimonium infidelium non transit in sacramentum, cùm baptizantur. Prudentiùs ergò, ex Episcopi tamen judicio, coràm parocho, etc., qui et illi benedicet, consensum renovabunt.

---

817. Ad matrimonii [424] requiritur idem qui ad aliorum contractuum validitatem consensus (*a*) cum differentiâ

1° Quòd alii contractus aliquandò rescindibiles sint jure positivo, matrimonium autem, saltem consummatum, nunquàm. Sed irritum ipso facto et nullum esse potest, quale quod ex metu gravi [843].

2° Quòd in dubio de consensu sufficienti, hic renovandus sit; alioquin dubitans non posset saltem petere debitum, nec aliud matrimonium inire.

3° Quòd graviter peccaret apponens consensui conditionem, saltem de futuro, modumve, causam vel demonstrationem, ob ambages nempè et difficultates, etc.

Si tamen conditio apposita sit, nullum reddit, jure naturali, consensum, si hæc sit substantiæ matrimonii repugnans.

Sed pro non adjectâ, jure positivo (*b*) habetur conditio impossibilis, turpisve, si de futuro et intendatur (*c*).

4° Quòd cùm matrimonium per procuratorem fit mandatum speciale esse debeat, pro personâ determinatâ, et non revocatum.

Et quòd, etsi matrimonium sit tunc probabiliùs sacramentum (*d*), consensus tamen, ad melius, renovandus sit (*e*).

(*a*) Parochus curare debet ut contrahentes verba clarè pronuncient. Nutus tamen ad validitatem sufficerent, modò consensum apertè indicent, v. gr.,

cùm puella præ verecundià non respondet, et pro eâ respondent parentes, et aliundè parochus moraliter certus est eam lubenter et sincerè consentire. *Catechismus romanus, Theol. Pict.*

(*b*) Ut substantiæ matrimonii repugnantes habent conditiones, non solùm quæ excludunt consensum, sed quæ repugnant vel uni è matrimonii bonis;

Proli; ut : *Si generationem evites. Si prolem occidas. Si educationem ejus omittas.*

Fidei; ut : *Si pro quæstu adultereris.*

Sacramento; ut : *Donec inveniam aliam.*

Sed si conditio substantiæ matrimonii repugnans, jam verè extet; v. gr., *Si sterilitatis venena sumpseris*, probabiliùs valet matrimonium, sicut non valeret, si talis conditio apponeretur, et non extaret.

Ast, nùm matrimonii substantiæ repugnant conditiones hæ : *Duco te eâ lege ut ambo voveamus castitatem. Ut me non cognoscas. Si copulæ renuncies?* Dubitant. Benedictus XIV, (de Synodo diœc., lib. 13, cap. 22, N° 10) pro affirmativâ est, si hæ conditiones in pactum deductæ sint. Tutiùs renovaretur consensus.

Sed valet matrimonium inter duos conscios sibi sui utriusque voti castitatis, et dispositionis servandi illud.

(*c*) Si tamen conditio impossibilis aut turpis fuerit seriò adjecta; aut si ignorata fuerit conditionis impossibilitas, matrimonium non valeret coràm Deo.

(*d*) Mandans ergò curare debet ut sit in statu gratiæ, tempore quo pro ipso contrahet procurator.

(*e*) Prolatâ formâ sub conditione. *Dens.*

---

818. Ut matrimonium nullum, sed in facie Ecclesiæ celebratum, *validetur*, attendendum undè veniat nullitas.

Venit autem vel ex defectu consensûs, quippè qui fictè aut ex errore substantiali, metuve gravi datus sit, nullo alio existente impedimento (*a*);

Vel ex impedimento dispensabili.

Si prius : sufficit probabiliùs ut, cognitâ nullitate, et cessante metu (si indè nullitas), qui non consensit consentiat per actum aliquem exteriùs manifestatum, v. gr., per petitionem aut redditionem debiti animo maritali (*b*), modò, quocumque etiam tempore elapso, pars altera consensum non revocaverit. Tunc enim attentâ hujus contractûs naturâ, utriusque consensus est de præsenti (*c*).

Si posterius : iterùm : vel impedimentum occultum est, et tale remansurum, vel non.

In priori casu, sublato per dispensationem impedimento, partes de nullitate matrimonii certioratæ (*d*) consensum, ut suprà, signo aliquo vel voce renovabunt inter se (*e*).

In posteriori verò (*f*) obtentâ itidem dispensatione, consensus est coràm parocho et testibus renovandus, quantùm secretò fieri poterit, si matrimonii nullitas nondùm eruperit (*g*).

Cæterùm conjuges nulliter nupti ordinariè inducendi sunt ad matrimonii instaurationem, ad vitandum nempè scandalum, et ad bonum prolis, si quæ sit, procurandum.

Si nequeant aut renuant, sistant se, priusquàm pro semper ab invicem discedant, coràm judice ecclesiastico, ut matrimonium [824, *b*] invalidum declaretur, etsi de ejus nullitate nullum sit dubium. Nec possent anteà ad secundas nuptias convolare.

Quòd si impedimentum probari nequeat, nec sit dispensabile (ut si illegitimus sororem suam duxerit) : aut in eâdem domo, ut non nupti, maneant; aut si adsit proximum incontinentiæ periculum, aliquâ de ratione, famulatûs, v. gr., mercaturæ, quoàd habitationem separentur. *Si oculus tuus*, etc.

Sed quid, si unus tantùm sciat impedimentum ? Idem faciendum. Et si, quod rarissimum, ad redditionem debiti per censuras cogeretur, has sustinere deberet.

(*a*) Dicenti se non consensisse alter credere non tenetur, nisi evidentia proferantur indicia, vel, juxtà quosdam, affirmet cum juramento, modò talis sit ut præsumi possit quòd non pejeret.

(*b*) Sufficit habitatio spontanea. *Collet. Bailly*.

(*c*) Tunc et in casibus similibus, pars conscia impedimenti curare debet ut et ipsa et altera sint in statu gratiæ, cum consensus renovatur, nisi à parte insciâ urgeat debiti petitio. Attamen cùm non sit certa omninò sententia de modi hujus matrimonia instaurandi sufficientiâ; nec etiam certum sit contrahentes ministros esse sacramenti, tutiùs consensus renovandus est coràm parocho et testibus, si possibile sine damno aut scandalo. *P. Gab. Ant. Collet, etc.*

(*d*) Ast si pars sola impedimentum cognoscat, nec possit sine infamiâ illud alteri parti aperire, maxima in praxi difficultas. Varii varios modos edocent. Juxtà plures, sufficit ut pars impedimenti conscia, obtentâ dispensatione, dicat alteri : *Te ità diligo, ut si non esset inter nos matrimonium, te acciperem in conjugem, sicut te nunc accipio. Dic tu quod etiam accipias me.* Si respondeat : *accipio*, convalescit, inquiunt, matrimonium. Secùs, si solùm dicat : *acciperem*.

Modus hic difficultate non caret, nec vellem eum adhibere nisi consulto, si possibile, Episcopo, præsertim si pars nescia sagax sit.

Alium alii docent aptissimum si pars nescia non sit sagax. Sic : à con-

fessario didici me, quandò nupsi, *non sufficienter consensisse. Oportet ut me accipias sicut te accipio, si non valet nostrum matrimonium.* Hunc modum consulit Benedictus XIV.

Alii tandem tutiorem pro omni casu docent, si sit applicabilis; ut nempè confessarius partis impedimenti consciæ, ex ipsius expressâ licentiâ adeat putativos conjuges et dicat: *Diligitis invicem, et certè nuberetis denuò. Viâ certâ, sed quam indicare mihi fuit prohibitum, quamvis pro bono vestro res mihi dicta sit. Viâ, inquam, certâ scio vos non esse nuptos ob impedimentum quod non fuit revelatum, sed quod nec dicere queo. Dicite ergò coràm me quòd mutuò accipiatis vos in conjuges.* Multùm expedit ad vitandam omnem suspicionem quòd confessarius sit proprius pastor.

Dicunt nonnulli, omni alio modo deficiente, sufficere in necessitate copulam redditam animo maritali, quia perseverat alterius consensus. Et hoc, sed per dispensationem, possibile supponit Benedictus XIV, (Institut. ecclesiasticarum, institutione 87, § *hæc sanè*) dicendo recurrendum ad sacram pœnitentiariam pro obtinendâ *deobligatione* renovandi consensum, seu ut matrimonium sanetur in radice. « Quæ gratia, inquit idem S. P. (in » constitutione 27 sept. 1755), à Romanis Pontificibus concedi consuevit, » urgente magnâ causâ. » Eadem habet de Synodo diœcesanâ, libro XIII, cap. 21, N° 7. Non posset ergò medium illud adhiberi nisi ex speciali dispensatione S. P. Sed obtineretur ne? Causæ quæ exponerentur haberenturne ut gravissimæ?

Cæterum, ut ait idem S. P., dispensationes ad sanandum matrimonium in radice, (quæ etiam nunc pro matrimoniis, tempore *revolutionis* nullis ob clandestinitatem, ex indulto ab Episcopis Galliæ conceduntur) non faciunt « ut matrimonium nulliter contractum, non ità fuerit contractum, sed ef- » fectus de medio tolluntur, qui ob hujus matrimonii nullitatem, antè in- » dultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii actu, producti » fuerunt. »

Nota: Cùm detegitur impedimentum à duobus conjugibus ignoratum, nunquàm omninò aperiendum, inconsulto Episcopo, ad quem omnia quæ spectant ad conjuges, ætas, indoles, amor vel odium, familia, etc., referentur, exposcendo modum matrimonium instaurandi. Sæpè forsan respondebit conjuges putativos esse in bonâ fide relinquendos.

Nota iterùm: Si confessarius audiat pœnitentem de matrimonii sui validitate dubitantem, quia conjugem suspicatur de crimine, dicat non omni spiritui credendum; judicia talia gravia fore. Quod extendit Collet ad casum in quo confessarius non solum viâ confessionis, sed aliâ, modò secretâ, de impedimento certus esset, quia exigunt aliquandò circumstantiæ ut bona conjugum fides foveatur cùm illæsâ veritate fieri potest. Utrum autem tunc illæsa maneat veritas, vide N° 616.

(*e*) Si in dispensationis rescripto hæc vel similia legantur: *Publicè et servatâ formâ Tridentini*, putativi conjuges possunt semper consensum renovare sine parocho et testibus, inquit Billuart post Sylvium, etc.; quia forma Tridentini quam intendit dispensationis rescriptum, jam servata est.

(*f*) Publicum est impedimentum cùm per duos testes probari potest. *Billuart.* Aliundè, ut ait P. Gab. Ant. pòst Sanchez, si de facto probaretur impedimentum, aut notorium aliundè, imò simpliciter publicum evaderet, conjuges tenerentur de novo contrahere quia renovatio secreta ab eis non posset objici. Ergò non satis esset dicere tutius esse tunc in facie Ecclesiæ, secretò tamen, in quantùm fieri poterit, matrimonium instaurare.

(g) Juxtà plures, non necesse est tunc facere novas bannorum proclamationes, nec ab eis obtinere dispensationem. Juxtà alios fieri debent, nisi nuper factæ aut obtinenda ab eis dispensatio. Quod consultius, saltem si permittant circumstantiæ.

SECTIO II.

De auctore, ministro et subjecto matrimonii.

819. Matrimonii, ut est in officium naturæ, auctor Deus;

Ut est sacramentum, Christus.

---

820. Ministri, ut contractus naturalis saltem, contrahentes (a).

(a) Unanimis ferè antiquorum, et plurium contrà alios recentiorum sententia est, validissimis fulta auctoritatibus et ratiociniis, contrahentes ipsos ministros esse sacramenti. In hàc sententià consensus ut juris traditivus, materia est; ut acceptativus, forma. In sententià contrarià, (quæ eò difficiliùs adoptari deberet, quòd argumenta apparentia, etsi futilia, minùs sanæ, imò heterodoxæ doctrinæ circà potestatem impedimenta matrimonii statuendi, præbeat) materia est mutuus contrahentium consensus; forma, verba sacerdotis: *Ego vos*, etc.

Benedictio solemnis quæ nuptis datur, oratio solùm est quæ non est de obligatione, inquit P. Ant. à Goritià, et de facto in matrimonio viduæ omittitur in diœcesi Bisuntinà. Sed cur in aliis matrimoniis omitteretur?

---

821. Subjectum matrimonii sunt vir et fœmina nullo, sive naturali sive juris positivi impedimento irretiti;

Qui baptizati sint ad effectum sacramenti recipiendi;

Serventque formas à lege civili præscriptas, saltem ad effectus civiles obtinendos [828, *a*].

Surdi simul et muti cæcique à nativitate, matrimonii incapaces sunt, utpotè qui non possint ejus percipere naturam.

Secùs surdi et muti tantum, si eam percipere queant, qui tamen sine Episcopi licentià, et non nisi diù probati conjungendi sunt.

SECTIO III.

De effectibus matrimonii particularibus.

822. Hi sunt vinculum et obligationes ex eo resultantes; Societas communis et bona indè exurgentia;

Et legitimatio saltem quoàd effectus spirituales (*a*) prolis non spuriæ (*b*) antè matrimonium natæ, aut à fortiori solùm conceptæ (*c*), etsi matrimonium aliud intercesserit, modò, probabiliùs, sequens matrimonium sit realiter validum.

Nota : Legitimi itidem sunt quoàd effectus spirituales, nati vel solùm concepti ex matrimonio, bonâ fide, saltem ex unâ parte invalido, modò celebratum sit in facie Ecclesiæ et bannis promulgatis. Si nequidem ex unâ parte bona fides fuerit, filii non legitimantur nisi per subsequens matrimonium, sublato impedimento, de novo contractum. Imò nec tunc legitimarentur, si impedimentum fuerit ligamen (*d*).

(*a*) Pro civili, vid. Cod. civ.

(*b*) Spuria vocatur hic non omnis illegitima proles, sed quæ nata est ex adulterio, vel incestu, vel sacrilegio. Hanc non legitimat subsequens matrimonium, nisi, probabiliùs, nata sit postquàm pater et mater, sublato impedimento, validè inter se contraxerunt; imò fortè jam solùm obtentâ dispensatione.

(*c*) Sumitur enim tempus proli favorabilius; imò in dubio an proles nata sit vel concepta tempore quo parentes inhabiles erant ad contrahendum, in favorem prolis præsumitur. *Benedictus XIV*, constitutione *redditæ nobis*.

Et legitimæ reputantur proles expositæ.

(*d*) Hæc tamen contrà aliquos.

SECTIO IV

De matrimonii proprietatibus

Hæ sunt ejus honestas, unitas et indissolubilitas, de quâ hic solùm.

Indissolubilitas autem hæc quæ juris est naturalis non stricti, et juris divini positivi novi, patitur exceptiones, sive quoàd vinculum sive quoàd torum et habitationem, ob quas separatio, saltem quoàd torum et habitationem, divortium vocatur.

§ I

823. Exceptiones quoàd vinculum, spectant in quibusdam casibus matrimonia infidelium, etiam consummata, et matrimonia christianorum non consummata, sed in solo casu professionis religiosæ, circà quæ vide auctores.

Nota tamen hîc duos menses ad deliberandum de statu religioso nupto concedi, intrà quos non tenetur reddere debitum, si sincerè deliberet (a); et ingressum semper possibilem esse quandiù matrimonium non est consummatum; sed consummatum præsumi, non obstantibus conjugum dictis, si mulier fuerit in domum viri introducta.

Nota iterùm, matrimonio etiam consummato, posse unum, de consensu compartis, ingredi religionem, imò sine ipsius consensu, in casu divortii legitimi et perpetui ob adulterium.

Sed uno, de consensu alterius religionem ingrediente, alter in sæculo remanens non solùm nequit ad alias nuptias convolare, sed si juvenis sit, aut senex quidem, sed de incontinentiâ suspectus, debet vel et ipse religionem ingredi, vel castitatem in sæculo vovere coràm Episcopo et testibus.

Et idem videtur dicendum cùm, de consensu uxoris, vir ordines sacros suscipit.

(a) Hinc qui vovit religionis ingressum debet antè bimestre illam ingredi, aut à voto dispensari.

Sed religionem ingredi non intendens, potestne antè bimestré denegare debitum? Non conveniunt. In praxi inducendus ad reddendum. Imò, qui de religione cogitat, non nubat, nisi monito sponso.

Et dubium est an anticipata copula matrimonium faciat anticipatè ità consummatum, ut ingressus in religionem impossibilis evadat.

§ II.

Exceptiones verò indissolubilitati quoàd torum et habitationem sunt, ex Trid. Sess. 24, præter mutuum consensum, causa legitima, accedente, ubi oportet, judicis sententiâ.

Causa autem legitima triplex præcipua: adulterium, periculum animæ (sub quo infidelitas aut hæresis), et sævitiæ.

824. 1ª Adulterium (*a*) causa est et quidem, sed sola, perpetuæ separationis quoàd torum, etiam propriâ auctoritate, si crimen moraliter certum sit.

Quoàd habitationem vero, auctoritate judicis ecclesiastici (*b*).

Sed nec requiritur hæc sententia, si adulterium ità sit publicum et notorium ut à nemine possit in dubium revocari (*c*).

Non tamen de se præcepta est ob adulterium separatio; et hæc Proverbiorum 8, *Qui tenet adulteram stultus est et impius,* intelligenda sunt de præcepto per accidens, cùm nempè scandalum aliter oriretur, utpotè quòd virum, v. gr., suspicarentur impudicitiis uxoris favere.

Sed et nec tunc præceptum ipsum obligat, si gravia vel solùm timeantur (*d*).

Undè è contrario exigit sæpè charitas ut non fiat separatio (*e*).

Nota : Latâ, ob adulterium, divortii sententiâ, nocentem, etiam emendatum, revocare nunquàm ex justitiâ (*f*) tenetur innocens; quin potest ex tunc votum emittere castitatis, vel ordines suscipere, vel religionem ingredi (*g*); sed sicut expedit ut innocens omnia priùs tentet quàm divortium incipiat, ità et ut cesset.

Nota iterùm : adulter, saltem cùm innocens crimen ejus novit, exigere nequit debitum (*h*); sed solùm petere tanquàm benevolè concedendum, quia jus exigendi perdidit; sed nedùm innocens peccet reddendo, aut etiam petendo, sæpè via melior est, saltem ex parte uxoris, nocentem reducendi.

(*a*) Sub quo, etsi negent aliqui, comprehendi probabiliùs debent sodomia et bestialitas, quia carnem completè dividunt; non verò tactus, pollutio, etc.

(*b*) Nunc in Galliâ Episcopi nullum habent forum contentiosum; sed, sumptis documentis, pronunciant solùm pro foro conscientiæ.

(*c*) Ut si nati sint ex adulterio filii quos adulter ut suos palàm cognoscat, vel nisi evidens sit periculum animæ vel corporis. Meliùs tamen, etiam tunc, obtineatur sententia.

Supplex libellus, rationes separationis continens, offertur judici. Sed forsan, aut non facilè contrà virum admitteretur, in Galliâ, à judice civili.

(*d*) Ut lites graves vel rixæ cum uxoris parentibus, vel ne uxor in pejus ruat; aut si ipse gravissimas carnis tribulationes patiatur. Ità Sanchez cum

Salmanticensibus. Sufficeret tunc ut vir publicè improbet uxoris vitam, et palàm eam corripiat. Imò posset vim aliquam et minas adhibere.

Rari sunt casus in quibus uxor à viro adultero se separare debeat. Unum assignant quasi metaphysicnm, si speret nempè virum indè emendandum.

(*e*) Ob honorem familiæ, etc., precibus ergò, blanditiis, oratione, etc., ocens ad Deum revocandus.

(*f*) Benè verò ex charitate aliquandò, si expostulet salus nocentis [259, *etc*]. Sic multi contra forsan plures. Ità etiam ob charitatem propriam, si innocens ex separatione magnum subeat incontinentiæ periculum, sed secluso gravi scandalo.

(*g*) Censent tamen Pontas et Collet adulterum biennio emendatum posse religionem profiteri, si, omnibus tentatis, nequeat in consortium redire, et modò conjux eum non revocet à novitiatu.

(*h*) Sed conjux occultè adulterans, potestne conjugem adulterii ignaram ad copulam cogere? Disputant. Ut probabilius affirmat Sanchez. Vide rationes ejus sat graves. De Sponsalibus, lib. 1°, disputatione 68.

---

825. Sed, ut ex variis juris capitibus colligitur, adulterium cessat esse divortii causa.

1° Cum uterque adulter est, etsi unus occultè et non tàm frequenter. Undè si vir, uxore dimissâ, adulter fiat, eam revocare tenetur (*a*).

2° Cùm vir uxoris adulterio causam dedit et occasionem, ei, v. gr., denegando necessaria; à fortiori si durè tractando, è domo expellendo.

A fortiori adhùc si ejus adulterio consenserit, ad illud eam impulerit (*b*).

3° Si res sine crimine sit, ut si uxor vi oppressa, vel virum, ob longam absentiam, mortuum credens, alteri nupserit.

4° Si innocens nocenti expressè, vel tacitè, v. gr., ad torum admittens (*c*), condonârit.

Sed factâ condonatione, si condonans fiat ipse adulter, non tenetur condonatus ei condonarè, etsi id foret æquum.

(*a*) Nisi, juxtà quosdam contrà plures, adulterium viri occultum sit, et uxor juridicè dimissa.

Quod si vir pœnitentiam egerit, et uxor nolens eum recipere, perseveret in adulterio, posset, inquit D. Antoninus, ipsa accusari et dimitti.

(*b*) Aut illud non prohibuerit, cùm facilè posset, quod veriùs de viro quàm de uxore diceretur.

(*c*) Aut dando, quamvis illicita, amicitiæ signa. Ita plures. Vel etiam, inquiunt alii, domi, non obstante criminis notorietate, retinendo, nisi tamen ex ignorantià juris sui, aut metu gravi.

De priori condonandi modo quam de posteriori faciliùs crederem quòd sufficiat. Cæterum hæc condonationis signa idem post ac antè judicis sententiam operantur.

---

826. 2ª Periculum animæ (*a*), cùm nempè

1° Unus alterum ità impellit aut urget ad peccata gravia, homicidium, furtum, usuras, fraudes, sodomiam, pollutionem, ut adsit pro eo manifestum peccandi mortaliter periculum (*b*). *Si oculus tuus,* etc.

Imò nec per censuras coactus, cohabitare posset.

2° Cùm unus in hæresim, apostasiam, etc., lapsus, iis pertinaciter adhæret. Si enim non sit tunc animæ periculum pro altero, existit pro prole.

Idem dicunt si hæreticus nubendo promiserit conversionem, nec fecerit.

Attamen, absente salutis periculo, et si spes habeatur aliqua errantem reducendi, ex hâc causâ quæ aliundè non admitteretur in tribunalibus, facienda non est separatio.

Nota : Cessantibus quæ ad præsentem causam pertinent, in alterutrum revertendum (*c*).

(*a*) Et quidem privatâ, si publicâ auctoritate impossibile, tunc separatio fieret.

(*b*) Si à rectis moribus avocet, maledictis aut verberibus ad iracundiam aut continuas murmurationes inducat; si in eo mœroris statu constituat qui patientiam infringat, et omnes demùm pietatis sensus auferat. Sic aliqui. Ast multa divortia fierent. Cautè ergò ex his causis procedendum videtur; nec unquàm inconsulto Episcopo, nisi periculum sit in morâ. Requiritur enim verum et magnum salutis periculum.

(*c*) Etsi, juxtà plures contrà alios, juridicè facta sit separatio, ni tamen innocens religionem sit professus.

---

827. Sævitiæ alterutrius (*a*), ex quibus nempè comparti imminet periculum vitæ aut alterius mali gravis (*b*).

Non ergò percussio, etiam atrox, quæ ex insolitâ perturbatione evenit, sine periculo iterationis.

Antè judicis autem ecclesiastici sententiam fieri potest ex hâc causâ separatio, si sit periculum in morâ. Sed statim ad judicem recurrendum [824, *b*], ni Episcopus consultus sic remanere permittat, donec nocens, mediante parocho aut altero, resipiscat. Cessante enim sævitiâ, si ei pro futuro cautum sit, separatus reverti tenetur.

Nota : Pastoris est zelo-zelati impedire pro posse divortia ad concordiam revocando dissidentes, nec absolvendo nocentes ni redeant, mulieres præsertìm morosas, sontes sæpè magìs quàm mariti.

Ubi tamen conjuges æqualiter rei, sibique ad extremum irati, supponerentur animo ità funditùs discordes et contrarii ut nulla spes affulgeret quòd possint habitare pacificè, solùm invitandi ut sibi condonent, non autem ut cohabitent, præsertìm si ejus sint ætatis quæ excludat incontinentiæ periculum.

Nota iterùm : Possunt conjuges, ut pietatem impensiùs colant, ex mutuo et confessarii consensu, quoàd torum separari.

(a) Causa hæc ferè sola in Galliâ admittitur. *Collet.*

(b) Ut si vir insidias uxoris vitæ paraverit, vel eam occidere minatus sit, si minas exequi soleat, si minis gravibus accesserint injuriæ malæve tractationes, correctionis terminos excedentes, percussiones graves, verbera immoderata. *Sylvius.*

Item odium implacabile, jurgia continua, convicia. Cap. *transmissa*, lib. decretalium, tit. 13.

Addunt morbum contagiosum, si medicorum judicio adsit ob torum aut habitationem infectionis periculum ;

Et si prodigus compars dilapidet bona conjugis aut prolis ;

Et si uxor à viro de gravissimis accusetur criminibus quæ probari non possent ;

Et si timeat prudenter involvi in criminibus mariti. *Varii.*

De his et similibus prudens judicet, sed attendat personarum qualitatem. Nam causæ quæ pro plebeiâ, rudi, perditâ, sufficientes non judicarentur, sufficere possent pro nobili, pudicâ, morigerâ.

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

828. Alia sunt simpliciter prohibentia, quibuscum illicitè quidem graviter, sed validè ;

Alia dirimentia dicuntur quibuscum et illicitè graviter et invalidè matrimonium contrahitur.

Ex dirimentibus alia sunt juris naturalis ; alia juris divini positivi.

Alia juris ecclesiastici, et alia quæ à potestate civili statui possunt, saltem quoàd effectus civiles (*a*).

Alia insuper absoluta, cùm nempè dirimunt matrimonium cum quâcumque personâ, et alia relativa, cùm nempè cum unâ solum in particulari.

Alia perpetua et alia temporalia;

Alia publica et alia occulta;

Alia præcedentia et alia subsequentia matrimonii celebrationem.

Ecclesiam constituere posse impedimenta simpliciter prohibentia fatentur omnes.

Sed et dirimentia quæ non solùm in sacramentum indirectè, sed et in ipsummet contractum naturalem vinculumque directè cadant, quis catholicus ambigat? *Si quis dixerit,* etc. Trid. ses. 24, can. 4 (*b*).

(*a*) Hic multùm scinduntur theologi : D. Thomas, et non pauci post ipsum non improbabiliter docent potestatem civilem constituere posse impedimenta quæ contractum naturalem, qui sacramenti materia saltem necessariò est, irritent; undè proindè matrimonium nullum esset et quoàd sacramentum et quoàd vinculum.

Benedictus verò XIV in constitutione *singulari* et cum ipso etiam multi credunt principes posse equidem irritare matrimonia infidelium sibi subjectorum, sed non matrimonia christianorum, additque deserendum hìc D. Thomam, quippè qui scripserit antè Trid. quod declarat causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare. Absolutà ergò suà potestate id possunt principes, quia matrimonium, ut ordinem dicens ad statum politicum, eis subjacet sicut subjacet Ecclesiæ proùt ordinem dicens ad salutem. Sed in præsenti rerum statu non possunt, sive quia, juxtà aliquos, annuentibus aut saltem non contradicentibus principibus, sive quia, juxtà alios, auctoritate suâ supremâ Ecclesia sibi soli vindicavit causas matrimoniales. Quæ momenta momentis prioris sententiæ inferiora videntur.

Quidquid sit, ni principes clarè dicant se per impedimenta quæ statuunt, velle attingere matrimonium ut contractum naturalem, præsumuntur illa non statuere nisi quoàd effectus civiles, sicut clero Gallicano declaravit nomine regis custos sigillorum regiorum circà Henrici III et Ludovici XIII edicta super filiorum familiâs matrimoniis.

Et reverà, quot anxietatibus nunc præcipuè exponerentur et fideles et pastores in Galliâ, v. gr., cùm tam facilè sit contractui civili qui matrimonium coram parocho præcedit, aliquid deesse ad validitatem essentiale, saltem in sententiâ eorum qui volunt contractus celebratos sine solemnitatibus, etc., irritos esse [423].

(*b*) Quem canonem de irritatione matrimonii quoàd vinculum, intelligit Bulla *auctorem fidei* Pii VI in damnatione doctrinæ concilii pistoïensis; undè ampliùs ne minimum fucum injicere potest Launoii sententia dicentis Ec-

clesiam ab principibus hanc potestatem accepisse. Nam illam à Christo acceptam clarè dicit Bulla, n° 59.

SECTIO I.

De impedimentis prohibentibus.

Sunt, sub gravi et pro nupturis et pro parocho :
Ecclesiæ vetitum tempus, sponsalia, votum.

829. *Ecclesiæ vetitum,* sive generale, ut, ubi viget, non nubere sine sponsalibus;

Sive particulare à Papâ, Episcopo parochove factum ob aliquam causam temporalem, v. gr., donec nupturi probaverint se liberos;

Sive etiam, juxtà nonnullos, particulariter in rituali contentum, ut non jungere qui fidei mysteria ignorant.

---

830. *Tempus* quo interdicuntur nuptiæ (*a*) est ab Adventu (*b*) ad Epiphaniam, et à die Cinerum ad diem octavam Paschæ.

Sed possunt tunc fieri et proclamari sponsalia.

(*a*) Solemnes, juxta probabiliorem, id est, factæ cum apparatu, conviviis, choreis, deducendo palàm sponsam, non autem simplex matrimonii celebratio. Sic innuit Trid. Sic declaravit S. congregatio ejus interpres. Sic Benedictus XIV inst. Eccl. lib. 8°. Sic rituale Romanum. Sic etiam Bisuntinum supponit. Sed nunc saltem et petuntur et conceduntur dispensationes pro faciendis, tempore vetito, simplicibus matrimonii celebrationibus.

Ait P. Gab. sacram congregationem declarasse prohiberi iisdem temporibus matrimonii consummationem. Alii contrà sentiunt. Imprudenter saltem de hâc prohibitione monerentur recenter nupti.

(*b*) A primis vesperis adventûs, inquit Sanchez, à mediâ nocte, inquiunt Bonacina et alii.

Ex Rituali Bisuntino matrimonium non debet celebrari antè diluculum diei tempus vetitum subsequentis, nec, quâvis die, antè horam quartam, æstate, et sextam hyeme, nec unquàm nisi manè, excepto dispensationis casu.

Et ex novo ejusdem diœcesis manuali, non diebus dominicis, festis præcipuis, et diebus jejunii, nisi causa rationabilis adsit.

---

831. *Sponsalia* cum alio contracta, nisi dissoluta sint, quia in re gravi violaretur data fides.

---

832. *Votum* non solemne, sed simplex
Sivè religionem ingrediendi;

Sive ordines sacros suscipiendi;
Sive virginitatem præcisè servandi;
Sive præcisè non nubendi;
Sive, ut communiùs, castitatem perfectam servandi.

Mortaliter peccaret ergò qui nuberet uno ex his votis ligatus, et compars quæ, voti conscia, ei conjungeretur, quia quodlibet impedimentum reddit matrimonium pro utroque graviter illicitum.

Matrimonio autem semel, etsi illicitè contracto, qui vovit ingredi religionem, iterùm mortaliter peccat, sive petat, sive reddat debitum intrà primum bimestre, quia tenetur religionem ingredi, supposito tamen quòd ad eam aptus sit et possit moraliter; sive et petendo etiam post bimestre, saltem si, ad petitionem alterius, matrimonium nondùm consummaverit, uti debuit tunc, si compars exegit (*a*).

Qui verò vovit aut ordines suscipere, aut virginitatem præcisè, aut præcisè non nubere, potest, saltem post bimestre, debitum reddere, imò petere intrà bimestre, si consummavit, quia ex tunc voti impletio fit impossibilis (*b*).

Tandem qui vovit castitatem perfectam (etsi post contractum, sed antè consummatum matrimonium), nunquàm potest petere debitum, nisi dispensatus; sed, consummato, saltem post bimestre, matrimonio, reddere tenetur (*c*).

Nota 1° : in his casibus, in quibus, si reperiantur, consulendus non nunquàm est Episcopus, ob intricatas quas offerunt aliquandò difficultates, sæpè antè et sæpiùs post contractum matrimonium, petendæ dispensationis rationes existunt (*d*). Sed, finito per mortem conjugis matrimonio, vota reviviscerent, quia ordinariè per dispensationem non tollitur totaliter votum, sed solùm suspenditur, et quidem quoàd usum matrimonii præcisè, in eo in quo licitus est.

Nota 2° : si post matrimonii consummationem votum, etc., emittatur.

Vel ab uno solùm, sine consensu alterius;

Vel ab ambobus, mutuo consensu, aut ab uno de consensu alterius.

Si prius non tenet votum nisi in quantùm non violatur

jus alterius. Undè vovens religionis ingressum, ingredi eam non teneretur, imò nec posset sine alterius consensu; et si castitatem, petere non posset debitum.

Si posterius : uterque voto tenetur (e).

a) Quia tunc, inquiunt, poterat adhùc votum implere. Sed contrà sentit D. Dens, quia uxor monita non consentiret, ac proindè non peccat primâ vice reddendo, quamvis contrà sentiant communiter. Ad id tenetur enim. Peccavit, sed solùm hùc usquè differendo.

Si autem consummavit, potestne petere debitum? Affirmant plures, et videtur meritò, quia se ad castitatem obligavit solùm in religione; nisi aliter intenderit. Fieri enim potest ut vovendo ingressum in religionem, intenderit vovere castitatem.

Idem dicendum videtur, si intrà bimestre matrimonium illicitè consummaverit. Ex tunc petere posset quia voti impletio fit ipsi impossibilis.

Et idem à fortiori dicendum de licitate petitionis debiti post votum suscipiendi ordines.

(b) Hìc mirè variant. Aliqui de his votis ratiocinantur sicut de voto ingrediendi religionem et ad hunc ingressum obligant ut ad unicum medium hæc vota implendi. Alii plures post DD. Thomam et Antoninum id dicunt solùm de voto ordines suscipiendi. Sed contrà sentiunt alii cum Sanchez, quia ingressus in religionem est medium servandi votum ad quod vovens non censetur se òbligasse, quod sat arridet.

Quoàd votum virginitatis præcisè, æstimat P. Ant. à Goritiâ illud illicitam reddere solam matrimonii consummationem per primam copulam. Non video cur si ad reddendum tantùm debitum, supposito quòd non teneatur ingredi religionem.

Tandem de voto non nubendi præcisè, aiunt plures, illo fracto per matrimonium contractum, statìm reddi et peti posse debitum, quod certum videtur in eâdem suppositione hìc probabiliori.

Ast seriò examinandum an votum virginitatis aut non nubendi non sit votum castitatis perfectæ, quod sæpè suspicandi locus est saltem de voto virginitatis; quæ enim illud emiserunt crederent sæpè se reas non solùm nubendo, sed et quâlibet petitione, imò et redditione debiti. In dubio petenda dispensatio.

(c) Non potest reddere ante bimestre, inquit Sanchez, quia Ecclesia concedit ei hoc tempus ut religionem ingrediatur si velit, et sic votum impleat. Ast teneturne reverà eam ingredi ad votum implendum, supposito (quod rarum) eum ad eam aptum esse? Alii affirmant, ut modò, b.

Hæc rariora, ut ulteriùs et fusiùs discutiantur.

Casus esset dispensationis quam, inquiunt, posset concedere Episcopus usquè dùm Romam recurratur, si adsit periculum incontinentiæ in morâ.

(d) Causæ hìc dispensandi, sunt :

1° Timor prudens ne votum sit voventi occasio ruinæ spiritualis.

2° Si puella nequeat aliter quam nubendo, alere patrem, etc.

3° Cùm matrimonium lites diremplurum aut discordias sedaturum est.

4° Cùm necessarium est ad conservandam familiam illustrem bono Ecclesiæ et regni multùm profuturam, etc. 283.

Adde, pro dispensatione à voto religionem ingrediendi, notabilem diffi-

cultatem, dubium superveniens an materia voti sit adhùc utilis, etc., pro dubio an bona vel mala sit materia. Vide 272, *d*.

(*e*) Non videtur eum, qui consensum dedit absolutum, illum revocare posse. Vovens ergò non potest reddere debitum ad petitionem compartis qui suo voto consensit, quia cessit jure suo; et probabiliùs videtur eum qui consensit non posse reddere ad petitionem voventis.

SECTIO II.

De impedimentis dirimentibus.

Alia dirimunt annullando directè contractum, ut vis, et alia annullando simul et inhabilem reddendo ad contrahendum.

Quindecim numerantur, sic vulgò :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus et impos
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

ARTICULUS I.

De impedimentis erroris et conditionis.

833. Error, etiam vincibilis circà personam aut qualitatem in personam ità redundantem ut hanc determinet et distinguat à quâvis aliâ, jure naturali ;

Circà verò qualitatem conditionis servitutis strictè dictæ, jure ecclesiastico matrimonium dirimit.

Secùs error circà simplicem aliam personæ qualitatem, etsi ex dolo alterius proveniens, nisi qualitas hæc accidentalis, ex actuali aut virtuali, non autem habituali solùm aut interpretativâ intentione, apponatur, ut conditio sine quâ non fieret matrimonium.

Attamen ob hunc errorem reclamans, non audiretur.

Nota : Peccant graviter, et de omnibus damnis tenentur qui, ut quamdam ducant, fingunt se divites, nobiles, etc.; et qui, ut amico puellam inveniant, mendaciter exaltant eum et dolosè.

ARTICULUS II.

De impedimento voti et ordinis.

834. Agitur hìc de voto expresse vel tacitè facto in religione approbatâ, et ab Ecclesiâ, nomine Dei, acceptato[273]. Et de ordine sacro.

Utrumque matrimonium subsequens dirimit jure saltem ecclesiastico (*a*). Et qui, his non obstantibus, matrimonium attentant, excommunicantur (ex Clementinâ unicâ de Consanguinitate).

(*a*) Sunt qui autument ordinem sacrum matrimonium dirimere, et ob votum in eo inclusum, et ob sumptionem ordinis.

Et sunt qui volunt votum solemne religionis inducere impedimentum et juris naturalis, quia, inquiunt, quod Deo datum est, alteri dari nequit.

Ast quid si professio religiosa fuerit invalida utpotè metu gravi ad hoc injustè incusso facta, etc.? matrimonium subsequens non dirimeret; et sic probabiliùs de subdiaconatu. Sed reclamans non audiretur post quinquennium nisi obtento à curiâ Romanâ rescripto post probationes quòd metus ultrà quinquennium duraverit.

Nota : Conjugatus, qui invalidè profiteretur, ad conjugem deberet reverti et reddere debitum. Sed petere non posset, nec eo mortuo, ad alias nuptias convolare, quia professio hæc vim haberet voti simplicis.

ARTICULUS III.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplex : carnalis quæ ex copulâ licitâ vel illicitâ oritur, et consanguinitas appellatur;

Spiritualis, quæ ex baptismi vel confirmationis paternitate et compaternitate;

Et civilis, quæ ex adoptione.

§ I.

De impedimento cognationis carnalis.

835. Carnalis cognatio est vinculum personarum in sanguine communicantium, seu quæ ab eodem stipite manant.

In eâ distinguuntur lineæ et gradus.

Linea est collectio personarum consanguinitate conjunctarum, diversos continens gradus.

Duplex est : recta, cùm alii ab aliis descendunt, estque ascendentium vel descendentium proùt suprà vel infrà gradus computantur.

Collateralis, cùm non unus ab altero, sed solùm à communi stipite omnes descendunt.

Gradus est mensura distantiæ in quâvis lineâ. Undè nulla persona per seipsam gradum facit, quia nulla à se distat; et consequenter neque pater, neque mater, sive seorsìm, sive separatìm sumpti, gradum faciunt, sed sunt stipites.

In lineâ collaterali gradus possunt esse æquales, vel inæquales, ut patet.

Nota : Consanguinitas duplex esse potest, v. gr., si duo fratres duas sorores duxissent, aut unus filiam, alter ejus consobrinam, avunculus amitam et nepos neptem, aut avunculus et nepos duas sorores; ac proindè, in consanguinitate duplici, gradus ex unâ possunt esse inæquales, et æquales ex alterâ.

---

836. Cognatio carnalis, sive ex licitâ, sive ex illicitâ copulâ veniat, matrimonium dirimit in quocumque gradu lineæ rectæ (*a*).

In collaterali verò, usquè ad quartum gradum inclusivè (*b*).

Gradus remotior trahit ad se propinquiorem, ità ut qui in quinto est, ducere possit eam quæ in quarto, tertio, etc. (*c*).

Ad gradus autem computandos tres sunt regulæ.

1ª In lineâ rectâ tot sunt gradus quot generationes, dempto capite, seu unâ generatione non computatâ. In secundo ergò gradu sunt profilia et avus (*la petite-fille et l'aïeul*).

2ª In lineâ collaterali æquali, tot sunt gradus quot uterque distat à communi stipite. In primo ergò gradu frater et soror, in secundo consobrinus et consobrina (*le cousin-germain et la cousine*).

3ª In lineâ collaterali inæquali tot sunt gradus, quot remotior distat à communi stipite.

Ne erres in computando, scribe nomina in duplici lineâ descendente, ponendo stipitem in summitate linearum, v. gr.,

Petrus (stipes)

Joannes.... frater.... Petretæ

Clotildis... consobrina.... Josephi, etc.

Joannes est in primo gradu cum Petretâ, et Clotildis filia Joannis, in secundo cum Josepho filio Petretæ [762, *c*].

(*a*) Jure naturali, saltem in primo gradu. De aliis disputant. Sed in nullo dispensatur.

(*b*) Jure canonico, excepto forsan in primo gradu, in quo jure naturali, juxtà multos. In hoc gradu saltem non dispensatur.

(*c*) Imò in primo, juxtà communem sententiam.

§ II.

De impedimento cognationis spiritualis.

837. Cognatio spiritualis matrimonium jure ecclesiastico dirimit :

1° Inter personam, etiam laicam, baptizantem, et personam baptizatam, istiusque patrem vel matrem.

2° Inter patrinum (si baptizatus sit) et filiolam, istiusque matrem.

3° Inter matrinam (si sit baptizata) et filiolum, istiusque patrem (*a*).

Et si, contrà Tridentini decretum, plures quàm duo suscipiant infantem, omnes impedimentum contrahunt. Si civitas : saltem qui primi tangunt infantem.

Quæ de confirmatione dicta sint, exceptis excipiendis (*b*). Ac proindè qui eumdem in baptismate et confirmatione suscepisset, impedimentum duplex contraxisset.

Impedimenta hæc locum non habent inter patrinum et matrinam.

Nota : Pater materve, qui, cùm nullus est alter qui possit baptizare, prolem suam legitimam baptizant in casu necessitatis (*c*) nullam cognationem spiritualem contrahunt, nec consequenter excidunt à jure petendi debitum.

Secùs, si proles sit illegitima.

Nota iterùm : Difficiliùs dispensatur in cognatione spirituali quàm in carnali, præcipuè ut filiolus matrinam ducat.

(a) Communior videtur opinio patrinum et matrinam infantis domi, in casu necessitatis (qui tunc inutiliter admittuntur) non solemniter baptizati, impedimentum non contrahere, ni forsan requisiti sint, inquit P. Ant. à Goritià.

Nec contrahunt eam patrinus et matrina dùm solùm supplentur in Ecclesià ceremoniæ. Sed si sub conditione iterùm baptizetur infans, dubium est impedimentum, ac proindè petenda foret dispensatio, casu eveniente.

Nec certò impedimentum contrahunt qui ex errore prolem suscipiunt illius cum quo impedimentum contrahere nolunt, nisi velint suscipere infantem, cujuslibet sit.

Nec probabiliùs illud contrahit procurator suscipientis, sed ipse suscipiens.

Valdè admodùm dubium videtur an requiratur in suscipientibus tactus physicus, ut impedimentum contrahant. Auctores gravissimi affirmant, et aiunt sic declarasse S. congregationem concilii Trid. interpretem. Cùm ergò patrinus matrinave baptizatum nec levassent, nec physicè tetigissent (non obsunt vestimenta) petenda foret tamen dispensatio. Cæterùm tactus et levatio fiunt tempore morali quo infans tingitur.

Nota : Ex Tridentino concluditur impedimentum non contrahere patrinos et matrinas, non advocatos, nec designatos à parentibus, ni à parocho pro ipsis sint advocati; nec qui à parentibus designati, à parocho non admitterentur.

(b) Sic disputant an suscipiens confirmandum debeat esse confirmatus ut contrahat cognationis impedimentum.

(c) Vel, juxtà plures, si ignoret suam esse prolem, aut Ecclesiam id prohibuisse.

§ III.

De impedimento cognationis legalis.

838. Venit hæc cognatio ex adoptione perfectâ, id est, ex adoptione per quam adoptatus traducitur in potestatem et familiam adoptantis, ut naturalis ejus filius (a).

Dirimit autem matrimonium

1° Inter personam adoptantem et personam adoptatam ejusque posteros (b).

2° Inter prolem legitimam adoptantis et personam adoptatam.

3° Inter adoptantem et conjugem personæ adoptatæ (c).

4° Inter personam adoptatam et conjugem adoptantis (d).

Nota : Impedimentum, quatenùs inter adoptivum et filios filiasve adoptantis, cessat quandò persona adoptata non est ampliùs in potestate adoptantis.

(*a*) Codex civilis Gallicanus ait adoptatum remansurum fore in familiâ suâ naturali. Sed videtur per adoptionem fieri traductionem moralem in familiam adoptantis. Vide totum titulum de adoptione.

(*b*) Juxtà plures, ad quartum gradum, juxtà alios, ad primum solum nisi saltem filii adoptati jam fuerint sub ejus potestate tempore adoptionis.

(*c*) Ejusque descendentes usquè ad quartum gradum. *Th. Pict.*

(*d*) Ejusque filios usquè ad quartum gradum, donec fiat vel illorum, vel adoptati emancipatio.

Nota : Codex addit impedimentum existere inter adoptatos ejusdem individui. (348).

ARTICULUS IV.

De impedimento criminis.

Juris ecclesiastici est, oriturque inter reos, vel ex homicidio solo, vel ex adulterio solo, vel ex homicidio et adulterio simul.

839. Ut impedimentum oriatur ex homicidio solo, requiritur ut mors conjugis alterutrius eorum qui volunt nubere

1° Realiter ab alterutro evenerit tanquàm causâ physicâ vel morali.

2° Ex communi conspiratione, aut saltem uno sciente et consentiente, agente altero. Sed non sufficeret ratihabitio.

3° Ex intentione matrimonium post occisionem inter se contrahendi (*a*).

Non ergò præcisè ex odio, aut ad libidini liberiùs vacandum.

(*a*) Sufficit, juxtà plures, ut unus hanc intentionem habeat. Imò Sylvius aliique post eum illam in nullo requirunt. Sed sententia ipsi opposita communis est, estque imprimis DD. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, etc., Collet et Dens qui eam amplectentes sequi timerent in praxi. Sat apparet fini legis conformis. Imò plures, P. Ant. à Goritià et Gervais, Theol. Pict. et Bailly volunt ut hæc intentio sit signis externis manifestata.

---

840. Ut autem ex adulterio solo oriatur impedimentum, requiritur

1° Ut adulterium sit consummatum (*a*).

2° Utrinque formale, seu, ut uterque sciat aut dubitet se adulterari, sed non necesse quòd uterque sit conjugatus (*b*).

3° Ut adulterium præcedat aut subsequatur (modò ante mortem conjugis) promissio facta ab uno et acceptata, saltem

aliquo signo (*c*) ab altero adultero, quæque non revocata sit antè adulterium, matrimonium, mortuâ comparte, inter se ineundi.

Et sufficit promissio ficta, modò vera appareat, conditionataque, etsi impossibilis aut turpis, repugnansve substantiæ matrimonii foret conditio, modò hinc ficta non appareat, nec conditio defuerit antè adulterium. (Tunc enim nulla esset promissio) (*d*).

Et à fortiori promissionis locum tenet matrimonium attentatum vivente comparte, modò, utrinque scienter consummatum, adulterium sit.

Nec requiritur promissio mutua, ut pro sponsalibus, modò fiat cum cognitione matrimonii existentis (*e*).

Si invalidum esset actuale matrimonium, impedimentum non contraheretur, quia copula non esset adulterium.

(*a*) Collet et alii æstimant, in præsenti casu sufficere ad adulterium vasis penetratio, sine seminis ad intra infusione, quia, inquiunt, verum est tunc adulterium, et aliundè eluderentur canones, quorum finis est, statuendo præsens impedimentum, avertere non solùm ab adulterio consummato, sed à quocumque.

Alii contrà sentiunt, et me judice melius, quia cùm jus statuit aliquid circà crimina, intelligendum est de criminibus consummatis, ni aliter dicat. Hìc autem non se explicat. Aliundè, equidem penetratio vasis habet speciem adulterii, sicut quilibet alii tactus; sed sine effusione seminis ad intrà non videtur esse propriè et strictè dictum adulterium; non enim est perfecta carnis divisio.

(*b*) Sed nùm necesse ut injuria fiat scienter ab utroque eidem matrimonio, seu, ut alteruter sciat complicem suum esse conjugatum? Disputant. In hoc casu rarissimo, ad cautelam petenda dispensatio.

(*c*) Quidam dubitant an taciturnitas non habenda sit pro acceptatione. Non videtur, quia res vergit in detrimentum tacentis; nemo autem censetur per silentium suum acceptare sibi nocentia. Consulendus foret Episcopus.

Juxtà communiorem, promissio et adulterium concurrere debent in eodem matrimonio. Si enim, vivente, v. gr., primâ uxore, Petrus Annæ matrimonium promiserit, et uxore defunctâ aliam ducat quâ vivente cum Annâ adulteretur, censetur per secundum matrimonium promissionem revocasse. Tutiùs adhùc peteretur dispensatio, si, defunctâ secundâ uxore, Petrus Annam ducere vellet.

(*d*) Promissionem conditionatam, ad inducendum impedimentum non sufficere, nisi ante mortem conjugis in absolutam transierit, docent communiter. Contrà tamen sentit Collet, quia conditio quæ non verificaretur antè mortem conjugis, movet ad adulterium. Tunc adhùc petenda dispensatio.

(*e*) In casu in quo promissio facta fuisset cum ignorantiâ matrimonii, in-

duceret tamen probabiliùs impedimentum, si matrimonio tandem cognito fieret adulterium, nisi antè crimen fuisset revocata; quia æquivalenter post matrimonium facta videtur. *Sanchez, Dens.*

---

841. Tandem ut ex homicidio et adulterio adunatis oriatur impedimentum, non requiritur nec communis conspiratio (*a*), nec promissio, sed sufficit

1° Ut adulterium præcedat mortem, etsi anteà homicida eam machinatus sit, etiam absque alterius consensu;

2° Ut sit in occisore suæ aut coadulteri compartis animus hunc coadulterum ducendi, et occidat ex hâc intentione, non verò, secundùm communem, ut libidini liberiùs vacet cum eâ, aut aliam ducat (*b*).

Nota : Impedimentum hoc, præsertìm cùm ex adulterio solo oritur, aliaque communiora, pastores exponant fidelibus, sed prudenter.

Et interrogandi circà illud pœnitentes nupturi cum viduis aut viduabus, et ipsi vidui et viduæ, quibuscum antè mortem conjugis adulterati sunt.

Imò pastor prudenter, et dispensationis facilitatem ostendendo, eos debet interrogare de quibus est rumor publicus super crimine quod impedimentum præsens inducit. Sic nonnulli heri, quorum vetulæ aut infirmæ uxores, non raró suspicantur de adulterio, cum ancillis præcipuè. Iis autem facilè promissiones matrimonii faciunt.

Cæterùm numquàm in foro externo, seu à datariâ, dispensatur ab impedimento ex homicidio proveniente; raró et ex gravissimis causis solùm, in interno à pœnitentiariâ. Quamobrem in indultis generalibus Episcoporum, semper, in concessione facultatis dispensandi ab impedimento criminis legitur hæc exceptio : *Neutro tamen machinante.*

(*a*) Juxtà P. Gab. Ant., P. Ant. à Goritià, Theol. Pict., etc., nec requiritur ut uterque adulter cognoscat adulterium. Contrà sentiunt Sanchez, etc. In hoc dubio petenda dispensatio.

(*a*) Imò sat communiter exigunt auctores ut occisor significet alteri intentionem suam. Sed hoc non necesse, inquit Theol. Pict. Ergò et dubio hoc occurrente, petenda dispensatio.

Tria hæc quæ impedimentum criminis constituunt, paucioribus contraho, ut memoriæ facilius mandentur, integrè tamen, casu eveniente relegenda.

1° Adulterium, cum promissione acceptatâ matrimonii; vel

2° Homicidium ex communi conspiratione, aut uno agente altero saltem consentiente, et cum animo saltem in uno contrahendi; vel

3° Homicidium sine communi conspiratione, sed cum adulterio, et animo in occisore matrimonium contrahendi cum coadultero.

ARTICULUS V.

De impedimento disparitatis cultûs.

842. Impedimentum hoc dirimens est jure ecclesiastico consuetudinario, inter non baptizatum, licèt catechumenum, et baptizatum, licèt hæreticum aut apostatam.

Jure verò expresso, solùm, sed graviter, prohibens inter hæreticos et catholicos.

Et cùm ex consuetudine aut dispensatione fit tale matrimonium, prohibetur dari benedictio celebrarique sacrificium. Imò extrà Ecclesiæ ambitum contrahunt (*a*).

(*a*) Negant perperàm non pauci dari posse in hoc casu dispensationem, cùm praxis sit contraria. Non tamen, nisi ex causis gravissimis dat eam S. P., et eam, inter cætera, clausulâ expressâ quòd proles in religione catholicâ educabitur.

Et eam dant Episcopi in casibus in quibus à lege Ecclesiæ generali dispensare possunt.

Jura, inquit Collet, excipiunt casum in quo hæreticus sincerè promittit abjurationem. Exciperem, si consuetudo contraria sit. Sed promissioni nec fiderem, et ad superiorem recurrerem. Imò, ni gravis causa obstet (secretò si opus) abjurationem præmittendam ducerem. In Germaniæ pluribus locis, non recurritur ad dispensationem.

Quàm illicita sit in contractu clausula, quòd filii in religione parentum, masculi patris, fœminæ matris educabuntur, nemo non videt.

ARTICULUS VI.

De impedimento vis seu metûs.

843. Jure naturali matrimonium dirimit vis physica, quæ libertatem omnem, et metus, qui rationis usum tollit.

Jure verò ecclesiastico, metus rationis usum relinquens si,

1° Sit absolutè vel respectivè gravis [177] (*a*).

2° Injustè, sive in se, sive ratione modi, incussus (*b*).

3° Incussus à causâ liberâ et extrinsecâ (*c*).

4° Ad extorquendum consensum, ità ut metus sit causa consensûs (*d*).

Ergò peccat qui cum metu tali nubit, saltem si intentionem habeat matrimonium consummandi (e) ni, ut ordinariè, bona eum fides excuset. In quo casu non est, matrimonio contracto, è bonâ fide educendus, inconsulto Episcopo (f); benè verò antè matrimonium. Nec, si aliqua de metu suspicio sit, sufficeret interrogatio quæ in ipsâ celebratione fieri præcipitur in pluribus Ritualibus, quia, ob adstantes, non sincera daretur responsio.

Nota : Non admitteretur in foro externo reclamatio ob metum, si diuturna et pacifica fuisset cohabitatio.

(a) Sed quid, si metus sit respectivè gravis solùm in particulari, seu respectivè ad personam quæ ex levibus graviter commovetur, licèt non sit de genere eorum qui solent sic commoveri? Videtur quòd æquè dirimeretur matrimonium. Sed tunc metûs gravitas difficilè forsan in foro externo probaretur.

De timore reverentiali disputant. Ast probabiliùs non dirimit matrimonium nisi adjunctas habeat graves minas verberum, indignationis, tractationis malæ; tunc dirimeret, etsi veniret solùm à fratre majori natu, qui familiam gubernaret.

Idem dic de precibus importunis.

Ut absolutè gravem habent metum carceris diuturni, amissionis statûs honorifici, bonorum aut eorum majoris partis. Sed non nisi prudentûm judicio hæc definiri queunt.

Cæterùm non refert an ipsi nupturo, an suis metus inferatur.

(b) Injustè in se incutitur, cùm incutiens jus non habet illum incutiendi; in modo autem cùm jus non habet tale malum minandi. Sic non injustè litem minatur pater stupratori filiæ suæ, si possit litem movere; injustè verò, si mortem.

Sed valeret matrimonium, si stuprator, ad iram parentum placandam, offerret se stupratam ducere. Plura vide, si opus sit, apud auctores.

(c) Sive ergò ab uno è contrahentibus, sive ab alio, ejus nomine; non à causâ intrinsecâ, ut morbo.

(d) Validè ergò nubit retentus etiam injustè, qui ut evadat, ducit filiam judicis iniqui, quia non ad hoc retinet eum, modò judex non offerat matrimonium hoc ut ab injustitiâ desistat.

(e) Si haberet intentionem contrariam, non peccaret ullatenùs, inquiunt aliqui; mortaliter verò, si haberet, et solùm venialiter, si fictè consentiret. Sed nùm solùm veniale est, exceptâ bonâ fide, mentiri in re gravi, et subministrare materiam nullam sacramento, et forsan totum illud fictè efficere?

(f) Ordinariè consulendum metum passo ut, eo deposito, consensum præbeat. Si nolit aut non possit metum deponere nec illum probare, vivat cum comparte putativo sicut non nuptus.

ARTICULUS VII

De impedimento ligaminis.

844. LIGAMEN est vinculum prioris matrimonii nondùm dissoluti. Juris divini positivi est.

Ergò antequàm qui nuptus fuit ad secundas nuptias transvolet, de morte conjugis certitudinem moralem habere debet (*a*).

Sed quid, si sine certitudine hâc matrimonium initum sit (*b*), vel, jam inito, dubium superveniat? Res, inquisitione diligenti factâ, committenda viro prudenti, confessario, v. gr., quo dicente spernendum esse dubium, spernetur. Si verò deponi non possit, vel conjux uterque dubitat, vel unus solùm.

Si uterque : abstineant ab actibus qui non sunt liciti, nisi conjugibus.

Si unus solùm, non dubitanti; ex lege unicâ *Dominus de secundis nuptiis*, in hoc fundatâ quòd minus malum sit exponere se periculo adulterii quàm injustitiam committere ergà conjugem (*c*).

Quòd si dubitans dubium suum alteri aperuerit (quod facere potest et debet si indè timenda non sint mala graviora), (rarò non timenda) et hic pariter dubitet, aut dubitare debeat, vivant, ut modò dictum est (*d*).

Et hæc dicta sint de dubiis aliis circà matrimoniorum validitatem exurgentibus [877, *f*].

(*a*) Hæc moralis certitudo, ni 100 annos natus sit absens, non haberetur ex eo quòd infirmitatem habebat ex quâ, si longa sit, pauci non moriuntur; requiritur ergò extractum authenticum ex registris mortuorum loci in quo defunctus putatur, quod extractum recognitum sit à superiore, Episcopo, etc.. loci, si in alienâ diœcesi, et à proprio Episcopo : quæ et observari debent cum extractum à remoto etiam ejusdem diœcesis loco venit, nisi dantis illud manus cognoscatur. Saltem mittendæ litteræ.

Si nullus existat sepulturæ actus, duo testes probati sufficiunt, etsi, inquiunt aliqui, mortis testes non fuerint, sed talem mortuum esse à personis loci tantùm didicerint. Alii volunt cum istis duobus testem oculatum. Tàm facilè invenirentur duo falsi testes, qui et se dicerent oculatos, ut sæpè, non nisi consulto Episcopo, hic procedendum sit.

Pro militibus sufficit testimonium capitanei, vel si obierit, alterius duo-

toris, etiam inferioris, aut eleemosynarii, quod recognitum sit (*légalisé*) à copiarum recensioni præposito (*commissaire des guerres*), et ab Episcopo loci in quo celebrandum est matrimonium. Sed non sufficit attestatio militem post pugnam non apparuisse.

Ergò cùm in registris inscribuntur mortui incogniti, describenda sunt omnia indicia ex quibus dignosci possint.

(*b*) Putant aliqui non valere hoc matrimonium, quia dubitans insufficientem præbet consensum. Sed plures contrà sentiunt, si reverà conjux mortuus sit. Conditionatè enim saltem consentit. Attamen tutiùs renovaretur consensus, acquisitâ mortis certitudine.

(*c*) Supponitur dubitantem rationes alias non habere quæ eum excusent ab obligatione reddendi debitum; tunc enim, juxtà alios contrà alios, non potest reddere, quia fugere debet periculum fornicationis, cùm possit. Quod sat verum apparet. Facilè tamen non crederem cum Collet bimestre ab Ecclesiâ concessum rationem esse denegandi, si dubitans de ingressu in religionem non cogitet, aut ad eam non sit aptus.

Ast principium quòd dubitans reddere debeat bonâ fide petenti, nullamne aliam patitur exceptionem? Nullam, inquiunt Sanchez, Collet et alii communiter, quia Lucius III, in dicto capite *Dominus* generaliter loquitur. Alii tamen contrà, et videtur meritò, pro casu nempè in quo rationes pro matrimonii invaliditate militantes, multùm superarent motiva in contrarium; quia, inquiunt, periculum valdè verisimile fornicationis prævalet periculo remotiori injustitiæ quod esset in denegatione debiti. Imò, addunt Billuart et alii, reddi non posse debitum in dubio æquali, nisi cùm ex denegatione timentur ex parte petentis mala graviora, v. gr., blasphemiæ, pollutiones, etc. Sicque volunt esse intelligendum caput *Dominus*.

(*d*) Quidam contrà, quia dubitans dubitando non perdidit jus probabile. Sed, ad minùs, exigerem cum Sylvio, Billuart, Collet, quòd ex denegatione timeantur mala gravia, ut modò dictum est; et fateor hæc nunquàm mihi visa concordare cum principiis, mala enim hæc timenda non faciunt jus. Porrò petens in dubio habetne jus petendi?

ARTICULUS VIII.

De impedimento publicæ honestatis.

845. Honestas publica est quædam propinquitas orta ex sponsalibus validis (*a*), etiam justè dissolutis; aut ex matrimonio rato, sed non consummato, etsi invalido, modò non defectu consensûs (*b*).

In priori casu (ni sponsalibus adjecta sit conditio honesta nondùm impleta), exurgit inter sponsum consanguineasque, etiam illegitimas, sponsæ, et vicissìm, usquè ad primum gradum lineæ sive rectæ, sive collateralis (*c*), impedimentum dirimens.

In posteriori verò, usquè ad quartum gradum inclusivè (*d*).

Probabiliùs impedimentum hoc non extenditur ad affines.

(a) Non conveniunt an sponsalia intùs invalida, sed valida exteriùs, producant hanc affinitatem. Probabilius eam non pariunt; quia ex Trid. ses. 24 cap. 3, non oritur ex sponsalibus quâcumque ratione invalidis. Sed quarè tunc non peteretur dispensatio?

Nec etiam conveniunt an illam pariant sponsalia merè civilia seu clandestina, in locis ubi ecclesiastica præcipiuntur. In praxi tenenda sententia affirmans.

(b) Deficitne consensus in matrimoniis clandestinis? Disputant. In dubio tutior pars est eligenda.

(c) Ergò solùm inter sponsum, et matrem, filiamve aut sororem sponsæ, et vicissim.

Undè qui fornicatus esset cum sorore suæ sponsæ, nec illam, nec istam ducere posset. Non illam ob præsens impedimentum, non sponsam ob affinitatem ex copulâ illicitâ, ut videbitur.

In dubio an valida sint sponsalia, ut dubium habendum videtur impedimentum.

(d) Juxtà Sanchez, Theol. Pictaviensem et alios communiter contrà Boucinam et alios quosdam, matrimonium nullum ob impedimentum honestatis publicæ, non irritaret matrimonium quod fieret cum priori sponsâ, si prius non fuisset consummatum. Recurrendum foret ad ordinarium.

ARTICULUS IX.

De impedimento amentiæ.

846. Juris naturalis est impedimentum hoc.

Sed intelligitur de amentiâ perpetuâ. Attamen amentes qui lucida habent intervalla; item mente debiles, etsi peccati mortalis, ac proindè matrimonii contrahendi capaces; non jungantur inconsulto Episcopo, quia proles non educaretur.

Insano nihilominùs, lucida habenti intervalla, faciliùs quàm fatuæ matrimonium permitteretur; sed gravis semper requireretur causa, v. gr., prolis legitimatio.

ARTICULUS X.

De impedimento affinitatis.

847. Affinitas, quæ idem ac confinitas, seu finium propinquitas, indè nomen habet quòd cùm duo fiunt una caro, sanguis unius attingit sanguinem alterius.

Undè nulla esse potest affinitas inter duas personas quarum neutra habuit copulam completam in vase debito.

Undè iterùm affinitas non parit affinitatem; quia cùm

quis per copulam completam attingit sanguinem alterius, non attingit sanguinem illius affinium, sed solùm ejus consanguineorum, quorum sanguis idem est ac sanguis illius cum quo commiscetur (*a*).

Ergò affinitas oritur solùm inter personam quæ copulam habuit completam (per seminationem nempè intra vas) (*b*), et consanguineos illius personæ cum quâ habita est.

Ac proindè affinitas definiri potest : propinquitas duarum personarum, quarum una cum consanguineo vel consanguineâ alterius habuit copulam carnalem completam, et vice versâ, undè consanguinei unius fiunt affines alteri.

Affinitas per se gradus non habet, sed solùm ratione consanguinitatis, ità ut cùm quis habet cum aliâ personâ copulam, fiat affinis consanguineis illius personæ in eodem gradu quo sunt illi consanguinei.

Sicut ergò pater et mater gradum non faciunt in consanguinitate, sed sunt stipis solùm, ità in affinitate gradum non faciunt qui copulam habent. Non fiunt inter se affines, sed affinitatis sunt principium (*c*).

(*a*) Hinc si Petrus duxit Annam, filius Petri quem ex aliâ uxore habuisset, potest ducere Annæ sororem, aut filiam ex altero procreatam.

Item si Maria nubat fratri Petri, fit affinis quidem cum Petro aliisque ejus consanguineis, sed si marito defuncto nubat cum Paulo, Paulus non fit cum istis affinis, sed solùm cum consanguineis Annæ.

(*b*) Ex quo meritò concluditur non contrahi affinitatem cùm copula, etiam completa, habetur in vase indebito, vel etiam quandò vir vas non penetrat, aut antè seminationem se retrahit, quia tunc nulla est sanguinum commixtio.

Non tamen indè concludendum nullam contrahi affinitatem, si mulier ex suâ parte non seminaret. Omissâ enim hoc sciendi difficultate, sufficit ut copula habita sit modo apto ad generationem. Imò in foro externo copula semper præsumitur completa, si probetur quòd habita fuerit.

Sed quid, si non fuerit penetratio in vas mulieris, et tamen injectum sit semen in illud, sive vi majori ejaculationis, sive per attractionem matricis? Probabiliùs mihi videtur contrahi tunc affinitatem, quia ibi sanguinis est commixtio, cùm indè aliquandò mulieres concipiant. Sed cùm id non eveniat ordinariè, ni constet talem seminis effusionem locum habuisse, non contrahitur affinitas.

Cæterùm contrahitur sive voluntariè habita sit copula, sive involuntariè, ut si mulier fuerit vi oppressa, aut dormiens, ebria, insaniens; quia fuit sanguinum commixtio et facti sunt una caro.

(*c*) Ergò vir affinis evadit in primo gradu cum matre, sorore, et filiâ illius cum quâ copulam habet. In secundo verò cum ejus aviâ, profiliâ, amitâ, consobrinâ, germanâ, et vicissim.

848. Affinitas in lineâ rectâ in quocumque gradu matrimonium ineundum, jure saltem ecclesiastico dirimit (*a*); in lineâ verò collaterali, usquè ad quartum gradum, cùm venit ex copulâ licitâ (*b*).

Et usquè ad secundum inclusivè, si veniat ex copulâ illicitâ.

Hìc, sicut in consanguinitate, gradus remotior trahit ad se propinquiorem.

(*a*) Imò naturali in lineà rectâ, juxtà plures, si ex copulâ licitâ proveniat. Saltem tunc nunquàm dispensat Ecclesia ad contrahendum. Sed impedimentum videtur dispensabile, etiam in primo gradu, si veniat ex copulâ illicitâ. *Collet.*

(*b*) Imò ex matrimonio bonâ fide invalido, si consummatum sit. Sed si ex unâ saltem parte non sit bona fides, impedimentum non videtur extendere se ultrà secundum gradum, quia non venit ex copulâ licitâ. Ast tunc certò contrahitur impedimentum publicæ honestatis.

---

849. Affinitas matrimonio jam contracto superveniens, cùm scilicet unus conjugum copulam completam habet cum alterius consanguineo aut consanguineâ in primo vel secundo gradu, impedit solùm ne reus debitum petat, antequàm dispensetur; sed semper reddere tenetur, ni alter itidem peccaverit, aut peccato conjugis consenserit.

Sed Nota 1° pœnam privationis juris debitum petendi non incurrere qui invincibiliter ignorat se peccare cum conjugis consanguineo aut consanguineâ (*a*); nec mulierem oppressam, ni, etsi ex metu gravi, consentiat.

Nec à fortiori qui cum propriis consanguineis peccat, quia tunc incestus quidem committitur, sed nulla cum proprio conjuge contrahitur affinitas.

Nota 2° : Qui ob supervenientem affinitatem à jure petendi excidit, non est de amissione juris sui monendus, nisi obtentâ facultate, dispensetur (*b*).

(*a*) Aut id scit equidem, sed ignorat invincibiliter legem Ecclesiæ hoc vetantem. *Sanchez, et P. Ant. à Goritiâ*, qui hoc concludunt ex cap. *Si quis* 1°, *de eo qui cognovit*, in quo legitur *scienter*. Sed multi contrà sentiunt. Quidquid sit, qui peccat cum affine scit se peccare graviùs.

Nonne autem hoc sufficit ut legem Ecclesiæ quæ facit ut talis copula sit incestuosa implicitè saltem cognoscere dicatur?

Fatentur omnes pœnam hanc incurri ab illam ignorante.

(b) Imò nunquàm monendus, inquiunt nonnulli, si prævideatur relapsus. Adderem : saltem si in futurum à crimine non possit deterreri; finis enim pœnæ est ut non peccetur.

ARTICULUS XI.

De impedimento clandestinitatis.

850. IMPEDIMENTUM hoc, quatenùs dirimens (nam semper fuit graviter prohibens) juris est ecclesiastici novi, à Concilio Trid. (Ses. 24, cap. 1°) introducti, nec bona fides circà falsum parochum ab invaliditate matrimonii eximeret, nisi parochus hic haberet titulum coloratum cum errore communi; aut probabiliùs nisi contrahentes habeantur publicè ut parochiani illius coràm quo contrahunt, etsi posteà contrarium detegeretur (a).

Nec sponsalium rationem habet matrimonium clandestinum.

Adest autem clandestinitas cùm matrimonium contrahitur sine physicâ et simul concurrente præsentiâ proprii parochi et testium, qui, quamvis coacti et repugnantes, morali tamen et humano modo, non purè physicè assistant, quia et parochi et testium præsentia requiritur solùm ut testificari possint (b).

Undè parochi, etiam probabiliùs excommunicati denunciati, vel etiam non sacerdotis præsentia sufficit, nisi titulum amiserit, quia assistens non facit ullum jurisdictionis actum, sed actum testis principalis et *qualificati* (c).

Testes verò quicumque, in rigore, sufficiunt, modò testificari possint et sint ad minùs duo (d).

(a) Hic applicanda principia enunciata ubi de legibus.

Ergò 1° valida sunt, etiam catholicorum matrimonia, celebrata sine parochi et testium præsentiâ, in parochiis in quibus lex Tridentina non fuit publicata, aut aliter, saltem usu, recepta. Nam talis fuit mens Synodi ut lex sua non obligaret nisi post triginta dies à die primæ publicationis. (Ses. 24, cap. 1° de matrimonio.)

Loca autem ubi decretum Trid. publicatum non fuit nec usu unquàm receptum, sunt, juxtà varios, Anglia, Scotia, Hybernia, Borussia, Saxonia, Dania, Suevia, cæteræque regiones septentrionales in quibus, tempore Concilii dominabatur hæresis. Addere credo posse acatholicas Helvetiæ pro-

vincias (*les cantons calvinistes ou zuingliens*). Imò lex illa publicari potuit in quibusdam aliquarum Germaniæ urbium parochiis et non in cæteris.

Undè duo incolæ loci in quo publicatum est Trid. decretum [118] transferentes se bonâ fide in locum in quo non fuit publicatum, validè, acquisito saltem, ut volunt plures, domicilio, ibi clandestinè nuberent. Secùs si hùc transtulissent se animo clandestinè contrahendi, nec jam domicilium acquisierint. Attamen etiam tunc non forent separandi, sed inducendi ad contrahendum juxtà legem Trid.

Sed quid, si se transtulissent animo clandestinè nubendi, sed cum intentione ibi domicilium figendi? Juxtà graves, et S. congregationis decisionem, teste Benedicto XIV, in infrà citandâ instructione pastorali, validè ibi clandestinè contraherent, quia non fraus, sed jus habitationis eis patrocinatur. Malo equidem fine ibi fixerunt domicilium; sed fixerunt, et sunt verè loci illius incolæ, etsi, inquiunt Sanchez et alii, domicilium nondùm acquisierint. *Billuart*, etc.

Et vagi ibi validè clandestinè contraherent, exceptâ fraude, *idem*, *etc*. Sed invalidè peregrini, nisi nubant incolis loci, quia lex Trid. personalis est pro iis qui domicilium non fixerunt, ex declaratione S. congregationis quam confirmavit Urbanus VIII in Brevi ad Archiepiscopum Coloniensem 14 Augusti 1627.

Ast è contrà, juxtà Suarez, invalidè clandestinè nuberet exiens è loco ubi publicata non est lex Trid. in locum ubi publicata fuit, quia tenetur legibus localibus. Vide ubi de legibus. Non mirum enim, si hìc non casibus sibi concordent theologi, cùm nec in aliis legibus localibus. Undè in his et similibus ubi dubium remaneret, non forent separandi conjuges, sed inducendi ad contrahendum denuò.

Nota : Ex declaratione Benedicti XIV 23 decemb. 1721, etsi in Belgio fœderato publicatum sit Trid., valent ibi matrimonia clandestina hæreticorum inter se aut cum catholicis. Sed hoc est privilegium illis locis à S. P. concessum. Et benè sentire non videntur multi dicentes S. P. declarasse, quia putabat Trid. in Belgio fœderato non fuisse publicatum; nam hoc simpliciter dixisset, et omne dubium fuisset sublatum.

Ergò 2°, valent matrimonia catholicorum ubi adest impossibilitas moralis habendi parochum, ut in Galliâ tempore persecutionis sæculi XVIII desinentis. Circà quod consule indultum Pii VII, et instructionem E. Cardinalis legati à latere Caprara datam Parisiis mense Aprili 1803. Videbis multa tunc apud nos sine parocho legitimo celebrata matrimonia, non ex privilegio valida esse, sed ob impossibilitatem; ac proindè errasse qui generaliter docuerunt valida fuisse matrimonia ab incipiente persecutione usque ad concordatum coràm intrusis celebrata. Periodi enim fuerunt in quibus, saltem in locis pluribus, sacerdotem legitimè deputatum, imò parochum proprium habendi non erat maxima difficultas.

Et hæc secunda conclusio applicetur matrimoniis catholicorum, ubi ratione hæresis nec parochus nec ab eo aut alio superiore ordinario deputatus haberi potest, modò fiant coràm duobus saltem testibus. Sed, juxtà Collet et Coll. Andeg., ii tenentur sistere se coràm sacerdote etiam non deputato, sive sæculari sive regulari si quem habere possint, quia legem Trid. quantùm possunt, servare tenentur. Et quia Ecclesia censetur in hoc casu concessisse cuilibet sacerdoti facultatem his matrimoniis benedicendi. Prior ratio valet quidem si agatur de licitate; sed non video cur certò valeret si agatur de validitate. Posterior ratio non convincit.

Nota : Mortaliter peccarent catholici qui matrimonio jam contracto, aut ad contrahendùm sisterent se coràm ministro hæretico, ad effectus civiles obtinendos, nisi minister hìc adsit unicè ut minister civilis.

Ast alibi quàm in Belgio fœderato et ubi Trid. decretum publicatum fuit, valentne matrimonia hæreticorum coràm suis ministellis? vel hi hæretici liberum habent sectæ suæ exercitium, vel non. Si priùs, existimant multi ea matrimonia valere, tacitè dispensante Ecclesiâ ob gravia quæ aliter sequerentur incommoda, et quia non est praxis quòd hi de novo contrahant, si convertantur, filiique eorum ad ordines sine dispensatione admittuntur. Sed tutior praxis contraria.

Si autem non habeant liberum suæ sectæ exercitium, ea matrimonia videntur invalida. Cùm tamen non pauci ea ut valida habeant, non separentur conjuges, sed tutiùs renovent consensum.

Sed nota multos qui pro horum omnium matrimoniorum validitate stant, ad minùs de eâ dubitare, cùm agitur de matrimoniis hæreticorum cum catholicis, quia erga catholicos minùs benigna Ecclesia, et ea invalida declarasse sacram congregationem affirmat Reiffenstuel.

(*b*) Valeret ergò matrimonium, quamvis parochus aut testes affectarent non videre nec audire, etsi non fuissent accersiti sed fraudulenter inducti, modò tamen contrahentes intendant eorum præsentiam, moneant eos ob quid fuerint accersiti, et isti saltem viderint et audiverint. Vide varias super hunc casum opiniones, libro 13, de Synodo diœcesanâ, cap. 23.

(*c*) In sententiâ tamen eorum qui volunt sacerdotem esse ministrum sacramenti, matrimonium coràm parocho non sacerdote celebratum, non valeret ut sacramentum. Quidquid sit, parochus non sacerdos, sacerdotem deputare debet, et eò magis quòd non omninò certum sit parochum assistentem non debere esse sacerdotem.

Et negat Gibbert excommunicatum denunciatum posse validè assistere; sed videtur immeritò ob rationes allatas.

(*d*) Statuta Bisuntina anni 1748 requirunt quatuor testes fide dignos, habentes, quantùm fieri potest, domicilium in loco ubi celebratur matrimonium, et cognoscentes ætatem, qualitates et domicilium contrahentium, quique actui celebrationis matrimonii subscribere possint. Sed hæc addicitatem solùm.

---

851. Nomine parochi, cujus præsentia ad validitatem matrimonii requiritur, venit non solùm parochus, sed Episcopus, ejusque vicarius generalis et horum vices gerens, qualis administrator parochiæ, qualis delegatus (*a*).

Sed delegatio expressa sit, ejusque, etsi non scripto datæ, fiat mentio in actu celebrationis matrimonii.

Et ordo postulat ut suorum, extrà parochiam suam matrimonio non assistat parochus sine debitâ licentiâ sive parochi, sive ordinarii. Valeret tamen sine hâc licentiâ matrimonium.

(*a*) Juxtà Col. And. post Barbosa, etc., simplex vicarius potest et matrimoniis assistere et pro his subdelegare (intelligerem, prò casu particulari);

quia est ad universalitatem causarum delegatus. Attamen vicarius qui potestates tales non habet in suâ chartâ approbationis expressas, consultiùs, in parochiam adveniens, eas petat à parocho.

Hæc à parocho prolata: *Curam habe parochiæ meæ per meam absentiam*, non videntur indicare delegationem ad matrimoniis assistendum, nisi sic; ex circumstantiis, v. gr., ex futurâ longâ absentiâ dijudicari possit. Tutiùs omnia exprimantur.

852. Quisnam autem sit proprius parochus coràm quo nubendum, non declarant Patres Trid. Hæc, inter varias eâ de re opiniones, ut certa tradi possunt post Benedictum XIV, in suâ 33 institutione pastorali, dùm esset adhùc cardinalis archiepiscopus Bononiensis, melioris notæ theologos et sacræ congregationis decreta.

Parochus proprius est parochus domicilii actualis contrahentium, sive sit domicilium propriè dictum, sive quasi domicilium (*a*). Non ergò parochus loci in quo contrahentes commorantur ad tempus, recreationis, v. gr., aut ruralia exercendi causâ (*b*).

Igitur 1° Si contrahentes sint è diversâ parochiâ, sufficit ut alterutrius parochus assistat; nam ambos non requirit Trid. (*c*).

Ergò 2° Duo habens domicilia in quibus, prudentûm judicio, æqualiter, moraliter loquendo commoratur, coràm utriuslibet parocho nubere potest.

Si tamen partem anni in uno, et partem agat in altero, nubat ubi tunc commoratur (*d*).

Ergò 3° Si contrahentes in alium locum transferant domicilium, ut ibi, à molestiis, v. gr., parentum liberati nubant, validè nubunt, si verè et animo ibi habitandi, quamvis solùm quasi domicilium ibi acquirerent; fiunt enim verè parocho illius loci subjecti (*e*).

Secùs, si solùm ut ibi nubant, quia tunc in fraudem legis agunt [850, *a*].

Ergò 4° Vagi, seu qui domicilium nullum habent, quia priùs reliquerunt sine animo (secùs peregrini) ad illud revertendi, nec alicubi adhùc sedem fixerunt, nubunt validè ubicumque, quia non habent nisi parochum loci ubi sunt (*f*). Ex declaratione S. Cong.

Ergò 5° Militares pro parocho habent parochum loci in quo præsidium agunt (*g*).

(*a*) Qui enim quasi domicilium habent in unâ parochiâ, sunt illius parochiæ parocho subjecti, in eâ fungi debent officio paschali, etc.

Sed quinam quasi domicilium censentur habere? Qui, juxtà multos, longo tempore vel majori anni parte in loco aliquo commorantur, cum intentione ad suos, vel aliò revertendi, quales studentes in universitatibus, famuli, operarii plures, tyrones opificum.

Sed hæc variant secundum statuta et consuetudines locorum. Sic, Romæ, famuli et ancillæ decedentes qui habent domum et familiam in aliâ parochiâ, ad illam pro funebribus pertinent; et æstimat Benedictus XIV, in pastorali citatâ, hæc dicenda esse de contrahentibus matrimonium.

Et idem ex decreto cleri Romani dicit observari pro matrimoniis degentium in seminario collegiove, puellarumque in monasteriis educatarum, aut in custodiam traditarum.

Verùm quasi domicilium habent in xenodochiis qui in eis ex charitate servantur, non qui solo tempore morbi transeuntis, saltem si brevis.

Et in carceribus qui in eis detinentur in pœnam scelerum; secùs si ad custodiam donec judicentur. Benedictus XIV, *ibid.*

Sed iterùm : quale tempus requiritur ad domicilium aut quasi domicilium? Sunt qui medium annum requirunt: sed alii, Sylvius, Billuart, Dens, quorum sententia probabilior videtur, nullum tempus assignant, voluntque sufficere habitationem corporalem, modò cum animo verè commorandi, saltem donec occasio, ratio aut voluntas mutandi habeatur. Sic censet Fagnanus. Benedictus XIV ait : *Si per aliquod temporis spatium commorentur.*

Ast cùm in his omnibus sæpè remaneat dubium, licentia ab altero parocho petenda. Convenit in Galliâ ibi ecclesiasticè nubere ubi matrimonium fit civiliter. Vide ergò circà domicilium, titulum III, lib. 1 cod. civ., et circà matrimonii celebrationem, art. 74, ubi sic : « Le mariage sera célébré » dans la commune où l'un des deux époux aura son domicile. Le domicile, » quant au mariage, s'établira par six mois d'habitation dans la même com» mune. »

Jam sic olìm jus civile, quandò in eâdem diœcesi facta fuerat domicilii mutatio. Sed si ab unâ in aliam, annus requirebatur.

Ex statuto Bisuntino anni 1766, si habitatio minor erat sex mensibus, aut anno (si ab alienâ diœcesi facta fuerat transmigratio), in actuali domicilio celebrari debebat matrimonium, sed factis in immediatè præcedenti domicilio sex mensium aut unius anni proclamationibus, et obtentâ Episcopi, si ex alienâ diœcesi, aut parochi, si in eâdem facta fuerit migratio, illius domicilii licentiâ. Sed hæc solùm ad licitatem probabiliùs, si sufficiens fuerit actuale domicilium; servanda tamen etiam nunc.

Nota : Licentia parochi extranei data censetur per attestationem proclamationis bannorum.

Nota iterùm : Si incautè factum fuerit matrimonium à parocho non sufficientis domicilii sine alterius parochi licentiâ, sponsi tamen non sunt separandi, sed inducendi ad renovandum consensum.

Hucusquè dictum est de domicilio facti, quod est domicilium majorum, sed aliud, quod dicitur domicilium juris, est pro minoribus, domicilium nempè patris, matris, tutorisve.

Porrò « le mineur non émancipé aura son domicile chez ses père et mère, » ou tuteur. Le majeur interdit, chez son curateur. » (408).

Tutò tamen minores nuberent ecclesiasticè coràm parocho domicilii facti, sed factis proclamationibus, et in domicilio juris, obtentàque parochi illius loci licentià. *Novum Manuale Dinantinum.* Ideò tutiùs observatur, quòd sint auctores (Coll. Andeg., Bailly), qui à regulà generali minores excipiant.

(*b*) Sic decidit sacra Congregatio, et de eo qui rei familiaris causà agrum concedit.

(*c*) Ex usu tamen matrimonium fit ubiquè ferè coràm parocho sponsæ. Usus hìc retinendus, sed non necessariò ad validitatem matrimonii. Tutiùs obtinetur alterius parochi licentia.

(*d*) Id convenit saltem; sed tutiùs adhùc obtinenda, etc.

Si autem, moraliter loquendo, non maneat æqualiter in utroque domicilio, nubere debet coràm parocho loci in quo habet præcipuam habitationem, ubi satisfacit debito paschali, ubi actus civiles exercet.

Si domus habitationis habitualis sita sit in territorio duplicis parochiæ, janua principalis designat parochum. Si duæ sint januæ principales, nubendum ubi parochialia aguntur, et si sit contestatio, obtinenda est alterutrius parochi licentia, aut recurrendum ad Episcopum.

(*e*) Sic non semel decrevit sacra Congregatio, teste Fagnano, ait Benedictus XIV in suprà dictà instructione; sed supponebat domicilium aut quasi domicilium antè nuptias fuisse assecutum. Nam sponsi diù ibi morati fuerant antè matrimonium, neque indè posteà discesserant ut primam sedem ac domicilium repeterent. Addit sic etiam declarasse sacram Congregationem cùm illius esset secretarius.

(*f*) Van-Espen tamen et alii volunt quòd si unus tantùm sponsorum vagus sit matrimonium fiat coràm parocho non vagi, ut, quantùm possibile, servetur decretum Trident. Sed alii, quibus suffragatur Benedictus XIV, contrarium censent, et videtur meritò, quia vagus nullam habens parochiam, parocho loci ubi est uti potest ut proprio. Peterem licentiam parochi non vagi.

Antequàm vagorum banna proclamentur, sequentia ab eis exigenda instrumenta publica ritè ab Episcopo loci eorum et loci ubi nubunt recognita (*légalisés*) :

1° De eorum baptismo et ætate;

2° De consensu patris, etc., aut de eorum morte, et tunc de consensu tutoris familiæve, etc., dato aut postulato secundùm leges;

3° De nondùm contracto matrimonio, aut morte conjugis, hæcque per idoneos testes, per parochum originis, per eos apud quos manserunt;

4° De eorum libertate ab armorum gestatione;

5° De licentià parochi originis aut Episcopi, si saltem in loco originis diù manserint aut domicilii juris, si quod habeant. Hæc saltem tutiora.

Quæ omnia in registris inscribantur serventurque, excepto extracto è registris baptismi, quod vago reddi potest. Sufficit ut ei detur extractum ex registris matrimonii. Et eodem ferè modo agendum cum alieno diœcesano.

Nota : Vagi sunt mendici plures, opifices, artifices, chirurgi vagantes (*charlatans*), et qui domicilium reliquerunt, inquiunt Sanchez et P. Ant. à Gerità, necdùm alicubi fixerunt, etsi pro aliquo loco jam se determinàrint, quia carent domicilio.

Porrò, quamvis vagi ubique validè nubant, graviter tamen peccaret pa-

rochus qui eorum matrimonio interesset, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerit et rem ad ordinarium detulerit, ab eoque licentiam obtinuerit. Vide Trid., sessione 27, cap. 7 de matrimonio.

Episcopi vagos aliquandò dispensant à domicilio.

(g) A militaribus exigenda suprà dicta instrumenta, et si non judicentur habere sufficiens domicilium, obtinendus est consensus parochi domicilii præcedentis, ni Episcopus aliter censeat.

Obtinenda insuper omnis necessaria nunc superiorum militarium licentia.

APPENDIX

De matrimoniis filiorum-familias.

853. Hæc matrimonia invalida sunt quoad effectus civiles, si fiant sine consensu parentum, saltem legitimè requisito; sed valida quoàd vinculum et sacramentum, etsi graviter ex genere suo illicita.

Consensum ergò parentum petere, in quâcumque ætate debent filii-familiâs [333, *c*].

Pro civili, vide cap. 1, tit. 5, lib. 1 cod. civil.

ARTICULUS XII

De impedimento impotentiæ.

Implorato ardenter Dei et immaculatæ Virginis auxilio, præmissâque omni venereo sensui displicentiâ, sequentia lege, ampliores tractatus, doctiores et maximè Episcopum, in casibus extraordinariis consulturus.

854. Impotentia est incapacitas habendi copulam consummatam, id est aptam ad generationem, seu est inhabilitas ad coïtum naturalem et de se prolificum; seu tandem est defectus impediens penetrationem sufficientem vasis naturalis, vel in eo seminationem, ità ut vir et mulier effici nequeant una caro [361, *a*] (*a*).

Ergò impotens non est mulier quæ semen viri recipere potest, etsi illud retinere nequeat; aut ipsa non seminet, aut aliundè sterilis sit, vel parere nequeat.

Nec senes ad generationem inepti, modò apti sint ad copulam completam.

Impotentia venire potest ab intrinseco et ab extrinseco (*b*);

et utralibet est vel antecedens matrimonio, vel superveniens.

Item vel absoluta est, seu relatè ad omnes, vel solùm respectiva, seu relatè ad aliquam vel aliquas personas; vel perpetua, quæ nullo medio naturali licito tolli potest, vel temporalis, quæ è contrà.

(*a*) Non est prolificum in spadonibus si quod habeant. Sed potest esse de se prolificum, et effectus ejus impediri per accidens, ut si careat aliquâ qualitate non essentiali, sed accidentali. *P. Gab. Ant.*.

(*b*) Si ab intrinseco; in jure vocatur frigiditas, etsi solus vir dici possit propriè frigidus.

Est autem ex parte viri impotentia ab intrinseco, si præ debilitate in vas mulieris penetrare nequeat, aut penetrans, in eo seminare non possit; aut si, præ nimio calore, semen antè penetrationem effundat totaliter, ut evenit aliquandò in iis quos sola cogitatio actûs polluit. Sed, ut non sit impotentia sufficit ut parva seminis quantitas intrà vas infundatur.

Item si vir duobus careat testiculis, aut habeat ità attritos ut, etc., aut membrum virile habeat ità insufficiens, ut nequidem parùm et sufficienter ingrediatur, ità ut nec parva seminis quantitas eat in matricem. Notant medici sufficere parvam penetrationem, v. gr., unius pollicis et forsan sæpè minorem, imò ferè nullam, modò semen saltem partialiter intùs ejaculetur, quia tunc pervenire potest ad uterum seu matricem, etsi sat distantem, quæ aliundè fortè accedit et vi magnâ attractivâ gaudet. Consulendi, in casibus dubiis hìc sat frequentibus, medici probi qui fortè inspectionem necessariam judicabunt.

Ex parte mulieris, impotentia ab intrinseco ex solâ venit arctitudine, quæ tanta sit ut non sufficienter vir ingredi possit.

Impotentia ab extrinseco veniens, ordinariè est ex maleficio, cui tamen raro credendum, si forsan nunc aliquandò. Etsi enim non videatur ex quâ causâ sit impotentia, non ideò venit à dæmone; et antequàm fiant exorcismi, consulendi medici, Episcopus. Nam

Si ex maleficio orta cognoscatur impotentia, et nec per preces Ecclesiæ, nec per alia bona opera, sed solùm per aliud maleficium tolli possit, perpetua censetur.

Ast si veniat ex imaginatione, odio, verecundiâ, etc. (quæ sæpè tunc dæmoni tribuitur), quid, si tolli non possit? De eâ, inquit Sanchez, ratiocinandum sicut si veniret ex maleficio. Si mediante triennali probatione, adhibitis mediis, non tollatur, perpetua censetur.

Item si mulier arcta apta reddi nequeat sine periculo vitæ, aut sine fornicatione cum alio, impotentia perpetua est.

Sed teneturne mulier pati incisionem non periculosam? Disputant. Videtur teneri, nisi notabilis morbi periculum subeat; quia debet media assumere apta ad reddendum debitum. Tunc enim ejus arctitudo non constituit impotentiam perpetuam, nec matrimonium dirimit, cùm sine mediis extraordinariis, et sine peccato tolli possit.

Circà impotentiam observat Sanchez parùm referre an veniat ex naturâ rei aut per accidens, cùm in utroque casu jus ad actum transferri nequeat, Alii contrà. Sententiæ Sanchez videtur adhærendum.

Nota: Per nisus frequentes, et abjectionem omnis utrinque timoris, sæpissime tollitur impotentia.

Nota iterùm : Hermaphroditæ nubere debent secundùm sexum dominantem. Si nullus dominet (quod fieri posse negant medici plures), unum eligat. Sed pro altero matrimonio mutare nequiret.

Nota tandem : Impotentiæ adjungitur impubertas, quæ jure ecclesiastico matrimonium dirimit, nisi ætatem suppleat ratio et natura. In quo tamen casu non jungendi impuberes inconsulto Episcopo.

---

855. Omnis (exceptâ impubertate) et sola impotentia antecedens et perpetua, sive absoluta sit, sive respectiva (sed tunc solùm inter eos inter quos est) matrimonium dirimit jure naturali (*a*) et positivo, quia nemo potest se obligare ad id quod facere aut dare nequit.

Impotentia verò superveniens certò cognita illicitum reddit matrimonii usum, etiam solummodò attentatum (*b*).

In dubio an sit antecedens, talis facilè præsumitur, si sit naturalis (*c*).

In dubio autem an sit perpetua, Ecclesia concedit triennium probationis, intrà quod omnia media aptiora adhibere debent nupti, ad consummandum matrimonium (*d*), et, si sequatur pollutio, ipsis, secluso voluntatis consensu, non imputatur, quia fit per accidens.

Peracto triennio, si matrimonium non sit consummatum, Ecclesiæ auctoritate potest ejus pronunciari nullitas. Sed redintegraretur, etiam secundo jam contracto, si impotentia tolleretur medio licito et sine miraculo.

(*a*) Impubertas enim matrimonium non dirimit nisi jure positivo. Impotentiâ solùm temporali laborans debet sub mortali de eâ monere compartem. In dubio an perpetua sit, non licet nubere.

(*b*) Ast quandonam certò cognoscitur? Triennium probationis, ad id cognoscendum concedi posse arbitratur P. Ant. à Goritiâ, sicut pro impotentiâ antecedente. Sed hoc non potest valere nisi cùm aliqua remanet spes probabilis consummandi. Si enim impotentia superveniens talis sit (ut sæpè in senibus et ægrotantibus quibusdam), ut nulla talis spes remaneat, ex tunc cessandum. Undè senes qui identidem adhùc consummant, possunt attentare, nisi in casibus particularibus in quibus certo sciunt se non consummaturos.

Volunt autem quidam, inter quos Sanchez, tactus licitos, excepto pollutionis periculo, remanere pro iis quibus supervenit talis impotentia, etiam cùm certò cognita est; et in vas penetrare eis permittit idem doctor, ad sedandam concupiscentiam. Imò aliqui *nec periculi* pollutionis casum excipiunt pro aliis tactibus, modò absit periculum consensûs. Sed hæ, maximè poste-

rior, si non laxiores saltem periculosæ sententiæ et non tutæ ad vitandum omne saltem peccatum [886].

(c) Ut, cùm nulla unquàm potuit exerceri copula. Aliter, præsumeretur in favorem matrimonii, nempè quod non præcesserit, si pars altera non nisi diù post reclamet, nisi validis probationibus fulciatur. *Collet, etc.* Vide cap. *Si quis accepit*, 33, q. 1.

(d) Sed hæc probatio non conceditur cùm certò cognoscitur impotentiam esse perpetuam, ut si inutiliter factis nisibus et consultis medicis, adhibitâ, etiam ex judicis decreto, inspectione, certo constet, ob disproportionem membri viri et arctitudinem mulieris, nunquàm conatus successus habere posse. De impotentiâ naturali judicant medici. Ergò consulendi.

Cæterùm si elapso triennio probationis, adhibitis omnibus mediis, dubium supersit an consummatum sit matrimonium, impotentia certa præsumitur, inquiunt plures. Episcopus decidet.

Sed undenàm incipit triennium probationis? A die matrimonii, aiunt communiter, supplendo tamen tempora absentiæ notabilia. Alii illud dicunt incipere à decreto judicis probationem indicentis. Sic, aiunt, ipsa Rota. Juxtà multos, inquit Theol. Pict., judex potest concedere tempus computandum à die sui decreti, et hoc eò minùs displicet quòd forsan sufficientia media non adhibuerint conjuges usque hùc ad consummandum matrimonium aut quòd impotentia veniat ex aliquo accidentali cui remedium afferri potest. Raró tamen, currente triennio, etiam à die matrimonii computato, non cognoscitur impotentia perpetua, si sit; modò impotens jam pubes fuerit initio triennii, quod incipit saltem solùm ab hoc tempore. Decimo autem octavo anno completo in masculis, et decimo quarto in fœminis, perfecta est pubertas, inquiunt Collet et alii. Sed in his, ne uno quidem gradu, inconsulto Episcopo, procedendum in declarandâ sponsis matrimonii nullitate, triennio à matrimonii celebratione expleto.

Impotentiâ perpetuâ certò cognitâ, separandi sunt conjuges, nisi, quod rarum, vivere queant ut frater et soror, et ab eodem toro, et ab aliis omnibus abstinendo quæ non licent nisi conjugibus. Scandalum equidem ex separatione non rarò eveniet, ac proindè maximè cupiendum ut vivant sicut non nupti. Si tamen adsit pro ipsis grave et proximum incontinentiæ periculum, casus est applicandi hæc Christi : *Si oculus tuus, etc.* Obtineant ergò judicis ecclesiastici sententiam et separentur, nisi sine scandalo, mutuo consensu, separari queant, non convolando tamen tunc ad secundas nuptias.

Nota : 1° Media naturalia ad tollendam impotentiam à medicis indicanda. Supernaturalia contrà maleficium sunt preces, exorcismi, jejunia, frequens confessio et communio.

2° Si uxor fornicando cum alio, redderetur marito apta, non valeret men matrimonium, si reverà uxor erat marito suo perpetuò inepta.

3° Juxtà Gibbert et Ferret contrà Pontas et de Sainte-Beuve, impoten quæ ultrà triennium duravit, est in Galliâ impedimentum dirimens aliundè non perpetua.

RTICULUS XIII.

De impedimento raptûs.

856. **Raptus**, ut est impedimentum dirimens, à Concilio Trid. introductum (Ses. 24, cap. 6), est abductio personæ è loco tuto in locum non tutum, ubi raptoris potestati subsit, matrimonii saltem contrahendi causâ (*a*).

Matrimonium dirimit quandiù persona rapta est in potestate raptoris.

Differt impedimentum hoc ab impedimento vis, in hoc præcipuè quòd impedimentum vis cesset cessante vi et accedente consensu; impedimentum autem raptûs non cesset, etiam accedente consensu libero et publico, nisi cùm persona rapta non est ampliùs in potestate raptoris.

Nota : Non necesse est quòd raptor personâ raptâ abusus sit.

Nec raptûs rationem auferret præcedens desponsatio.

(*a*) Ex decreto Trid. hoc unum ut certum deduci potest, scilicèt abductionem fœminæ per vim ipsimet, sive per manuum injectionem, sive per metum gravem à raptore ipso aut ab alio ejus nomine factam, esse impedimentum dirimens, quandiù fœmina est in potestate raptoris. Cætera omnia controversa, ad quæ dilucidanda præmittendum multiplicem raptum distingui. Alius viri à muliere, alius mulieris à viro, alius violentiæ sive per vim illatam personæ, sive per vim illatam parentibus ejus; et alius seductionis per blanditias nempè, persuasiones et voluptatis illecebras. Alius tandem matrimonii contrahendi, et alius libidinis explendæ causâ.

Videtur autem 1° solum raptum mulieris esse objectum raptûs quatenùs est impedimentum dirimens, quia de hoc solo agitur in toto decreto, ut legenti patebit. Cæterùm parùm refert quòd mulier sit virgo aut corrupta, libera aut conjugata. Et parùm referre videtur quòd de loco tuto in locum non tutum sit translata necne; nam si mulier peregrinans raperetur, tota vis legis ibi inveniretur, cùm mens concilii fuerit matrimonii libertati consulere.

Videtur 2° raptum seductionis impedimentum non constituere, quia sive scientibus sive nescientibus parentibus fœmina virum sequatur illecebris abducta, liberè tamen eum sequitur. Cæterùm qui volunt hunc raptum impedimentum constituere, saltem in Galliâ, fatentur solam minorem, saltem 25 annis (nunc forsan dicerent 21) et bonæ famæ aut quæ mores emendaverit, esse objectum hujus raptûs. Ratio sententiæ negantis est quòd Trid. non ignoraverit raptum seductionis; cùm ergò de eo non loquatur, etc.

Videtur 3° raptum non comprehendi in decreto, si vis solis inferatur parentibus, quia hoc non officit libertati matrimonii.

Videtur 4° ob eamdem rationem Trid. voluisse comprehendere in suo decreto solum raptum matrimonii contrahendi causâ factum, nisi fœmina al-

ducta primùm ob libidinem explendam, expletâ libidine, retineatur ad contrahendum.

Nota : Cùm tamen theologi graves in his casibus contrà sentiant consulendus foret Episcopus.

APPENDIX

DE DISPENSATIONIBUS AB IMPEDIMENTIS, etc.

PRÆMITTENDA.

857. Edocendi fideles naturam et conditiones dispensationum, malaque ex illegitimè obtentis evenientia. Monendus et Episcopus de insufficientiâ causæ in particulari, si nupturi à petendâ dispensatione non absistant.

Omni insuper curâ nitendum ut antè matrimonii celebrationem impedimenta, si quæ sint, detegantur, fortiterque obsistendum ne antè obtentam dispensationem matrimonium civiliter fiat.

Quòd si ex confessione detegatur impedimentum [725], confessarius nihil extrà dicere quit sine pœnitentis licentiâ, petendâ, proùt prudentia suggeret, et obtentâ (*a*).

(*a*) Si extrà confessionem detegatur, nulla est difficultas. Sed quid agere debet sive pastor, sive confessarius qui post matrimonium contractum impedimentum detegit? Si in bonâ fide sint putativi conjuges, nunquàm monendi sunt, inconsulto Episcopo. Si in malâ, monendi ut separentur quoàd torum et habitationem, si res publica sit, et quoàd torum tantùm si secreta usquè dùm matrimonium, obtentâ dispensatione, rehabilitetur.

Si dispensatio obtineri nequeat, separentur, si res publica sit; et si secreta, vivant si possint, sine separatione, ut frater et soror.

Si unus solùm è putativis conjugibus noscat impedimentum, secretò, monendus est ut neque petat, neque reddat debitum, dicendo se non posse sine gravi incommodo. Posset etiam peregrinationem aliquam aggredi, aut inducere leviter conjugem putativum ad servandam aliquandiù continentiam.

Si verò sit in dubiâ fide (et dubitat eo ipso quòd consulit) et dubium ut scrupulus abjici nequeat, agendum ut dictum est numero 844.

Nota : Cùm in his et similibus casibus consulitur Episcopus, exponi òmnia debent quæ ad ejus judicium efformandum conducere possunt, ut dictum est [848, *d*].

SECTIO I.

De dispensatione ab impedimentis prohibentibus.

858. Episcopus dispensare potest ab Ecclesiæ vetito, si à se, aut à parocho procedat.

Et, ex usu, ab impedimento temporis.

Et à voto in casibus relatis n° 284.

A sponsalibus nemo nisi is in cujus favorem facta sunt.

SECTIO II.

De dispensatione ab impedimentis dirimentibus.

ARTICULUS I.

De iis qui dispensare possunt ab, etc.

859. Ab omnibus impedimentis quæ non sunt juris naturalis aut divini positivi dispensare potest S. Pontifex, ejusque nuntii et legati, secundùm concessa.

Episcopi autem solummodò certis in casibus et suos subditos tantùm, saltem si impedimentum sit separabile (*a*).

Vicarius capituli potest quod Episcopus virtute ordinariâ.

Sed vicarius generalis dispensare non posset in casibus ubi posset Episcopus, ex consuetudine ob necessitatem, nisi hoc habeat in suis litteris; nec, si solùm vi indulti possit Episcopus, ni indultum ferat quod tùm per se, tùm per vicarium dispensare poterit.

(*a*) Quale ex voto utriusque sponsi. Si autem sit inseparabile, quale resultans ex cognatione, affinitate, etc., videtur, uno à suo Episcopo dispensato, hoc ipso alterum dispensari. Cùm tamen multi, Coll. Parisiensis et Andeg., Collet, de Sainte-Beuve, Habert, etc., contrà sentiant, curandum utrumque sponsum à suo Episcopo dispensari. Undè si Episcopus unius è sponsis dispensare possit, et alterius Episcopus nequeat, Romam pro isto recurrendum [807, c].

Et hæc tutiùs applicanda, cùm extraneus nondùm habet sufficiens domicilium.

Casus autem in quibus Episcopi possunt virtute ordi-

nariâ in matrimonii impedimentis dirimentibus dispensare, sunt :

IN CONTRAHENDIS.

860. 1° Si in usu dispensandi se conservaverint, aut illum legitimè præscripserint (*a*). Qui usus ex diœcesum registris cognoscitur.

Et si ex pluribus diœcesibus diœcesis erecta sit, aiunt diœcesanos regendos secundùm usus diœcesum ex quibus excerpti.

2° Si impedimentum sit occultum et adsit necessitas (*b*).

3° Ab impedimento dubio, dubio juris vel facti, quia casus dubii non reservantur (*c*).

4° Ab impedimento impubertatis, modò sufficiens sit in contrahentibus rationis usus.

(*a*) Benedictus XIV (de synodo diœcesanâ, lib. 9, cap. 2.) multùm insurgit contrà hos usus seu consuetudines illosque ut dubios habet, quia proveniunt ordinariè ex privilegiis. Vult illos esse 100 annorum [139, *a*]. Alii tempus immemoriale, alii annos 40 requirunt. Alii rem relinquunt judicio prudentis.

Nullus est talis usus in diœcesi Bisuntinâ.

Aiunt congregationem cardinalium anno 1814 declarasse usus Episcoporum abrogatos fuisse per concordatum Pii Papæ VII cum primo Galliarum consule; quia per hunc concordatum veteres sedes Episcopales deletæ sunt in Galliâ et novæ erectæ. Sic habet Bulla *qui Christi Domini*, data Romæ 5 kalendas decembris 1801 « Supprimimus... et perpetuò extinguimus titulum » totumque statum præsentem ecclesiarum archiepiscopalium et episcopa» lium, unà cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis, etc. » Videtur ergò evanuisse omnia episcopatuum accessoria. Sed quid reverà sit, nostrum non est decidere.

(*b*) Id innuit hìc (ibidem) Benedictus XIV. Quandò autem est necessitas? Si, v. gr., die celebrationis matrimonii, omnibus paratis, impedimentum detegatur in confessione, nec retrogradi possibile sit sine infamiâ aut scandalo gravi. Et sic multi Theologi quos refert S. P.

Anteà tamen videndum seriò, ut supponunt, an existant gravia hæc et vitari non possint aliquo medio, per emissionem, v. gr., voti castitatis usquedùm habeatur dispensatio. Dicet nupturus : Votum emisi, etc.

In pastorali Basileensi confessarius delegatur ad dispensandum in hoc casu cùm nequidem ad Episcopum patet recursus.

Imò non desunt qui arbitrentur ab impedimento de se publico dispensare posse Episcopum, si sint rationes valdè urgentes quæ reddant recursum ad Papam moraliter impossibilem. Sic dispensatum est Vesuntione, anno 1781.

(*c*) Secùs, inquit Collet, si adsit pro impedimento multò major probabilitas.

Nota 1° : Probabilius est Episcopum non posse mederi dispensationi etiam bonâ fide obreptitiæ à Papâ obtentæ. Ergò Romam recurrendum, ad datariam quidem si delictum hoc sit publicum et ab ipsâ venerit dispensatio; ad pœnitentiariam verò, si ab ipsâ itidem venerit dispensatio, aut obreptio occulta sit.

Nec certum nec multùm probabile est Episcopos posse cum pauperibus dispensare, nisi sint in tali usu legitimè præscripto.

Nota 2°. Episcopi habent ordinariè indulta ad dispensandum à pluribus impedimentis. Ergò ad ipsos priùs recurrendum. Sequentia leguntur in indultis pluribus quæ vidi; sed et ampliora habere possunt.

Dispensandi 1° cum pauperibus (id est cum iis qui de labore et industriâ vivunt) in tertio et quarto simplici, et mixto ex tertio quartove consanguinitatis et affinitatis gradu; in contractis verò cum hæreticis conversis in secundo simplici et mixto, modò primum non attingat, et prolem declarandi legitimam.

2° Super impedimento honestatis publicæ ex sponsalibus proveniente.

3° Super impedimento criminis, neutro tamen machinante; et restituendi jus ad debitum (etiamsi, ut videtur 861, 1°, amissum sit per votum castitatis communi consensu emissum) non verò si amissum sit per adulterium præcisè quà tale. Solus enim innocens tunc condonare potest. Undè cùm confessarius, obtentâ licentiâ, jus restituet amissum per adulterium incestuosum, seu commissum cum consanguineâ vel consanguineo in secundo gradu suæ comparis, restituit illud ut amissum per copulam quatenùs incestuosam, non quatenùs adulterium est. Vide dicta 824.

4° Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, præterquàm inter levantem et levatum levatamve.

IN CONTRACTIS VERO

861. Dispensant Episcopi, virtute ordinariâ,

1° In ordine ad petendum debitum, patrem matremve qui prolem suam legitimam baptizârunt extrà casum necessitatis.

Et eos qui affinitatem cum conjuge contraxerunt ab inito matrimonio, peccando cum consanguineo vel consanguineâ illius in primo et secundo gradu. Servaverunt enim se Episcopi in usu hìc dispensandi.

2° (Et id habet clarè Benedictus XIV de Synodo diœcesanâ, lib. 9, c. 2). Dispensant ad instaurandum matrimonium nulliter initum, modò sex sequentia unà occurrant (a):

1° Impedimentum occultum sit (b) et matrimonium fuerit in facie Ecclesiæ celebratum publicumque. Ordinariè sic.

2° Impedimentum sit è numero eorum à quibus S. Pœnitentiaria dispensat. Sæpissimè tale est.

3° Fuerit, non quidem circà crimen quod impedimentum induxit, sed circà impedimentum ipsum, bona fides (c). Or-

dinariè fuit. Sed non præsumitur si banna, sine dispensatione, omissa sint.

4° Matrimonium sit consummatum, aut, eo non consummato, neuter aptum se sentiat et vocatum ad religionem, et sit, in morâ dispensationis pontificiæ, periculum incontinentiæ. Raró abest.

5° Partes separari nequeant absque scandalo. Raró.

6° Non sit ad Papam, aut ejus legatum, recursus moraliter possibilis, ob paupertatem, v. gr., locorum distantiam, periculum incontinentiæ, timorem prudentem ne unus crimen alterius suspicetur aut deflectat à proposito contrahendi denuò, cùm tamen id expediat (*d*).

(*a*) Potestas hæc conceditur Episcopis in indultis quæ ad eos mittuntur; sed multò amplior, cùm in indultis nulla fiat mentio conditionum quæ unà occurrere debent, ut Episcopi virtute ordinariâ his dispensare queant.

(*b*) Occultum censetur, juxtà plures, quod non nisi tres, quatuor, quinqueve in loco ordinario, vel decem in civitate norunt, vel quod oblivioni traditum est, nisi pauci qui illud adhùc sciunt garruli sint et detractores. Sed occultum non censetur quod ex registris probari potest.

Attamen in impedimento notorio facto, ob multas circumstantias quæ in casu reddebant recursum ad Papam moraliter impossibilem, dispensare se posse publicârunt anno 1774, vicarii capitulares Bisuntini, sede vacante.

Sic in non occulto dispensare maximè ergà pauperes possunt Episcopi, quamvis rarissimè, inquiunt plures, et modò adsit periculum incontinentiæ. *Theol. Pictaviensis.* Sed hoc contrà Benedictum XIV, pluresque alios, et ad minùs non tutum.

(*c*) Sufficit bonam fidem fuisse in alterutro, juxtà Sanchez post Salmanticenses. Ità etiam disciplina Bisuntina.

(*d*) Videtur ultimam hanc conditionem deesse saltem aliquandò posse, si, v. gr., supposito quòd vir impedimentum solus noscat, uxor non soleat petere debitum, nec illud desiderare, et vir ipse possit facilè continere usquè dùm à Româ recipiatur dispensatio. Caveat tamen confessarius ne ex timore defectûs conditionum, in imprudentiam cadat.

ARTICULUS II.

De causis, in particulari, dispensandi ab impedimentis matrimonium dirimentibus [143, 144, *a*].

862. 1ª Angustia loci in quo manet et manere debet sponsa, et ubi paris conditionis virum, præter consanguineum, nec invenit, nec antè annum 24 verisimiliter inveniet (*b*).

2ª Ætas puellæ annum 24 excedentis, quæ hùc usquè

non invenit, præter consanguineum, virum paris conditionis (c).

Nota : Unaquæque ex his duabus causis sufficit ad dispensationem obtinendam à tertio gradu; et ambæ conjunctæ, aut alterutra cum aliâ, à mixto ex secundo et tertio.

3ª Defectus dotis, quam consanguineus puellæ, si illi nubat, aut alter pro eo supplebit, ut possit in loco suo nubere.

Caret dote quam actu dotare nequeunt aut nolunt parentes, si puella mansura sit innupta; vel quæ habet quidem, sed quam solus consanguineus aut affinis potest à litibus vel ambagibus extricare.

Forsan dispensaretur difficilè cum viduâ quæ pro causâ afferret consanguineum promittere se filios ex priori marito susceptos enutriturum (d).

4ª Bonum pacis instaurandæ, modò aliundè quàm ex matrimonio odia proveniant.

Difficilè ex hâc causâ cum plebeio dispensaretur à secundo gradu.

5ª Periculum nubendi cum hæretico.

6ª Periculum vitæ.

7ª Conservatio bonorum in familiâ illustri.

Difficilè ex hâc solâ causâ dispensatur à secundo gradu.

8ª Excellentia meritorum, seu obsequia Ecclesiæ præstita aut præstanda.

9ª Mulcta major, ordinariè his S. P. verbis in rescripto indicata : *Exceptis rationabilibus causis*. Cùm autem, ob mulctam (quæ in usus pios impenditur) dispensatur (quod fit solùm in gradibus remotioribus), sufficit ut oratores dicant se habere rationes penès se; nec ulla ab officiali verificatio exigitur, nisi impedimenti.

10ª Crimen inter partes, ex quo ortum vel oriundum scandalum, si saltem prudens adsit dubium graviditatis puellæ, vel timeatur ne partes in crimine perseverent (e).

Imò sola suspicio notoria criminis, licèt falsa, ex quâ timeatur ne puella innupta remaneat. Quod minus timendum pro puellâ divite quàm pro paupere.

11ª Matrimonium jam contractum ob, etc. (f). Sed si ex

intentione obtinendi faciliùs dispensationem, id exponendum in supplicâ, quia vel non dispensabitur, vel cum onere majori.

Nota : Ob has duas ultimas causas, quæ dicuntur inhonestæ, cum pauperibus dispensaret Episcopus indultarius.

Possunt esse et aliæ causæ; sed ex quâvis dispensetur verificari debet sub pœnâ nullitatis. Benedictus XIV.

(a) Si exprimatur in supplicâ causa quæ non sit ex ordinariis, et tamen una ex ordinariis apponatur in responso, valet dispensatio, inquit Billuart, quia causa exposita non erat de stylo curiæ.

(b) Angustus est locus qui 300 focos non excedit. Suburbia, ni saltem horæ quadrante distent, non censentur distincta à civitate.

(c) Hæc causa viduæ non prodest, in diœcesi Bisuntinâ saltem, ex statuto anni 1776.

(d) Cùm allegatur causa paupertatis, dicatur oratores ex labore et industriâ tantùm vivere; vel qualia bona in valore possideant, si non ex labore tantùm et industriâ vivant; quia tres classes pauperum Romæ distinguunt, et mulctam imponunt iis qui sunt in tertiâ classe. Si unus dives sit, quamvis à parentibus bona nondùm hæreditaverit; aut, inquiunt alii, si nupturi ex locupleti industriâ vivant, non possunt dici miserabiles, quamvis pauperes sint. Id ergò exprimatur. Ordinariè supplica pauperum sic exprimit : *Oratores pauperes et miserabiles existunt, ex labore et industriâ tantùm vivunt.*

(e) Fagnanus causam hanc ut insufficientem habet ad dispensandum à secundo gradu. Alii aliter sentiunt, si puella manere [illegible] innupta aut diffamata.

(f) Idem videtur dicendum de matrimonio civiliter celebrato [864, d].

Forsan nunc faciliùs, saltem pro Galliâ, quàm olìm obtinentur dispensationes.

ARTICULUS III.

De supplicâ pro dispensatione, etc.

PRÆNOTANDA.

863. Duplex est Romæ pro dispensationibus tribunal, pœnitentiaria et dataria.

Ad S. pœnitentiariam supplica dirigitur pro dispensatione ab occultis, aut pro instaurandâ dispensatione à datariâ nulliter ob defectum occultum obtentâ.

Ad datariam verò pro dispensatione ab impedimentis publicis.

Pœnitentiaria tamen dispensat, etiam in secundo gradu, ad rehabilitandum matrimonium cum impedimento cogna-

tionis spiritualis vel naturalis, aut affinitatis ex copulâ licitâ, si à decennio, cum impedimenti ignorantiâ, sit celebratum, modò impedimentum maneat adhùc occultum (*a*).

Sed si impedimentum publicum evadat posteà, ad datariam recurrendum erit pro foro externo.

Ergò si hoc timeatur, exprimendum in supplicâ. Saltem id convenit. Et exprimendus numerus personarum quæ illud sciunt, et numerus incolarum loci, si res pluribus quàm quatuor quinqueve nota sit.

A fortiori exprimendum si impedimentum publicum sit in uno loco, etsi occultum in alio longè distante quò se receperunt oratores, ut videat sacra pœnitentiaria an dispensatura sit.

(*a*) Multi docent impedimentum censeri occultum, etsi sit publicum materialiter, seu in ratione criminis præcisè. Contrà sentit Benedictus XIV institutionum ecclesiasticarum. Cap. 84, N. 48. Quia id contrarium est S. Pœnitentiariæ institutis et consuetudini. *Dens.*

---

864. Supplica clarè lucidè et sine verborum apparatu [143,*a*,*b*,*c*], quovis idiomate, sed convenientiùs latino, scribenda.

In supplicâ ad pœnitentiariam directâ oratores designantur sub nomine ficto (*a*).

Si verò ad datariam sub nominè proprio et cum nomine diœcesis.

Omnia impedimenta (*b*), etiam quæ ab Episcopo relaxari possunt, exprimenda; talis enim stylus, ut nempè cognoscatur amplitudo gratiæ concedendæ.

Quòd si unum infamans sit et secretum, omnia S. pœnitentiariæ exponenda, annotando in supplicâ, quòd pro publico aut publicis ad datariam scribetur.

Nota : Si in formâ pauperum dispensatio petatur, parochus de paupertate fidem facere debet apud Episcopum, ejusve vicarium generalem. qui attestationem hanc ad S. Sedem transmittet.

Nota iterùm : Si supplica dirigatur ad matrimonium instaurandum, exprimi debet an matrimonium contractum sit in

facie Ecclesiæ; an cum scientiâ impedimenti in utroque vel in uno solum; an spe faciliùs dispensationem obtinendi; an omissis proclamationibus (*c*); an, contracto ex ignorantiâ impedimenti matrimonio, eo usi sint, impedimento cognito (*d*).

Habeto mox insuper communiùs exprimenda circà impedimenta in particulari.

Formulas supplicarum habes in tuo rituali. Sufficiat observasse nunc saltem, mediante ordinario aut ejus vicario generali scribi, etiam ad sacram pœnitentiariam, id est, quòd debeat ordinarius, saltem in verso chartæ ad S. pœnitentiariam directæ, apponere nomen suum (*e*).

(*a*) Sed meritò notat Collet quòd si unus duntaxat conscius sit impedimenti ex delicto occulto, non ambo plurali numero, sed reus in singulari, ficto nomine supplicet. Censetur enim tunc data pro duobus dispensatio. Ergò errare videtur Col. Andeg. dùm dicit ab uno nomine duorum petendam esse dispensationem.

(*b*) Exceptis quæ non tolluntur per dispensationem. *Sanchez.*

Ad vitandos sumptus forsan inutiles in datariâ, expedit scribere priùs ad pœnitentiariam si ad utrumque tribunal scribendum sit; quia si non dispensaret pœnitentiaria, inutilis foret obtenta à datariâ dispensatio.

(*c*) Etsi, juxtà Van-Espen et alios, ex dispensatione Episcopi omissæ fuissent.

(*d*) Imò si oratores matrimonium civile contraxerint ex spe obtinendæ faciliùs dispensationis, hoc exprimendum videtur. Saltem sic praxis hodierna Bisuntinæ diœcesis.

(*e*) Item si illud matrimonium habuerint ut legitimum ex contemptu matrimonii canonici, quia esset matrimonium clandestinum.

Secùs si formas civiles impleverint ex honesto fine. *Annotator in Theologiam D. Dens.*

Nota : Pro datariâ, si libet, bancario utuntur, mediante secretario episcopali. Quoquo modo fiat, supplica tunc ad S. Pontificem dirigitur, et in eâ exprimuntur vera nomen, cognomen et diœcesis; et si ad pœnitentiariam, ad Cardinalem magnum pœnitentiarium, expressis fictis nominibus.

---

865. Exprimenda circà consanguinitatem et affinitatem

1° Gradus et linea. Validè tamen, sed illicitè dispensatio obtineretur si, in casu inæqualitatis, exprimatur solùm gradus remotior, modò proximior non sit primus. Sed matrimonio nondùm contracto exigit S. Pius V ut à S. Sede obtineantur litteræ validitatis dispensationis declaratoriæ.

2° Exprimendum si impedimentum duplex sit, quamvis ejusdem speciei; v. gr., si quis cum duabus sponsæ consan-

guineis peccaverit; semperque pro dispensatione ab affinitate dicendum ex quâ copulâ, licitâ vel illicitâ proveniat.

3° In casu inæqualitatis graduum, dicendum quis gradus masculi aut fœminæ remotior sit aut propinquior, incipiendo semper à gradu masculi.

4° Et dicendum si nupturi copulam incestuosam (completam) habuerint, nisi fortè ignorassent se esse consanguineos aut affines (*a*), et an intuitu dispensationis obtinendæ (*b*). Si tamen, vel unus, ignorasset consanguinitatem aut affinitatem, hoc addendum.

Undè si partes peccaverint post missam supplicam, imò post concessam Romæ dispensationem, sed antè ejus ab officiali fulminationem aut à confessario executionem, non valeret dispensatio. Non enim verificari posset clausula : *Modò partes non peccaverint*.

Secùs si peccata fuerint solùm repetita, quia numeri culparum non exigitur expressio, nisi tamen iterùm peccaverint tempore indictæ sibi à commissario, aut à parocho ejus nomine, separationis, ad præparandos se ad sacramenta (*c*).

Secùs adhùc, probabiliùs, si non peccaverint nisi post dispensationis fulminationem aut à confessario executionem, quia non foret incestus; et aliundè incestus non est impedimentum.

(*a*) Si enim ignoraverint, incestus non est nisi materialis, ac proindè non necessariò exprimendus, inquiunt alii contrà alios. Tutiùs exprimatur.

(*b*) Etiamsi unus tantùm id intenderit. *Pyrrhus Corradus*.

Datariæ exponenda hæc incestuosa copula si publica sit. Pœnitentiariæ item sive occulta sit, sive publica, si eveniat quod ab ipsâ petatur dispensatio. Sed si copula sit secreta et à datariâ petatur dispensatio, ex communi sententiâ copula est S. Pœnitentiariæ exponenda, dicendo à datariâ petitam esse dispensationem ab impedimento.

(*c*) Nisi etiam, aiunt alii contrà alios, dispensatio concessa sit in formâ pauperum. In his casibus oratores indigerent litteris *perindè valere*.

Si tenor rescripti Romani sit : *Ab incestûs usquè ad præsentiarum executionem forsitan iterati reatibus apostolicâ auctoritate absolvendi in formâ Ecclesiæ consuetâ*, licèt copula non fuisset allegata per ignorantiam, aut iterata, dispensatio tamen erit valida. *Annotator in Theol D. Dens*.

Inutiliter notaretur novam contrahi affinitatem, si orator, executioni jam demandatâ dispensatione, peccaret iterùm cum eâdem aut cum aliâ sponsæ consanguineâ.

866. Circà cognationem spiritualem exprimendum qualis sit, et an duplex, si, v. gr., Petrus, qui Paulinæ filium tenuit in baptismo, eumdem aut alium ejusdem tenuerit in confirmatione, vel an Paulina filium Petri tenuerit. Sed non necesse est dicere an plures ejusdem filios in eodem sacramento (*a*).

Et exprimenda copula si quæ inter dispensandos habita.

(*a*) Nec an ex Baptismo, an ex confirmatione veniat cognatio. *Sanchez*, etc.

867. Circà crimen, dicendum quale ex tribus sit, et si orator præcedentem conjugem jam occiderat.

868. Circà honestatem publicam, exprimendum an ex sponsalibus, an ex matrimonio rato (*a*), oriatur, si petatur in primo gradu. Sed si in inferiori, sufficienter exprimitur quòd ex matrimonio rato oriatur.

Nota 1° Dispensatus potest dispensationi renunciare ; sed non obstante renunciatione hâc, poterit adhùc dispensatione uti (*b*) si renunciatio non fuerit à superiore acceptata.

Nota 2° Cùm ad Episcopum scribitur pro impedimento occulto, à quo dispensare potest, vitandum fractionis sigilli confessionis periculum, et si quod sit, quod aliquâ viâ vitari nequeat, ad S. pœnitentiariam recurrendum, nisi pœnitens, ad parcendum sumptibus et tempori, malit hoc periculum subire.

(*a*) De præcedenti copulâ, si quæ fuerit, mentio facienda, inquiunt post Pyrrhum Corradum. Talis stylus curiæ Romanæ.
(*b*) Etiam post unum aut alterum annum. *Sanchez*, etc.

ARTICULUS IV.

De executione rescriptorum dispensationum, etc.

869. Ordinariè ipsæ dispensationes Romæ non conceduntur; sed officialis Episcopi à datariâ, et confessarius oratoris à S. pœnitentiariâ ad dispensandum committuntur.

Dispensatio data ab officiali vi rescripti Pontificii vocatur fulminatio (*a*).

Dispensatio autem à confessario vi rescripti S. pœnitentiariæ (*b*), executio.

Sed nota 1° Circà pœnitentiam quam rescriptum jubet imponi, unius anni longam; triennii diuturnam censeri; perpetuam verò vitâ totâ durare debere.

Ast non necesse est quòd perpetua singulis diebus, imò nec hebdomadibus fiat, benè verò si longa solùm aut diuturna imponatur.

Item per gravem pœnitentiam intelligitur semper quæ sit peccatis et statui pœnitentis *proportionata.*

2° Non ideò dispensationem nullam esse quod confessio sit sacrilega, etsi concedatur post absolutionem à peccatis.

Imò, accedente urgenti necessitate, dispensari quis absolutè posset antè absolutionem, etsi ordinariè non sit dispensandus qui ad absolutionem non est dispositus. Fert enim rescriptum : *Sublatâ occasione absolvas.* Ex responso S. pœnitentiariæ 20 februarii 1736.

3° Confessarium posse, dispensatione præstitâ, litteras statìm describere (demptis, si quæ, demendis) ut transcriptum servet ad suî instructionem, licèt rescriptum ferat : *Præsentibus laceratis,* (et quidem sub pœnâ excommunicationis ipso facto, S. P. reservatæ) sed litteras ipsas laceret aut comburat.

Et clausulam : *Si oratori reddantur, nullæ sint,* intelligi solùm pro foro externo.

Nota tandem : Si à datariâ veniat rescriptum, et partes sint diversæ diœcesis, ad officialem diœcesis sponsæ dirigitur. Si verò à sacrâ pœnitentiariâ et duo sint ambarum partium confessarii, rescriptum executioni ab uno mandatum, alteri (qui lacerabit) executioni itèm demandandum tradi debet, supposito quòd ambæ partes noscant impedimentum.

(*a*) Sed nota dispensationem in foro interno statìm valere ac Papa dixit : *fiat*, si immediatè dispenset in formâ gratiosâ.

Sic fit fulminatio : Officialis de expositis in supplicâ diligenter inquirit; et cùm ad hoc ordinariè committat parochum partium, hic nihil nisi veri attestetur, et juramenti præstationem postulet à partibus, si fortè eam saltem implicitè exigat rescriptum, ut si dicat : *per informationem canonicè habitam.*

His factis, dispensationem fulminat officialis, etsi, juxtà plures, sit solùm officialis capituli (sic usus in diœcesi Bisuntinâ).

Imò, inquit meritò Bailly, successor officialis potest rescriptum fulminare, si ad suum prædecessorem, nomine proprio, non sit directum.

Si rescriptum clausulam hanc contineat : *Dummodò scandalum ex dispensatione non sit oriturum*, fulminari nequit dispensatio, si reverà scandalum timeatur.

Si autem hanc : *Pœnitentiam publicam imponas*. Intelligitur solùm de pœnitentiâ in loco publico non de pœnitentiâ solemni.

Nota : Fieri debet in registris mentio dispensationis à datariâ, aut ab Episcopo pro foro externo obtentæ. Sed nullatenùs, si à pœnitentiariâ.

(*b*) Sic fit : Recipiens rescriptum, illud clausum tradit oratori, etsi recipiens esset oratoris confessarius. Orator dat illud suo confessario qui, sub gravi, nec aperiet si non habeat qualitates in superscriptione præscriptas, sed reddet oratori qui alium, qui eas habeat, eliget confessarium.

Confessarius electus rescriptum aperit, et seriò meditatur omnes ejus clausulas, ut cunctas observet; deindè illud in confessionali executioni mandat, assumptâ formulâ quæ exprimat quod facit, et prolem susceptam aut suscipiendam declarabit legitimam.

Quæ cum proportione dicta sint, si agatur de executione rescripti, matrimonio jam contracto.

Pro formulâ dici posset : *Deindè, auctoritate apostolicâ dispenso tecum super impedimento... ut matrimonium contrahere queas... Vel* (si jam sit contractum) *ut præmissâ renovatione consensûs, iterùm contrahas... et legitimas reddo proles susceptas et suscipiendas, etc.* Ubi nota semper exprimendum quòd auctoritate apostolicâ delegatâ aliquid fiat, cùm id exigit rescriptum.

Et nota iterùm quòd si ex inadvertentiâ omissa sit legitimatio prolis, possit ab alio suppleri.

Si causæ dispensationis non inveniantur veræ (quod à solo pœnitente inquirere potest confessarius) ad S. pœnitentiariam recurrendum ad obtinendas litteras *perindè valere*.

Nota : Si delictum impedimentum inducens evaserit publicum, rescriptum S. Pœnitentiariæ non potest executioni mandari.

Nota iterùm : Si confessarius electus, post rescripti apertionem, moreretur antè executionem; aut si fortè orator inveniat eum rigidiorem vel certè ignarum, rescriptum oratori reddi potest, et alium confessarium eliget. Sed non eligat laxiorem. Ità Benedictus XIV.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM.

Antè matrimonii celebrationem, summoperè curandum adhiberi omnia quæ Dei benedictionem impetrent.

Adsit præsertìm status gratiæ rectaque intentio; mortaliter enim peccarent jungendi vel ex eo quòd in matrimonio

temporalia tantùm intenderent, ut, sæpè qui ducunt vetulas (*a*).

(*a*) Primariò, Collet. Ii enim, inquit D. Thomas, se habent *sicut qui ex sacramento Baptismi tantùm salutem corporalem quærerent*.

SECTIO I.

De individuâ vitæ societate.

RESULTAT hæc ex eo quod conjuges fiant una caro, cujus tamen vir caput est, undè

870. 1° Cohabitent et convivant.

Viri tamen, ut capitis, est eligere domicilium, teneturque uxor sequi eum, si aliò migret, nisi de domicilio non mutando conventum sit.

Imò et tunc, si justâ de causâ migret maritus, ni ex hâc migratione grave periculum uxor timeat.

Item si justâ de causâ diù abesse, debeat maritus, eum sequi debet uxor, si sine salutis dispendio aut alio gravi incommodo.

Excipe si semper vaget maritus aut absque verâ necessitate migret in regionem valdè longinquam, vel eat ad bellum.

Sed vir potest identidem, absque uxoris consensu, ad breve tempus, imò, justâ de causâ, ad longum abesse.

Non vicissim.

871. Unde 2° fideles sibi sint;

Cui fidelitati opponuntur peccata non solùm consummata quævis, quæ carnem dividunt, sed et omnia luxuriæ etiam non consummatæ, relatè ad alium quàm compartem.

872. Undè 3° honorent mutuò se et ament specialiter sicut Christus dilexit Ecclesiam, id est supernaturaliter (*a*), supportantes invicem, orando, etc.

Honor tamen major sit ex parte uxoris.

(*a*) Graviter ergò ex genere suo peccant, et peccato speciali, per verba aut signa contumeliosa, odia, dissentiones, rixas, ad iram provocationes, temerariam zelotypiam.

873. Unde 4° Juvent se mutuò tùm præcipuè in re salutis, tùm in temporalibus, præsertìm vir uxorem cui debet, secundùm suum posse, ad statum necessaria, habitationem, victum, vestitum (*a*).

Et uxor viro, etiam propter scelera damnato, alimenta debet.

(*a*) Etsi uxor dotem non habeat, nisi, aiunt, dote culpâ suâ careat, in quo casu non debet tamen eam totaliter deserere. (Nihil excipit jus civ. Gallicanum).

---

874. Undè tandem uxor, etsi viri socia et adjutrix, viro tamen, ut capiti, subordinata est, et ei obedire debet, sub gravi ex genere suo, in iis quæ spectant ad bonos mores, domûs gubernationem et filiorum educationem.

Quin et vir uxorem rationabiliter corrigere debet (*a*) [351, *c*].

(*a*) Jam dictis ubi de obligationibus parentum ergà filios N° 336; dictis item N° 192 *a*, et 574 *a*, adde ad majorem rei explanationem, ex codice civili (1384) teneri patrem, et post mortem ejus, matrem, de damnis illatis à filiis minoribus cum ipsis commorantibus, nisi probent se non potuisse impedire.

Et eadem dicit de heris, de magistris, artificibus, etc., quoàd damna à famulis, etc., illata.

Ast hæc obligatio estne de jure naturali justitiæ strictæ ? Affirmant Lessius, P. Gab. Ant. et D. Bouvier, duo primi, quia parentes tenentur ex officio, etc., et dominus Bouvier, quia parentes et filii sunt una eademque persona. Undè idem dicit de marito cùm agitur de damnis ab uxore illatis.

Eadem itidem dicunt Lessius et P. Gabriel Ant. de aliis superioribus, dominis, episcopis, parochis, etc., quia habendi sunt ut muti, si non obstent damnis à suis inferendis aut non procurent eorum reparationem ; sunt capita politica, etc.

Alii, ut theologus Pictaviensis, loquuntur generaliter dicendo : Qui tenentur ex officio damna impedire (in quocumque genere) reparare ea debent, si non impediant, non distinguendo de quo officio loquatur.

E contrà D. Dens post Daelman negat superiorem peccare contrà justitiam ergà eum cui subditus injustitiam facit quam posset impedire, quia malum subditi non tenetur impedire ex justitià in ordine ne tertius lædatur. Non impediendo, influeret quidem privativè in peccatum subditi, sed non quatenùs alteri injuriosum.

Ità etiam Delugo (quem falsò pro suâ sententià citat P. Gab. Ant.) quia superior non tenetur ad procurandum bonum exterorum qui ad se non pertineant.

Mihi videtur theologos qui generaliter loquuntur, non sat distinguere varias officiorum species. Quandò officium fundatur in contractu aut quasi

contractu sive cum republicâ, sive cum privatis, tunc qui non impedit damna illata ab iis quibus ex tali officio præest, aut illata iis quibuscum ex contractu vel quasi contractu ligatur, tenetur ad restitutionem. Sic princeps, Prætor; etc., sic custos, etc. Si autem nullus sit talis contractus aut quasi contractus, ut in parocho, qui saltem apud nos, non constituitur nisi in ordine ad spiritualia, nec proindè videtur caput politicum, cùm non habeat potestatem compellendi; non impediendo damna inferri à suis parochianis deest equidem suo officio spirituali ergà eos, sed non ergà illos quibus damna inferunt, cùm nullo cum eis nec cum republicâ pacto illa impedire teneatur.

Sed nùm idem dicendum de parentibus qui non impediunt, etc.? Non difficilè crederem, si attendatur solùm jus naturale, ob rationem à D. Dens modò allatam, et quia nullum pactum frangunt, solumque desunt officio parentum quà parentum, nisi ut cooperatores positivi fortè aliquibus in càsibus habeantur; nec convincit ratio allata à D. Bouvier quia non usquè hùc extendendum videtur: *Parentes et filii, uxor et maritus sunt una eademque persona.* Nec id eòusquè extendit jus civile, cùm obligationem parentum reparandi damna à filiis illata non extendat nisi ad damna illata à minoribus cum parentibus commorantibus.

SECTIO II.

De debito conjugali.

Nunquam, nisi elevato ad Deum corde puro, his studendum.

Pauca dicturi sumus, sufficientia tamen ad decidendos casus in hâc materiâ nimis frequentes.

Porrò *debitum* vocat apostolus actum conjugalem, quia illum sibi ex justitiâ debent conjuges.

Hic autem actus, ex fine legitimo exercitus, debitisque vestitus aliis circumstantiis, non solùm licitus est, utpotè ad propagationem speciei humanæ à Deo ordinatus, sed et meritorius si ad Deum referatur. Undè monendi sponsi ut illum Deo ex motivo supernaturali offerant.

§ I.

De obligatione petendi et reddendi debitum conjugale.

875. Petendi debitum nulla obligatio per se;

Benè verò aliquandò per accidens ex charitate aut aliâ virtute, ut si compars compartem judicet versari in periculo incontinentiæ, vel si ad fovendam aut restaurandam amici-

tiam conjugalem, aut, ad prolis procreationem ad bonum commune, pacem familiarum, etc., valdè conducentem, etc., necessaria sit petitio.

---

876. Sed ad reddendum, etiam solùm tacitè, modò rationabiliter petenti, obligat, sub gravi ex genere suo.

Tacitè autem petit qui (ut aliquæ mulieres, rariùs viri) expressè petere non audens, suam voluntatem aperit signo aliquo ex quo alter conjux eam non difficilè conjicit.

Ast per petitionem intelligitur hìc petitio debiti ut rei ex justitiâ debitæ, seu rigorosa, non simpliciter amicabilis, qualem facit amicus qui ab amico petit quod est aliundè debitum, sed nolens in rigore obligare; et talis censenda est petitio ex parte viri, cùm non ægrè fert repulsam, aut remissè petit, etiamsi uxor ipsi exprobret amicè suam intemperantiam.

Item si uxor simpliciter differat, modò tamen in his et similibus casibus absit periculum incontinentiæ.

Ratio horum est quòd de debito conjugali sit, sicut de aliis justitiæ debitis ratiocinandum.

Sed hæc non dicenda vicissim. Nam mulieres, etiam parùm repulsæ, præ verecundiâ ordinariè urgere non audent.

Absit tamen ut ab omni culpâ excusentur uxores quæ non concedunt viris etiam remissè petentibus.

Nec à gravi, diù saltem excusabuntur quæ concedunt quidem, sed non nisi quasi coactè, viris durè et contumeliosè suas petitiones exprobrantes, undè fit ut hi petere ferè non audeant, abstinere malentes quàm ità malè accipi (*a*).

Et objurgandæ, sæpèque graviter, quæ concedunt quidem sine objurgationibus, sed semper invitæ et cum mœstitiâ, à viris, quantùm possunt, declinantes. Grato enim animo, inquit Salesius, ut alia debita, istud solvendum.

Conclude graviter peccare qui pollutionibus, adulteriis, ebrietatibus aut indiscretis macerationibus reddunt se impotentes; et saltem venialiter uxores quæ per abstinentias indiscretas reddunt se difformes et maritis exosas. Quin et hoc

mortale esset si indè viri ad alienas transirent aut se solitariè pollulerent.

(a) Sunt qui à mortali excusant mulieres quæ raró admodùm recusant viris etiam instanter et strictè petentibus, quia in debitis justitiæ est parvitas materiæ. Sed numquid in isto? Nùm ergò non benignior Sanchez cùm à mortali excusat uxorem quæ quatuor vicibus reddidit in mense, et quintà recusat?

Nota: Viri qui habent uxores multùm ad reddendum difficiles, non semper eis ostendunt quantùm patiantur. Indè falluntur uxores, et confessarios deceptæ decipiunt.

---

877. Petitio debiti conjugalis non est rationabilis,

1° Cùm petens non est suî compos, ut amens, aut absolutè ebrius; quia actus conjugalis est actus humanus.

Attamen si consummatio fieri possit, conjux non solùm reddere, sed ad id teneri posset ex charitate, si prudenter timeat pollutionem, adulterium, blasphemiam in comparte.

Excipe si sit abortûs periculum.

2° Cùm immoderata frequentiorque est petitio, spectatâ ætate, valetudine, etc., compartis (a).

Quin et graviter peccat sic intemperantiùs petens, si cum gravis suæ valetudinis periculo.

3° Cùm debitum reddi nequit sine gravi damno suî aut prolis;

Quale cooperatio peccato petentis qui tollere posset ab actu conjugali circumstantiam malam, et non vult. Tunc enim nequidem reddi potest debitum (b);

Quale notabile sanitatis detrimentum, aut actualis ægritudo gravis, aut mortis periculum (c);

Non verò dolor transiens (d) nec ordinaria graviditatis aut partûs incommoda;

Quale tandem extrema in quam reddens incideret necessitas sive propria, sive prolis, sive patris, etc., quem alere nequiret (e).

Secùs timor prolis numerosæ. Quin è contrà, cùm ipsi benedicat Deus (f).

(a) Ut si ter quaterve in eâdem nocte, si diu noctuque. *Billuart et alii.* Sed nonnè etiam minùs frequens petitio immoderata et irrationabilis appa-

ret? Hæc ex circumstantiis dijudicanda, notando quòd plures casum excipiant in quo petenti grave incontinentiæ periculum immineret. Quidquid sit, si reddens non timeat grave damnum, subvenire debet comparti graves carnis stimulos patienti.

Nota : Graviter peccant conjuges qui ità intemperanter utuntur matrimonio ut animus in carnem immersus ad Deum per orationem assurgere nequeat, et impediantur tempora ad orationem et cultum Dei necessaria.

(*b*) Ut si loco, tempore, modo aliâve ejus circumstantiâ ad peccatum grave vel leve imputabili, v. gr., si in loco publico, si cum periculo suffocationis prolis, etc. Vide numeros sequentes.

Aliæ circumstantiæ graviter malæ, sed quæ raro à reddente cognoscuntur, sunt : affectus adulterinus alium sibi in actu repræsentando, in illius cogitatione turpi se delectando aut sic affici ut ad alium æquè accederetur. Secùs, etsi periculosum sit, si actum exercens conjugalem solùm delectetur de pulchritudine alienâ, sine affectu ad personam.

Sed quid, si circumstantia mala tolli nequeat à petente; ut si sit voto ligatus, aut factus sit comparti affinis per incestum? Alii affirmant, alii negant reddi posse debitum sic illicitè petenti. Saltem, reddi nequit nisi ad vitanda mala graviora; et difficiliùs reddendum etiam tunc cùm circumstantia mala venit ex incestu, quia jus ad debitum amissum est.

In praxi consulunt tunc ut pars libera suspicans petitionem futuram, prior ipsa petat, cùm tutò possit, et alter reddere tunc debeat. Et addunt quidam quòd si à comparte irretito præveniatur, possit convertere redditionem in petitionem.

(*c*) Volunt tamen multi contra alios sanctè et laudabiliter reddi posse tunc debitum ob periculum incontinentiæ in comparte; quia tunc vita profunditur ex charitate ad salvandum ejus animam. Aliundè periculum mortis non est adeò certum. Alii è contrà dicunt reddentem non esse dominum vitæ suæ. Priorum sententia videtur probabilior, quia mors non est omninò certa et sequetur per accidens.

Quæ mortuos hucusquè edidit filios potest reddere et petere, imò et reddere tenetur juxtà plures, quia melius est pro prole sic esse quàm non esse, et forsan partus eveniet qui medicos fallet, præsertim si eruditæ et expertæ adhibeantur obstetrices. Negant alii et peti et reddi posse, quia ipsa mater subit periculum mortis.

Nonnè prudenter in bonâ fide saltem relinquerentur infelices illæ mulieres? Aliundè non raro felix est partus quartus aut quintus.

(*d*) Dolor acerbus quem in actu conjugali quædam experiuntur, venire potest ex eo quòd copulam abhorreant.

(*e*) Censent multi, inquit Billuart, licitum esse, absente (quod rarum) incontinentiæ periculo, debitum denegare, si parentes nec in re nec in spe habeant undè liberis provideant secundùm suum statum. Tutiùs ad minùs conveniant servare castitatem. Sed nec sæpissimè expediens est hæc conventio, quamvis in se licita. Decrescet amor mutuus, Satanas expetet. Moneant saltem se invicem quòd parati erunt ad desiderium alterutrius frangere pactum hoc eò periculosiùs factum quòd nupti juniores sint.

Nota : Juxtà aliquos potest uxor, timore prolis, animum in actu conjugali aliò convertere, seu se permissivè habere tantùm, ne excitetur ad seminationem. Eam ut venialis solùm ream habet Lacroix. Ad minùs melius ac tutius est ut sequatur cursum naturæ.

(*f*) Juxtà sat communem, induit Theol. Pictaviensis, conjuges qui bonâ

fide contraxerunt, possunt reddere et petere debitum cum impedimento circà quod supervenit dubium quod, adhibitâ morali diligentiâ, deponi non potuit [844]. Tunc in favorem matrimonii præsumitur. Ad minus dispensatio obtinenda, si concedi possit, et revalidandum matrimonium.

§ II.

De fine et circumstantiis actûs conjugalis peccatisque contrà castitatem inter conjuges.

PUNCTUM I.

878. Duo sunt solùm actûs conjugalis fines non disputati, procreatio nempè prolis, et redditio debiti (*a*).

Et conveniunt omnes voluptatem solam non esse finem honestum, sed includere peccatum veniale.

Undè est ab Innocentio XI damnata sequens propositio : « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsùs caret culpâ ac defectu veniali. »

Idem dic si intendatur sola sanitas, quamvis aliqui contrà sentiant.

Et conveniunt finem posse esse mortaliter malum, ut si quis actum exerceret animo fornicario (*b*).

(*a*) Ut actus excusetur, sufficit ut hi duo fines intendantur, implicitè, seu ut copula fiat ut leges matrimonii permittunt. *Dens*, etc.

(*b*) Fines actûs conjugalis disputati, sunt :

1° Vitanda incontinentia. Si vitanda intendatur in comparte, finis hic ut legitimus communiter admittitur. Si in seipso vitanda, de illius finis legitimitate, ferè ex æquo dissident doctores. D. Paulus videtur illum ut legitimum habere, sed per indulgentiam. Etsi ergò probabiliùs legitimus non sit, confessarius non debet esse apostolo rigidior. Exponeret enim pœnitentes peccato mortali ad vitandum veniale nequidem certum. *Varii*.

2° Affectus conjugalis, modò absit inordinatio libidinis, excessus, et in delectatione non sistant ut in fine. Ratio affirmantium est affectum hunc esse naturalem et congruum matrimonio quod est amorosa conjunctio.

3° Intentio fovendi amicitiam. Sed actus videtur esse medium potiusquàm finis.

Quidquid sit de illis finibus, qui saltem non forent nisi venialiter mali, ab actu non prohibeantur steriles, gravidæ, senes qui perficere possunt. Dicatur quærere solam voluptatem peccatum esse quod igne purgatorii delendum erit, si non priùs deletum, peccatumque veniale esse semper malum pejus malis omnibus temporalibus, faciliùsque hìc peccari quàm in delectatione cibi et potûs.

Hæc, quæ inveni apud probatos, solaque in praxi vix possibilia, rigori tamen principiorum non congruunt.

879. Fini actûs conjugalis opponitur desiderium non nasci prolem.

Si tamen hìc sistat, veniale solum est [877, *e*], sed periculosum, ut ducens ad mortale.

Mortale autem et grave multùm est ponere, etiam ob bonum finem, impedimentum conceptioni, ut si vir, sicut Onan, se retrahat, semenque extrà fundat (*a*).

Nec potest compars, saltem sine multùm gravi causâ (*b*), petere aut reddere debitum cùm certus moraliter est compartem se retracturum.

Secùs, si post monitionem quam facere debet, habeat saltem dubiam spem compartem benè acturum.

Sed si fictè promittere cognoscatur, ab actu abstinendum donec promissio sincera appareat.

Nota : Etsi seminatio simultanea ad conceptionem necessaria probabiliùs non sit, mortaliter tamen contrà finem actûs conjugalis peccare videntur conjuges qui de consultò simul non seminant (*c*).

(*a*) Item si uxor amoveat se, aut proprium semen effundat etsi ad generationem non necessarium.

(*b*) Hìc gravissima quæstio, quæ ab intrinseco saltem mihi videtur insolubilis, cùm momenta gravissima ab utrâque parte militent.

Hæc est : Nùm uxor (et vicissìm) ex gravissimâ saltem causâ, v. gr., ad mortem vel verbera gravia vitanda, aut si magnum subeat incontinentiæ periculum, non reddendo aut non petendo debitum, possit reddere viro se retrahenti, aut etiam petere debitum ? Nam fatentur communiter eam, id, sine multùm gravi causâ non posse, cùm ex principiis positis ubi de cooperatione peccatis alienis, causa his cooperandi, etiam negativè, debeat esse proportionata proximitati cooperationis.

Rationes sententiæ affirmantis sunt quòd solùm cooperetur negativè peccato compartis, seu, ut plures aiunt, quòd solùm illud permittat.

Aliundè, inquiunt, ex gravi causâ solvuntur usuræ, sacramenta dantur indigno, aut ab eo petuntur. Ergò à pari.

Hæc sententia quæ nunc, saltem in praxi de die in dies sibi patronos adscire videtur, firmamentum non leve acquisivit in nostris regionibus ex duobus S. Pœnitentiariæ responsis, uno ad D. Blain vicarium Chamberiensem ; altero ad professores seminarii Bisuntini, quæ responsa, etsi nodum non omninò solvant, hìc referre juvat.

Primum : Ad Dominum Blain respondet Sacra Pœnitentiaria : « Probatos » castigatosque morales theologos in hoc consentire ut præfato in casu liceat » uxori debitum reddere si ex ejus denegatione malè habenda sit à viro suo, » et grave indè incommodum sibi timere possit; neque enim, aiunt, hoc in » casu, censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tan-

» tummodò ex justâ et rationabili causâ permittere. Moneat tamen orator
» hujus modi uxorem ut non cesset prudenter commonere virum suum ut ab
» hàc turpitudine desistat.

« Datum Romæ in sacrâ pœnitentiariâ die 16 Novembris 1816. »

» Michael Cardinalis de Petro, major pœnitentiarius. »

« Dripeia S. Pœnitentiariæ secret. »

Idem Eminentissimus Cardinalis addit : « Dubia tua,.. Sacro tribunali,
» cui auctoritate apostolicâ præsum, expendenda et examinanda proposui.
» Quid autem S. pœnitentiaria dubiis tuis respondendum censuerit, habes
» in annexo rescripto; sed quoniam postremum dubium (circà quæstionem
» præsentem) à te propositum binas complectebatur partes, ac primùm
» quærebat an uxor debitum licitè reddere possit viro, si ei experientiâ
» constet virum suum semen extrà vas effundere ad impediendam genera-
» tionem; tùm verò inquirebat an posito quòd in his rerum adjunctis, liceat
» uxori debitum reddere, dari ne possit casus quo in iisdem circumstantiis
» constituta liceat ei quoque debitum à viro petere. »

« Primæ quidem parti S. pœnitentiaria... distinctè respondit. Ast à dandâ
» responsione alteri etiam parti abstinuit, quoniam rem non perindè explo-
» ratam credidit. Ipse igitur, ut pleniùs tibi satisfaciam, adjungam hìc pri-
» vatam meam hâc etiam de re sententiam. Sic ergò cum non paucis gravi-
» bus probatisque theologis sentio in expositis circumstantiis posse uxorem
» debitum etiam à viro suo petere, si ipsa in periculo incontinentiæ verse-
» tur. Etenim, ut theologi isti dixerunt, hoc etiam in casu minimè censetur
» uxor viri sui peccato cooperari, cùm ipsa tunc debitum petens jure suo
» utatur atque utatur quidem ex justâ causâ, ne videlicèt in peccatum in-
» continentiæ labendo, grave malum animæ suæ consciscat. Habes, Reve-
» rendissime Domine, sententiam meam quâ, si tibi placet, utere in Do-
» mino. Interim autem ipse singulari, etc. »

« Romæ 15 Novembris 1816, Michael de Petro, etc. »

Alterum responsum ad professores seminarii Bisuntini. Sic casus fuerat propositus.

« Bertha virum habet quem constanti experientiâ cognoscit esse onanis-
» tam. In vanum omnia tentavit media ut illum à tam nefando crimine re-
» traheret; quin imò gravissima aut saltem gravia mala ei imminent nunc
» probabiliter, ità ut vel hæc mala incurrere debeat, vel fugere è domo ma-
» riti, nisi permittat saltem aliquandò abusum matrimonii, etc. »

Responsum : « S. pœnitentiaria, maturè perpensis expositis, respondet :
» Cùm in proposito casu, mulier à suâ quidem parte nihil contrà naturam
» agat detque operam rei licitæ; tota autem actûs inordinatio ex viri malitiâ
» procedat, qui loco consummandi retrahit se et extrà vas effundit, ideò-
» que si mulier, post debitas admonitiones, nihil proficiat, vir autem instet,
» minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa (ut
» probati theologi docent) citrà peccatum permissivè se habere, cùm in his
» rerum adjunctis, ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex
» gravi causâ quæ eam excusat. Quoniam charitas quâ illud impedire tene-
» tur, cum tanto incommodo non obligat. »

« Datum Romæ in S. pœnitentiorià die 1 februarii 1823. J. B. Busis, S. P.
» Regens. In. Pio. S. P. Secret. »

Nota quòd in priori responso nequidem causam gravissimam requirat S. Pœnitentiaria.

Rationes sententiæ negantis, quas amplifico et quibus multas adjicio, sunt:

Quod vir se retracturus non petat actum conjugalem qui consistit ultimatè in immissione seminis in vas, sed meram penetrationem vasis muliebris ad se excitandum ad pollutionem. Petit tactum internum sibi permitti cum membro virili, ex quo tactu sequitur pollutio vel in utroque. Petit ergò rem turpem, actionem mortiferam quæ cùm utriusque concursum requirat, utrique imputatur; nec id potest uxor magis permittere quàm alium tactum intuitu pollutionis.

Nec dicatur nefariam hanc copulam esse de se aptam ut sit conjugalis; eam talem esse ex parte uxoris; eam esse initium actûs boni; solâque malitiâ viri eam effici malam; hoc enim videtur non sufficere, sed requiritur, ut hìc et nunc actus sit conjugalis. Nec magis est initium actûs conjugalis quàm iter usquè solùm Divionem est initium itineris parisiensis.

Nec etiam dici posse videtur uxorem merè permissivè se habere; si enim secludatur jus quod habet ad actum, id dicere posset fornicaria invita, sed non reluctans; non est enim in fœminâ fornicante præcisè alia cooperatio quàm quiescere; sed id sufficere videtur ad formalem cooperationem, quæ hìc ità proxima est ut una eademque ferè sit actio utriusque.

Confirmatur: si uxor ipsa se retrahat, dici potest de viro quòd permissivè se habeat tantùm ad illum recessum, quia est agens principalis; sed id dici nequit de uxore cujus vir se retrahit, non agit principaliter, sed præbet se instrumentum actioni nefariæ viri, et ad eam tàm directè concurrit quàm concurrit ad furtum qui saccum tenet dùm fur intromittit, quod dici nequit de sacramenta ministrante indigno. Hujus actio non est in se mala, è contrà actio mulieris semel cognitâ intentione viri. Ut justa foret paritas, sic institui deberet argumentum: sacerdos potest ex gravi causâ præbere Eucharistiam illam postulanti ad illam expuendam; ergò à pari uxor potest ex gravi causâ præbere corpus suum viro illud postulanti ad illo abutendum. Tunc negarem antecedens.

Ad paritatem quæ desumitur à solvente usuras, responderem actionem solventis usuras non esse in se malam, sed solùm ob cooperationem peccato usurarii; èncontrà actio uxoris præbentis corpus marito onanistæ est in se mala, directè tendens in pollutionem, et de se nata eam *procurare*, cùm hic et nunc non sit conjugalis. Justa aut justior esset paritas, si vir haberet intentionem perficiendi, et uxor sciret eum non perfecturum.

Undè videtur posse concludi faciliùs, ex causà sufficienti, excusandum virum cujus uxor se retrahit, quàm uxorem cujus vir onanista est; imò et faciliùs, si fortè possibile, excusarem cum Collet, mulierem quæ debitum petit à viro onanistâ, ut vitet in seipsâ incontinentiam, quàm quæ ex gravi etiam causâ præbet se viro se retrahenti. Prior videtur aliquousquè uti jure suo.

Multùm movent me hæc momenta; sed quia vividè illa accepit aut invenit mea imaginatio, et aliundè contradicunt decisioni S. pœnitentiariæ; majorique parti eorum, quos legi, auctorum, iis pertinaciter non adhæreo. Ingemiscens tamen video *onanismi* crimen invalescere de die in diem. Quod remedium applicabunt confessarii præcipuè in locis ubi solæ ferè mulieres confitentur? Scio rationem hanc non esse radicalem, sed non minùs indè patet malum augendum, et eò magis quòd ultrà permissa eant pœnitentes sibi graves causas fingentes, cùm leves sint; et quòd sæpè ipsi confessarii nimis proclives sint ad corrigiam, ut aiunt, extendendam potiùsquam restringendam.

Nolo ergò vituperari confessarium praxi à sacrâ pœnitentiariâ datæ inhæ-

rentem, nec à fortiori dubia injicere mulieri quæ ex hujus confessarii decisione suam efformavit conscientiam in præsenti casu; nam prudenter formata est. Hortarer tamen eam ad non timendum, quia sæpè nimis timent mulieres; et si expostularet meam sententiam, dicerem S. Pœnitentiariam de hàc nefariâ re consultam respondisse, etc.

Ex S. Pœnitentiariæ responsis sequi videtur uxorem posse reddere debitum marito onanistæ, si prævideat illum in gravius crimen lapsurum, v. gr., in adulterium saltem cum conjugatâ : vide 263, *b*.

(c) Sic Sanchez, etsi præmittat simultaneam seminationem non esse de necessitate. sed de meliori solùm. Undè concludit non lethaliter reum esse virum qui se excitat sciens indè futurum ut citiùs quàm uxor seminet. Sola ergò intentio faceret hìc mortaliter reum nisi intervallum tantum sit culpabiliter, ut utriusque seminatio non sit moraliter unita.

Undè cum Collet et aliis concludendum videtur uxorem mortaliter peccare cùm timore generationis seminationem suam retinet ne unà cum viro, aut nullatenùs seminet, quod negat tamen Sanchez. Aliundè retentio seminis est contrà substantiam actûs, ac proindè ab eà avertendæ quæ ex mortificationis spiritu se retinent. Sufficit ad hoc ut voluptati renuncient in mente.

Nota 1° : Non tenetur vir expectare uxoris seminationem; potest tamen antè hanc seminationem se non retrahere. *Varii.*

Nota 2° : Plures contrà plures excusant, et, ut videtur meritò, uxorem quæ in actu non seminavit, si statìm post se tangat ad seminandum, quia sic actum consummat, nisi tamen periculum sit semen ad extrà fundendi. Consulendum talibus ut, secluso periculo pollutionis, se antè actum excitent, monendo virum statìm ac sunt paratæ.

Nota 3° : Juxtà D. Antoninum, Sanchez, etc., non est mortale si vir desistat à copulâ de consensu uxoris antè utriusque seminationem, modò absit in utroque (quod forsan rarum) periculum pollutionis; quia tunc, ait Sanchez, non est nisi tactus minimè lethalis, quamvis per recessum hunc intenderent vitare generationem. In praxi hoc non admittendum nisi circumstantiæ actûs aliter exigant. Sed vix esse possunt causæ legitimæ sic à copulâ desistendi.

PUNCTUM II.

880. Quoad actûs conjugalis circumstantias, modum, situm, tempus, locum, accessoriaque copulæ tactus, aspectus, etc., peccataque in his magìs ordinaria, tanquàm principium generale statui potest mortale esse, et gravius inter conjuges, ob finem matrimonii, quidquid voluntariè fit contrà naturam, aut quod obsit generationi ;

Veniale verò solùm quidquid aliud, nisi fortè decentiam naturalem enormiter lædat (*a*).

(*a*) Sunt enim non pauci, contrà plures, qui faciunt hanc exceptionem.

881. Ergò 1° mortalis est copula (*a*) in vase præpostero, aut alio non naturali, in ore, etc.

(*a*) Etiam probabiliùs solùm inchoata, licèt cum intentione consummandi in vase naturali; est enim imperfecta sodomia. Dixi, probabiliùs; quia non desunt qui cum Sanchez excusant à mortali tactus ad sodomiam tendentes, si absit intentio eam consummandi, talesque tactus ut simpliciter impudicos habent; de quibus infra.

Hic notent juniores confessarii quòd cùm conjuges confitentur se à tergo accessisse, aut hunc accessum permisisse, inquirendum sit an tamen in vase naturali; quia non ordinariè in præpostero.

---

882. Ergò 2° mortaliter peccat qui ex industriâ aut non sat penetrat (*a*), aut solùm partialiter seminat in vase.

Et mulier quæ semen viri ejicit aut ejicere conatur (*b*).

(*a*) Aut se retrahit, etsi non totaliter, eveniente seminatione, ut non fiat conceptio, intentio enim hæc opponitur fini actûs.

(*b*) Vel suâ culpâ non retinet, addunt plures, ut si, statim post copulam, urinam fundat, aut quidvis, etiam ex justâ aliundè causâ, aliud faciat, quo semen exceptum expellat. Non tenetur tamen anxiè diù supina manere in lecto, quia rarissimè fluxus seminis ex diverso situ corporis contingit.

---

883. Ergò 3° Quilibet situs præter naturalem (*a*) peccatum veniale non excedit, absente periculo non seminandi integrè in vase, aut semen rejiciendi (*b*).

Graviter tamen increpandi qui, sine justâ causâ (*c*), situm naturalem mutant, præsertim si vir accedat à tergo, aut succumbat; hæc enim, inquit D. Thomas, sæpè signa sunt concupiscentiæ mortalis.

(*a*) Juxtà D. Thomam situs naturalis est ut mulier jaceat in dorso. Attamen, juxtà plures medicos, situs est naturalis qui aptior generationi, qui jucundior. In praxi tamen sequerer sententiam D. Thomæ. Situs enim quem adoptat, admittitur ordinariè vel à fornicariis, undè concludendum videtur illum esse naturalem. Permitterem tamen, et proùt dictaret prudentia, fortè consulerem alium situm, servatis servandis, mulieribus quæ non concipiunt servando situm ordinarium; ad experiendum nempè an concipe-rent.

Situs qui solus possibilis est, qualiscumque sit, non est ullatenùs reprobandus, etsi sequatur aliqua, imò notabilis seminis perditio, invitis congredientibus, modò aliqua pars seminis intromittatur; quia parùm seminis sufficit ad generationem, et quod perditur, perditur tunc per accidens. Quod extenderem ad casum in quo raró aliqua seminis pars in vas intromitteretur. Alioquin foret tunc omninò ab usu matrimonii abstinendum. Sed excipio

vices in quibus maritus certò moraliter scit quòd nullam partem seminis immittet.

In hâc opinione confirmor ex iis quæ meritò dicit Sanchez, nempè non peccare conjuges, tentando, si sit spes seminationis intrà vas; quamvis non sit certitudo, eò quòd vir debilis sit, vel mulier plùs minùsve arcta.

Situs minùs naturalis est si vir succumbat; imò aliquibus videtur contrà naturam, quia vir est principalis agens. Aliundè in hoc situ mulier faciliùs semen virile ejicit, ergò ab eo fortiùs avertendi conjuges. Minuitur tamen in hoc situ periculum pro muliere semen non recipiendi aut non retinendi, si, ut innuunt Sanchez, Billuart, etc., sit in matrice vis attractiva seminis virilis, sicut in stomacho vis attractiva ciborum, et statim post receptum semen claudatur.

(b) Circà seminis virilis non retentionem à fœminâ, ob non servatum situm naturalem, non est necessariò interrogandum, inquit Sanchez, quia solet matrix parùm seminis retinere quod ad generationem sufficiens sit, expulso reliquo [882].

(c) Justa causa non servandi situm ordinarium est corporis curvitas, aliave infirmitas quæ copulam in situ ordinario difficilem reddat; aliquandò etiam mulieris graviditas et timor nocendi proli indè resultans, etc.

Nota : Quandò unus non vult servare situm ordinarium, etsi nulla subsit causa illum mutandi, non conveniunt utrùm alter peccet reddendo si nullum sit periculum effusionis extrà vas. Qui affirmant reddentem peccare, aiunt petitionem tali modo non esse rationabilem, ac proindè cum cooperari peccato veniali alterius. Saltem non videtur teneri sic reddere, nisi admittatur sententia eorum qui volunt situm eum naturalem esse qui jucundior.

---

884. Ergò 4° Quoquo tempore fiat actus conjugalis, vacat culpâ gravi saltem, excepto scandali, abortûs, etc., periculo (a).

Verùm tempus nocturnum suadet verecundia naturalis.

Convenientissimum abstinere diebus festivis et jejunii, præsertim si recepta aut recipienda sit eucharistia; ità tamen ut veniale non excedat in petente tunc sine causâ, et in reddente sæpè nullum sit peccatum (b).

Veniale ad minùs exigere tempore fluxûs aut puerperii (c). Idem dic de tempore graviditatis.

(a) Ut evenire posset, etsi fœtus nondùm esset animatus. Item si periculum sit ne aliud grave nocumentum ipsi adveniat. Undè multùm caveant qui accedunt ad uxores gravidas.

(b) Non suscipienda tunc Eucharistia [51], maximè si carnales illecebræ hæreant imaginationi, nisi tamen adsit justa causa, v. gr., lucrandæ indulgentiæ. *D. Thomas.*

(c) Reddere nullum, inquiunt plures, si petens monitioni non acquiescat. Reddi debet, aiunt alii, si possibile sine gravi damno. Reddendum crederem ad vitandum periculum incontinentiæ.

Sed politio saltem mortalis esse posset ratione gravis periculi et incommodi pro valetudine uxoris. Quoàd prolem aiunt raro apparere damna, quia tunc raro fit conceptio. Undè rigidior videtur D. Bonaventura, et post ipsum alii, mortale existimantes petere tunc debitum. Equidem hoc in lege mosaïcâ vetitum; sed præceptum istud videtur solùm ceremoniale.

Quoàd tempus lactis : incertum dicunt aliqui, an copula sit tunc nociva proli. Si tamen nullo alio modo quàm lacte matris possit ali proles, abstinendum tunc ab usu conjugii. Sed ordinariè alia media suppetunt, et conjuges moniti abstinere, non abstinerent et graviùs peccarent.

885. Ergò 5° Excepto publico, ob scandalum; et sacro, ob prohibitionem Ecclesiæ (*a*), quovis loco congredi possunt conjuges.

Caveant tamen multùm, cùm in cubiculo, ne ab in eodem aut in vicinis requiescentibus, etiam parvulis, audiantur. Quot enim indè scandalizati.

Imò graviter peccant conjuges qui in publico tactus aut lascivas blanditias verbave sibi permittunt, undè præsentes scandalizentur (*b*).

(*a*) Nec probabiliùs excusaret necessitas, quia possunt incontinentiæ aliter obstare. Sunt tamen qui tunc actum conjugalem excusant, si in loco sacro diuturna debeat esse commoratio.

Pontas non habet cœmeterium ut locum sacrum in præsenti casu. Collet simpliciter ait minus esse malum in eo congredi quàm in Ecclesiâ.

(*b*) Imò vitent in publico oscula et amplexus, nisi in reditu ab itinere etc., saltem si sic mos patriæ.

886. Ergò 6° Tactus, saltem ordinarii (*a*), aspectus, oscula, etc., inter conjuges, quæ immediatè referuntur ad copulam, ad eamque sunt præparatio, peccato mortali carent, si non sit periculum pollutionis in ambobus vel in alterutro (*b*); imò et veniali si non fiant propter voluptatem.

Si autem non immediatè referantur ad copulam, seu fiant sine intentione ad eam perveniendi, sunt saltem venialia magna (*c*) etiam secluso pollutionis periculo; et majora adhùc in iis qui jam coïre non possunt, quia nequidem remotè ordinantur ad actum qui impossibilis supponitur.

Tactus verò, etc., proprii corporis, absente conjuge, aut, tempore et loco quo copula haberi nequit, cùm ad copulam hìc et nunc possibilem non ordinentur, ex communi sententiâ mortales sunt (*d*).

Præsente verò conjuge, nec venialia, si ad se præparandum ad actum, nec in eis quæratur voluptas.

(a) Si enim sint, vel inchoatè solùm sodomitici, probabiliùs mortales sunt, etiam facti intuitu copulæ [884, a].

Item juxtà multos, si sint valdè turpes, ob enormem et fœtidam nimis disproportionem membrorum quæ se tangunt, ut oscula, præsertìm mediante linguâ in pudendis, quia, inquit Theologus Pictaviensis, sunt certa dominantis prorsùs libidinis indicia, quæ casta Dei super omnia dilectio non admittit, valdèque dedecent naturam rationalem. Alii tamen contrà sentiunt et forsan probabiliùs quibus non longè essem adhærere saltem si hæc oscula sint simplicia nec morosa. Quædam quæ ea sibi in pudendis viri permiserunt aiunt se hæc fecisse in signum amoris, sed ad minùs sanè stultissimi. Quidquid sit, ab eis multùm avertendi conjuges.

Sed quid, si forent ad copulam necessarii, ut posset forsan evenire in multùm frigidis. Non auderem ea tunc peccata reputare, alioquin ii frigidi coïre nequirent, imò nec forsan consummare matrimonium.

(b) Graviter peccant uxores, cùm motus pollutionem indicantes in seipsis per tactus virorum excitatos cessare antè copulam ex suâ culpâ sinunt. Cum igitur se vehementer commotas sentiunt, debent viros monere ut coeant. Quòd si viri non sint dispositi eos adjuvent, ut, quantùm moraliter possibile est, simultanea sit utriusque seminatio.

Increpandi igitur et sæpe graviter peccant conjuges qui, in tactibus inhonestis et ad venerem excitantibus, nimis diù et sine necessitate immorantur; aliùndè uxores hujusmodi excessibus ad conceptionem minùs aptæ sæpè redduntur.

(c) Longè major pars theologorum illos tactus, etc., habet solùm ut veniales, etsi, juxtà Sanchez, comitaretur eos commotio aut distillatio. Excipiunt tamen plures, si sint adeò turpes ut nec influxum habere possint, nec ullam proportionem inter se ad exercendam copulam, et omnes excipiunt eos qui ad sodomiam ordinantur.

Ratio autem cur tactus ordinarii, etc., non sint, etiam extrà copulam, nisi veniales, est quòd voluptas in iis non quæratur extrà matrimonium, sed in actu suâpte naturâ ordinato ad copulam licitam. Sola hìc deest circumstantia finis debiti ex parte operantis, sed ex parte operis ordinantur ad copulam. Ipse Collet qui eos tactus habet ut mortales, quia, inquit, ad copulam proximè non referuntur, nollet tamen statìm ad inferos addicere virum qui leviter tangit uxorem; et alii plures qui eos itidem habent ut mortales, addunt: præsertìm si conjuges in iis morosè delectentur.

In praxi, ab his multùm avertantur conjuges, et eò magis quòd qui iis dediti sunt identidem labantur in pollutionem. Conjuges multò rariùs aspectus obscœnos quàm tactus sibi permittunt et longè magis eos sibi exprobrant. Ex quo vel solo concludi potest eos magis dedecere.

Nota: Non desunt qui post Sanchez aiunt tactus, aspectus, etc., ab omni culpâ vacare, cùm fiunt etiam ab impotente facto, ad amorem fovendum aut ad sedandam concupiscentiam, quia, inquiunt, ii sunt fines secundarii matrimonii.

Nota iterùm: Si (ut sæpè cùm tactus protrahuntur), esset periculum pollutionis et ei per copulam hìc et nunc obviari non possit, tactus essent certò mortales. (Sæpè occurrere periculo non cogitant.)

Nota tandem : Juxtà Sanchez, tactus qui non sunt tales ut ad pollutionem tendant (et ad eam tendunt attrectatio in vitalibus, eorum motio) non sunt mortales in reddente, etiam cum periculo pollutionis in alterutro, modò pollutioni non consentiat reddens. Dat enim, inquit, operam rei licitæ ad quam obligatur ex jure alterius. Sed nec in petente, si ex causâ justâ et absit periculum consentiendi pollutioni.

Quæ vera crederem si, ut supponere videtur Sanchez, agatur solùm de osculis, tactibus manuum, amplexibus et aliis amicitiæ potiùs quàm voluptatis venereæ signis. Justâ enim de causâ hæc sibi permittunt conjuges, et pollutio sequitur per accidens. Non diù tamen in iis immorentur et cessent cùm exurgunt motus pollutioni prævii, nisi, ut aliquandò, pollutio sit subitanea. Sed et tunc cessandum, vel congrediendum. Et verò durum videtur, v. gr., pro uxore, quam ad pollutionem statim commovent, imò quam statim polluunt viri amicitiæ signa, vel simplex manuum apprehensio, ab iis omninò abstinere.

(*d*) Idem dicunt Vasquez, Collet, etc., de delectatione copulæ ut præsentis, quia, inquiunt, est in hàc delectatione inchoata pollutio. Sed hæc solùm ut venialia habent Sanchez et cum eo multi, etiam absente conjuge, modò et absit periculum pollutionis (sæpè adest, si hæc morosa sint); quia, inquiunt ii Doctores, hæc copulæ ut præsentis cogitatio caret solùm fine debito, in quantùm non ordinatur hìc et nunc ad finem debitum, ad copulam nempè, et quia non est delectatio de re malâ; nec enim pejor est delectatio de actu quàm consensus in actum.

Hæc momenta sat gravia apparent iisque faciliùs adhærerem in eo quod spectat ad cogitatam copulam ut præsentem, quàm in eo quod spectat ad tactus proprii corporis absente conjuge.

Attamen et priùs multùm interdicerem, vel ob periculum pollutionis. Et quoàd tactus proprii corporis absente conjuge, communi sententiæ adhærerem. Si autem fiant præsente conjuge et cum possibilitate coeundi, mortales eos Billuart non credit, si sit animus coeundi, casu in quo se tangens esset excitatus, quia tunc propter circumstantias et contiguitatem videntur inchoativè et in potentiâ proximâ conjugales et ad copulam referri. Secùs si non sit animus coeundi.

Rationes Billuart pro priori casu non rapiunt ad assensum. Tutiùs ergò sequereris sententiam quorumdam qui eos habent ut mortales in utroque casu. Saltem dubitabis. Matrimonium enim non permittere videtur abuti proprio corpore.

COROLLARIUM

887. Ergo recenter nupti necessario sunt quæ ad debitum conjugale spectant edocendi, verbis quidem castis, in quantùm fieri potest. *Deus hoc permittit : Deus hoc vetat.*

Instructio autem versari debet

1° Circà obligationem debiti.

2° Circà finem sibi proponendum.

3° Circà situm corporis, vel ob hoc solum quod ex errore conscientiæ multi, cùm immutando credant se peccare mortaliter, aut de hoc dubitent.

4° Circà tempus petendi aut reddendi, præcipuè ob eamdem rationem.

5° Circà tactus, etc., inter conjuges.

6° Circà vitanda tempore graviditatis et casus qui tunc evenire possunt, v. gr., baptizandam in dubio prolem, vel minimam, abortivam.

7° Circà modum tractandi puerulos, modestè nempè et christianè.

SECTIO III.

De observatione conventionum matrimonialium.

888. Conventiones matrimoniales obligationem important justitiæ strictæ, suntque diversæ proùt sub regimine dotali vel communitatis inita est conjugalis societas; et secundùm clausulas derogatorias, si quæ appositæ. Vide tit. 5, lib. 3 cod. civ. Dicere ergò sufficiat

1° Fieri posse conventiones particulares, ni jure reprobentur.

2° Dotem, sub utroque regimine, esse bonum quod uxor affert marito ad onera matrimonii sustinenda, quæ dos constat ex omnibus quæ sibi constituit uxor, aut ipsi dantur in contractu matrimoniali, nisi contrarium stipulentur (1541).

3° Solum maritum administrationem habere bonorum dotalium, et jus fructus eorum percipiendi.

Posse tamen fieri in contractu matrimoniali conventiones vi quarum uxor annuatim et sub suî solius apochâ (*sur ses seules quittances*) pro victu, vestitu aliisque personalibus necessitatibus, partem suorum redituum sibi reservet (1549).

---

889. Ergo uxor furatur marito cùm absque ejus consensu, saltem prudenter præsumpto, disponit de suis bonis dotalibus aut fructibus eorum.

Aut de bonis communibus, vel acquisitis, vel de eorum fructibus, quia maritus solus bona communitatis adminis-

trat, et potest ea vendere, alienare et hypothecæ subjicere sine uxoris consensu (1421).

Uxor læderet ergò jus mariti.

Sed non furatur sine mariti consensu disponens de suis paraphernalibus [436], seu de bonis quorum usumfructum simul et proprietatem sibi reservavit, aut jus ipsi reservat (1576), sed non potest ea alienare sine auctoritate mariti vel justitiæ.

Uxor autem viri consensum prudenter præsumit, ad accipiendum de bonis familiæ,

1° Cùm res est levis momenti.

2° Cùm accipit ad avertendum malum spirituale aut temporale mariti aut familiæ.

3° Cùm videt maritus nec reclamat, nisi, quod rarum, reclamare non audeat.

4° Cùm certa est maritum rogatum non dissensurum.

5° Cùm maritus dissentiret irrationabiliter.

6° Cùm uxor accipit ad necessaria suî aut familiæ (*a*).

Sed confessarius non laxet habenas, vixque permittat quædam, quæ, jam facta, excusare poterit, excusaretque, vel certò condonaret maritus.

Nota : Docent communiter uxorem posse de bonis communibus, imò de dotalibus accipere ad subveniendum patri vel matri, aut proli ex altero matrimonio susceptæ (*b*), petito priùs consensu mariti, qui irrationabiliter dissentiret. Sed multùm cavendum.

(*a*) Addunt quidam : fratri, sorori.

(*b*) Existimant plures uxorem dare posse ea quæ subtrahit honestæ largiori sustentationi, ornatui, honestis recreationibus. De his judicandum ex circumstantiis, ut si non ignoret, et tamen taceat maritus; et idem dic cùm uxor, etiam per contractus moderatè utitur bonis familiæ.

---

890. Maritus verò furatur uxori, cùm absque ejus consensu, aut cum ejus consensu, sed per vim aut dolum obtentò, disponit de substantiâ bonorum illius quorum non habet nisi administrationem aut de communibus vel acquisitis ultrà quod jura permittunt (*a*), vel illis illudendo.

Nota : Saltem contrà jus œconomicum peccat, cùm in malos usus disponit de reditibus bonorum uxoris (*b*).

(a) « (Le mari) ne peut disposer entre vifs, à titre gratuit, des immeu-» bles de la communauté ou d'une quotité du mobilier, si ce n'est pour l'é-» tablissement des enfans communs.

» Il peut néanmoins disposer des effets mobiliers, à titre gratuit et parti-» culier, au profit de toutes personnes, pourvu qu'il ne s'en réserve pas l'u-» sufruit (1422). »

« La communauté se compose activement, 1° de tout le mobilier que les » époux possédoient au jour de la célébration du mariage, et de celui qui » leur échoit, etc.; 2° de tous les fruits, revenus, etc., provenant des biens » qui appartenoient aux époux, etc.; 3° de tous les immeubles qui sont ac-» quis pendant le mariage (1401). » Vide Cod. civ. pro iis quæ maritus dare potest uxori et dicta de his recole n° 450.

(b) Sed num strictè injustus si bona communia vel acquisita dissipet? Negant post Navarrum Habert et Lacroix, quia eorum est dominus, cùm posset ea vendere, alienare, hypothecare sine concursu uxoris. Sic pleræque olim, saltem apud nos, consuetudines, (et nunc jus civile 1421). Aliundè, ait Lacroix, non est praxis confessariorum maritos tunc obligare ad restitutionem. Affirmant è contrà, et videtur verisimiliùs, Sanchez, Lessius, P. Gab. Ant., Collet, Billuart, Collator And. et ejus annotator D. Gousset, quia maritus non est nisi administrator bonorum communium. Quod conformè videtur articulis 1422 et 1424 Cod. civ. Sed tamen pro donis latitudinem maritis præbet art. 1422.

Difficillimè in praxi applicabuntur hæc principia; summa à marito restituenda, non strictè, sed ad arbitrium prudentûm. cum latitudine determinanda videtur.

Cæterum, si viri bonorum communium administrationem amplam habeant, rigorosæ justitiæ regulis non subjectam, leges uxoribus ex alterâ parte favent, cùm non teneantur de debitis à maritis contractis ad sustinenda onera communitatis, nisi in casibus in jure expressis. Vide totum caput 2, tit. 5, lib. 3. Cod. civ. Notando articulum 1401 vi cujus communitas componitur ex mobilibus quæ sponsi possidebant tempore celebrationis matrimonii, etc., non posse in conscientiâ applicari sponsis, legum ignaris, qui non intenderunt sua mobilia in communitatem conferre, quin potiùs è contrà, quamvis per nullam clausulam huic juris dispositioni in contractu derogaverint.

Sed in foro interno tenenturne uxor et filii solvere debita à marito et patre ad eos alendos contracta, quandò nulla bona reliquit maritus et pater? Volunt Barbosa et alii, si pater erat pauper quandò debita contraxit, quia cùm tunc non teneretur uxorem et filios alere, debita quæ ad hoc contraxit, censentur debita eorum; et quia res aliena in eorum utilitatem conversa est.

Negant è contrà Molina, Reginaldus, Sanchez, etc., quia uxor et filii nihil egerunt cum creditoribus mariti et patris; quia actio ob mutuum est personalis; ac proindè uxor et filii alienum non acceperunt, cùm pater fuerit dominus alimentorum quæ ipsis tradebat.

Distinguit Bonacina: si maritus et pater debita contraxit nomine proprio, ad nihil tenentur uxor et filii, nisi receperint hæc mutua in fraudem creditorum, quia tunc cooperati essent injustitiæ mariti et patris.

Si verò contraxit nomine uxoris et filiorum, ipsis consentientibus, arbitratur eos teneri, quod lubenter admitto maximè si sic intenderint mutuatores, quia tunc intervenit tacita saltem promissio, et marito patrique, et mutuatoribus facta ab uxore et filiis debita solvendi. Vide Cod. civ., art. 141[illegible].

TITULUS IX

ADDITUS.

DE SACRO-SANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

CAPUT PRIMUM.

DE NATURA, VALORE ET EFFECTIBUS SACRIFICII MISSÆ.

891. ESSENTIA sacrificii missæ adæquatè consistit in consecratione corporis et sanguinis Christi cum ordine ad sumptionem tanquàm materiam integrantem.

Materia sacrificii missæ est 1° panis triticeus (*a*) aquâ purâ et naturali maceratus, ad ignem coctus et qui non sit corruptus (*b*) substantialiter. Apud nos fermentatus non sit, fermentatoque solùm uti liceret ad integrandum sacrificium ; non ergò ad viaticum, nec ut populus die festo missam audiat.

2° Vinum de vite et usuale (non mustum, ob decentiam, nisi in necessitate), cui aqua in parvâ quantitate immiscenda sub gravi (*c*).

Quæ materiæ sensibiles sint,

Moraliter præsentes consecranti (*d*), et ab intentione illius determinatæ (*e*). Sed non necesse intentionem hanc actualem esse. Verè enim consecrat parvas hostias qui initio missæ illas consecrare intendit, licèt ad eas non attendat tempore consecrationis.

Tandem, ad licitatem, hostiæ sint in quantitate et figurâ usitatis ; apud latinos figurâ orbiculari et integrâ.

Forma sunt verba consecrationis, quæ pronuncientur absque ullâ mutatione et substractione, et quidem sub mortali, etsi mutatio essentialis non esset, quia difficilè non esset hic contemptus. Verbum *enim* in consecratione panis, imò *novi et æterni testamenti*, etc., in consecratione vini, non sunt

essentialia juxtà multò probabiliorem et communissimam sententiam (*f*).

In dubio autem an prolata sint omnia verba essentialia, tota forma repetenda est sub conditione, incipiendo à *qui pridiè quam pateretur*; vel à *simili modo*, etc., materiâ priùs saltem mentaliter oblatâ, quin necesse sit patenæ hostiam superponere.

Nota : Theologi ferè omnes sentiunt posse, oblatione mente conceptâ, offerri *formulas* quæ afferuntur post oblationem majoris hostiæ antè canonem (*g*).

(*a*) Non ergò immixtus granis alterius generis in tantâ quantitate ut non maneat triticeus. Imò ad licitatem purus sit quantùm moraliter possibile : valdè dubium an sufficeret panis secalitius.

(*b*) Id aliquandò judicatu difficile. Vulgò colligendum, inquit Theolog. Pict., ex mutatione coloris, saporis, et ejus facili in cineres solutione. Si verò sit mucidus et ad corruptionem disponatur, erit valida, sed illicita consecratio.

(*c*) Si aqua non excedat tertiam partem, valida erit, aiunt, consecratio. Sed multò minor quantitas infundatur.

(*d*) Validè tamen, sed illicitè consecratio fieret in pixide clausâ aut calice operto.

(*e*) Attamen sacerdos putans se unicam hostiam tenere etsi duas teneat, sumat utramque, quia probabiliùs intendebat consecrare quod tenebat in manibus. Imò semper debet intendere consecrare quod præsens est. Quòd si dubium sit de consecratione hostiarum, sumi debent post sanguinem, vel cum unâ alterâ consecrandæ sub conditione in aliâ missâ. Undè si formulis jam consecratis admisceantur aliæ non consecratæ, possunt consecrari dirigendo ad eas intentionem, licèt non discernantur.

Guttæ vini exterioribus calicis parietibus adhærentes non sunt consecratæ. Sed dubitant de iis quæ interioribus adhærent. In dubio sumantur cum reliquo, inquit Collet, quia dubium est an intendi debeat earum consecratio. Pro praxi expedire videtur ut consecrans intendat consecrare solùm quod est præcisè continuum. Anteà guttæ abstergantur.

(*f*) Contrarium volunt Thomistæ. Si statim advertatur ea esse omissa, statim resumantur. Si autem longè post, repetenda forma.

(*g*) Circà hæc vide fusiùs theologos. Vide et rubricas Missalis circà defectus in pane et vino occurrentes et agendi rationem tunc servandam.

Nota solum 1° cum Collet, ministrum non debere ab altari recedere, si advertat vinum acescere, modò adhùc vinum sit. Solùm, illo ablato, aliud infundat si habere possit. Nec à fortiori recedere, si videat hostiam non nihil habere maculæ, aut non esse omninò integram. Sumat tunc aliam, si possit, si prior nondùm sit oblata.

Sed recedere deberet, si posset sine gravi scandalo, in casu in quo non haberet aquam quam vino immisceat.

2° Communionem esse integram, etsi sacerdos partem majoris hostiæ quam consecravit reservaret ad alicujus communionem, quod facere potest

ex rationabili causâ, inquit Suarez. Exciperem saltem ni obstet rituale. Sed si agatur de viatico moribundo administrando, nullum dubium.

Item potest sacerdos communicare cum minori hostiâ, modò in eâdem missâ consecrata sit, et majorem reservare pro processione hâc die faciendâ. Meliùs, aiunt, faceret, si minorem reservaret pro processione, de hoc monendo populum.

---

892. Hujus sacrificii valor ex parte rei oblatæ principalisque offerentis, est infinitus. Finitus verò ex parte effectûs actu producti (*a*) qui quadruplex est : specialissimus pro offerente, de quo probabiliùs disponere nequit in favorem alterius ; specialis pro eo pro quo celebratur ; generalis pro Ecclesiâ, et minùs generalis pro adstantibus.

(*a*) Videtur fructum missæ, etsi ut mox dicetur, ex opere operato productum, augeri secundùm devotionem eorum quibus applicatur sacrificium. Ast valdè dubium an fructus ex opere operato minuatur prout accrescit numerus eorum quibus applicatur. Saltem injustus esset qui pro unâ missâ multiplex acciperet stipendium.

---

893. Missæ sacrificium latreuticum est, propitiatorium, eucharisticum et impetratorium.

Proùt latreuticum et eucharisticum, Deum honorat et per ipsum grates ipsi persolvuntur meliori mòdo possibili.

Proùt propitiatorium et impetratorium producit et quidem ex opere operato remissionem peccatorum, sed solùm mediatè, saltem quoàd mortalia ; augmentum gratiæ, relaxationem pœnarum peccatis quoàd culpam jam dimissis, debitarum ;

Et obtinet bona spiritualia et temporalia.

Sed insuper ex opere operantis, obtinet tùm ministro, tùm ei pro quo offertur, gratias, de condigno quidem ministro, impetrativè verò ei pro quo offertur.

Et ex applicatione devotè susceptâ, de condigno ei pro quo offertur, si justus *sit*, de congruo, si peccator.

Missæ sacrificium offerri potest saltem pro omnibus christianis fidelibus, vivis atque defunctis non damnatis (*a*).

Applicatio fit antè consecrationem vel antè missam in præparatione, quæ tunc virtualis est applicatio (*b*).

(*a*) Communior est opinio illud offerri posse pro infidelibus, judæis, paganis, schismaticis, hæreticis et excommunicatis, modò non offeratur pro

his tanquàm membris Ecclesiæ. Licet enim pro his omnibus orare ut convertantur. Eos tamen nominare est contrà consuetudinem Ecclesiæ, nec decens foret ab eis accipere stipendium. *Theol. Pict.*, *Billuart*, etc.

(*b*) Hæcque consulenda. Attamen probabilior est sententia (cui adhærere videtur Benedictus XIV), sufficere applicationem habitualem seu semel habitam et non retractatam; quia hoc fit per modum donationis. Sed non sufficeret merum propositum præteritum applicandi in futurum. *Varii.*

CAPUT II.

DE MINISTRO SACRIFICII MISSÆ.

PRINCIPALIS minister Christus est.

Minùs principales, sed immediati, sacerdotes ritè ordinati.

Mediati, fideles.

SECTIO I.

De obligatione pro sacerdotibus missæ sacrificium offerendi.

894. SACERDOS generatìm obligatur sub gravi, ex genere suo, aliquandò celebrare, ob præceptum Christi : *hoc facite*, etc. (*a*).

Itidem, curam animarum habentes [343, *c*] ut Episcopi, parochi, administratores (ni per alium suppleantur), quoties fideles missam tenentur audire.

Et quidem tunc missam suis applicare (*b*) ex Trid., ses. 23, cap. 1 de reformatione.

Beneficiarii verò, toties quoties, quandò et ubi exigit fundatio (*c*).

(*a*) Determinari nequit quanta in quovis simplici sacerdote requiratur ad peccatum mortale celebrandi negligentia. Innocentius III pœnam suspensionis comminatur iis qui vix quater celebrant in anno. Tridentinum Episcopis mandat ut curent sacerdotes celebrare saltem festis anni præcipuis et dominicis diebùs; et S. Pius V expungi jussit ex Cajetani operibus D. Thomæ interpretationem, juxtà quam veniale solùm esset raròaut nunquàm celebrare.

(*b*) Idem dic de sacerdotibus qui pastoralibus officiis funguntur in solidum, v. gr., parochiam, mortuo aut absente pastore, gubernant, et pastorales reditus aut eorum partem recipiunt.

Secùs, ni aliter conventum sit, de vicariis aut coadjutoribus, quamvis

ægrotantibus aut absentibus parochis, teneantur celebrare diebus de præcepto festivis. *Theol. Pict.*

Ast quid si pastor tenues et insufficientes habeat reditus? Docent communiùs eum æquè teneri missam parochianis gratis applicare; quòd si de semper intelligatur, durum videtur Billuart. Tempora relinquit judicio prudentûm.

Juxtà nonnullos, Episcopus potest tunc applicationem restringere ad certos dies.

(c) Numerum missarum reducere nequeunt propriâ auctoritate.

Circà hæc plura vide, si opus sit, apud auctores, et præcipuè apud Benedictum XIV de Synodo diœcesanâ, lib. 5, cap. 1, et lib. 3, cap. 26.

SECTIO II.

De requisitis ex parte ministri ad licitè celebrandum.

ARTICULUS I.

De requisitis ex parte corporis.

895. CIRCA jejunium naturale [152], adde dictis ubi de communione, sacerdotem non jejunum communicare posse in celebrando, et aliquandò teneri;

1° Cùm se non jejunum recordatur solùm post vel panis solius consecrationem.

2° Cùm recordatur anteà, sed non potest (ut plerumque cùm publicè celebratur) recedere sine gravi scandalo, aut suî infamiâ, etiam causam recedendi aperiendo.

3° Cùm hauriens calicem advertit aquam, liquores, acetum, etc., fuisse loco vini apposita. Sorbere enim debet quod habet in ore, et sacrificium perficere, denuò consecrando, modo quo rubricæ præscribunt.

4° Cùm post etiam solius panis consecrationem celebrans impotens evadit ad perficiendum. Alter enim sacerdos, etiam non jejunus, perficere debet; quia lex integritatis sacrificii legi jejunii prævalet.

5° Cùm post ablutionem advertit remanentes ejusdem sacrificii reliquias (*a*) etiam parvas. Debet enim eas sumere, quia pertinent ad complementum sacrificii quod jejunus inchoavit.

Excipe, si jam ab altari recesserit (*b*), quia tunc completa esset actio sacrificii.

A fortiori deglutire debet cum ablutionibus, aut post, si cum eis nequiverit, novam aquam bibendo, etc., si opus sit, particulam hostiæ, vel integram hostiam, quæ calici aut palato adhæreret. Violatio enim jejunii in his casibus, non censetur moraliter præcedere communionem.

Sed quòd viaticum dandum sit moribundo, aut missa, die festo, populo deesse debeat, ratio non est sufficiens celebrandi non jejuno (c).

(a) Si decenter servari nequeant, sicut aliqui. Sed praxis est ut semper sumantur. Si tamen integra remaneret hostia, servanda foret in tabernaculo, sequenti vel die consumenda.

Accuratè ergò colligendæ particulæ antè communionem.

Juxtà Collet et alios contrà plures, et sumi debent reliquiæ missæ præcedentis. Non crederem, si secerni queant, nisi profanationi expositæ sint.

(b) Aut, juxtà alios, inter quos Benedictus XIV, si jam sit sacris vestibus exutus. Secùs enim deberet adhùc sumere, nisi diù exuere se distulerit.

Cæterùm in his omnibus casibus, semper sumendæ forent reliquiæ, etiam ab alio relictæ, cùm alioquin irreverentiæ exponerentur.

(c) Nota : Dictis ubi de communione adde adhùc quoàd vomitûs periculum, sacerdotem sistere debere si illud advertat antè consecrationem. Si autem post etiam solius panis consecrationem, prosequatur, fortè enim intensâ prece vitabit. Sed si non recedat periculum, non communicet.

Circà alias corporis dispositiones, vide rubricas et serva diœcesis statuta. Sic cum baculo non eundum ad altare, nec, sub mortali ex genere suo, capite *birreto* aut *caputio* tecto celebrandum.

A mortali ergò non excusarentur qui per notabile tempus, etiam antè consecrationem, caput vel solo pileolo (*calotte*) tegerent extrà casum necessitatis et absque legitimâ dispensatione. *Suarez*. Sed opus non est dispensatione ubi est extraordinaria necessitas. Romæ hæc dispensatio reservatur. In Galliâ pro pileolo dispensant Episcopi. *Collet*.

In diœcesi Bisuntinâ prohibetur sub pœnâ gravis inobedientiæ, celebrare cum fictâ cæsarie (*perruque*) et statutum anni 1746, rectoribus, vicariis, æditùis, magistris sub eâdem pœnâ prohibet ne talibus, qui dispensati non essent, permittant celebrare.

ARTICULUS II.

De requisitis ex parte animæ.

896. Præter statum gratiæ, facultatem celebrandi, (notanter si in alienâ diœcesi, et sint circà hoc statuta) et præparationem rigorosè præceptam, quæ in necessitate eò ferventior esse debet quò brevior, in induendis vestibus recitandæ preces in rubricis præscriptæ (a).

Dein celebranda missa integrè, uno tractu, et benè observatis omnibus ritibus.

(*a*) Sub mortali, inquiunt aliqui. Sub veniali, aiunt alii, ut P. Gabriel Ant. Saltem ex usu harum precum omissio veniale non excedit. Juxtà alios, nequidem ibi veniale est.

§ I.

De missæ integritate.

897. Sacerdos celebrans tenetur sub mortali missam perficere, nisi causâ gravi excusetur, ut foret periculum mortis aut alterius magni mali, præsentia excommunicati denuntiati, aut si in ipsâ celebratione contingat violari aut interdici Ecclesiam (*a*).

Et ad integritatem missæ pertinet sub gravi, ex genere suo, recitatio devota omnium precum qualiter præscribuntur (*b*), ità ut infirmus qui non posset celebrare nisi partem precum non parvam aut partium minorum quantitatem notabilem omittendo, à celebrando abstinere deberet.

(*a*) In primo casu, etsi post consecrationem, etiam speciei panis tantùm, nec communione (quæ statim sumi potest) factâ, si urgeat periculum, est fugiendum, sacra, si possibile, asportando.

In 2°. Si excommunicatus denunciatus, nec exire velit, nec possit expelli, discedendum sub pœnâ peccati mortalis, excommunicationis minoris et interdicti ab Ecclesiæ ingressu, si canon nondùm sit incœptus. Si jam: continuandum usquè ad communionem inclusivè, et cætera in *sacristiâ* perficienda.

Idem in 3° casu. Ast non desunt qui velint ut in his duobus casibus discedatur, etsi canon sit inceptus, si nondùm ad verba *qui pridiè quàm pateretur* perventum sit.

(*b*) Saltem venialiter peccat qui sine rationabili causâ, solemnioribus festis, semper aut ferè semper missam votivam dicit. Secùs si ex causâ festo proportionatâ. *Varii*, qui et sequentia statuunt :

Levis communiter reputatur omissio unius aut alterius collectæ, aut gradualis, aut *gloria in excelsis*, aut *credo* juxtà aliquos, aut evangelii secundùm Joannem.

Gravis verò omissio confessionis cum adjunctis precibus, Epistolæ, Evangelii, præfationis; unius ex orationibus canonis, aut, juxtà Collet, si partes omissæ Epistolæ nec longiori nec breviori æquivaleant [10, 11].

Et gravis omissio plurium verborum Canonis undè destrueretur significatio mysterii per ea repræsentandi; orationis dominicæ; verborum quæ comitantur commixtionem, partis hostiæ in calice; totius *Agnus Dei*; trium

orationum antè communionem; totius *Domine non sum dignus; quid retribuam.*

Sed omissio in canone faciliùs gravis est quàm in aliis missæ partibus; et ab oratione dominicâ ad communionem res sunt ejusdem ferè gravitatis ac in canone.

Communiùs tamen levem reputant omissionem eorum quæ certis diebus adduntur canoni in *communicantes et hanc igitur.*

Ast quid facere debet celebrans qui advertit se aliquid omisisse aut malè legisse? Si id certò sciat, debet repetere ea quæ sunt de necessitate aut integritate sacrificii, et cætera per ordinem iterare, ne mutetur ordo sacrificii. Alia ut collectas, *credo;* etc., si jam sit aliquantulùm progressus (si solùm jam dixerit Dominus vobiscum juxtà aliquos), non debet repetere, sed prosequi.

Si verò dubitet tantùm negativè, seu non recordetur se dixisse, nihil debet repetere, sed supponere se dixisse; qui enim multa dicit, non recordatur omnium. Ità Billuart, et eò prudentiùs quòd aliter quidam continuis in missâ angerentur scrupulis, fidelibusque ad minùs non placerent.

§ II.

De missæ continuo tractu.

898. Mortale est missam sine causâ notabiliter interrumpere.

Causæ autem interrumpendi, saltem antè consecrationem, sunt Baptismus vel absolutio, et in hujus defectu, extrema-unctio danda moribundo, etsi jam absolutus, solùm reconciliari petat; auxilium ferendum aliàs perituro, exonerandi alvi necessitas, etc. (*a*).

Et antè canonem concio sacra, vestis danda religiosæ, etc., sed non viatici delatio.

Sic porrò agendum cùm missa fuit interrupta :

Si antè consecrationem : ab eodem sacerdote continuanda est, si reverti possit antè spatium unius circiter horæ. Alioquin nova incipienda, aut non celebrandum, si tempus celebrandi elapsum sit (*b*).

Si post consecrationem, etiam solius panis : quamvis duabus circiter horis duraverit interruptio (*c*), missa continuari debet, etiam ab alio sacerdote (*d*), etsi non jejuno, si jejunus haberi nequeat sine periculo longioris interruptionis, præferendo tamen eum qui, ob factum jam sacrum, præcisè jejunus non est, ei qui quamlibet cœnam sumpserit. Supplens applicabit fructum juxtà intentionem illius qui incœpit.

Tandem si sacrificium perfici non potuerit intrà tempus congruum, species servandæ sunt, ut sequenti die ab eodem vel alio sumantur post species quas consecrabit.

Juxtà rubricam : sacerdos qui non potuit ob infirmitatem perficere, potest communicare cum parte hostiæ quam consecravit, si desit alia.

(a) Disputant an hæ causæ sufficerent ad interrumpendum post consecrationem. Sufficere mihi videntur.

(b) Sed si antè consecrationem, aut post communionem, facta fuerit interruptio, missa non debet ab alio perfici. Solùm prudens est quòd jam oblata, si sint, in aliâ missâ inserviant.

Quòd si dubitatur an factà fuerit consecratio, iteranda erit sub conditione mente conceptâ.

(c) Pluribus horis, juxtà alios. Alii dicunt : modò meridies, alii modò dies ipsa non sit transacta. Faciat unusquisque quod sibi melius apparuerit.

Sacerdos perficiens incipiat tunc ab *undè memores*. Si sacerdos deficiens hostiam jam sumpserit, alter incipiat à sumendo sanguine. *G. Ant. à Goritiâ.*

(d) Sub mortali, inquit Suarez post D. Thomam [54, g], imò juxtà graves theologos, excommunicatus cui deficiente tempore, absolutionem recipere non liceret, posset et deberet perficere, modò perfectè contritus, quia lex divina sacrificium perficiendi prævalet legi Ecclesiæ excommunicatum à sacris arcenti. Aliter sentit Benedictus XIV in suo tractatu de sacrificio missæ, parte 4, sectione 12. Juxtà eum, enim, si sacerdos, qui solus potest perficere, sit in statu peccati mortalis, nec valeat confiteri, debent hostia et calix in tabernaculo conservari, et sequenti die à celebrante consumi. Videtur mihi talem sese diffamaturum, et esse in potestate ipsius habere contritionem perfectam.

Non improbabile videtur sacerdotem ad ægrotantem longè distantem vocatum, qui prævidet quòd non poterit perficere, posse statim communicare nisi sit alius jejunus qui perficere possit.

§ III.

De observatione rituum in missâ.

899. RUBRICÆ ritus in missâ præcipientes obligant sub gravi ex genere suo [10, 11] (a).

Ergò nullatenùs, saltem à veniali excusantur qui vel minimum ritum omittunt culpabiliter, et qui verba à cæremoniis separant.

(a) Graves reputantur omissiones offertorii hostiæ aut calicis cum ejus formâ, mixtionis aquæ cum vino; elevationis hostiæ et calicis; patenæ et calicis purificationis; et tantæ rituum in se levium quantitatis in eâdem

missâ, ut materiam notabilem, judicio prudentûm, efficiant. Pro exemplo ponunt simulatas quasi omnes ferè genuflexiones et inclinationes, vel confusas manuum circulationes loco signorum crucis. Sed aiunt aliqui eum qui non potest facere genuflexiones, posse celebrare si sine scandalo, v. gr., in oratorio privato.

Item vix à mortali excusari possunt qui ità celeriter, præsertim ex consuetudine celebrant, ut vix horæ quadrantem in missâ impendant. Est enim ibi scandalum, irreverentia et quasi contemptus quæ gravia videntur.

Leve verò reputant si submissâ voce quæ audiri nequeat à circumstantibus dicantur quæ altâ dici debent, nisi, inquiunt Lessius, Bonacina, etc., id tàm sæpè fiat ex præproperâ festinatione, et ità frangantur verba ut nihil ferè distinctè pronuncietur, aut quantitas verborum adeò notabilis mutiletur ut sensu destituantur.

Leve etiam altâ voce dicere quæ submissâ dici præcipiuntur, nisi totus canon, aut pars ejus notabilis cum gravi scandalo sic recitaretur; imò è contrà mortaliter peccaret, juxtà Quarti, qui verba consecrationis ità demissè pronunciaret, ut seipsum non audiret, etiam nullo obice.

Levem tandem reputant omissionem elevationis manuum, oculorum, inclinationis capitis; levem item reputant plures omissionem assumptionis vini pro primâ ablutione, modò aqua adhiberetur.

APPENDICULA.

De stipendio missarum.

900. Licitum est accipere pro celebratione missæ stipendium, titulo sustentationis, et quia sic usus, quamvis aliundè habeatur ad vivendum.

Sed ultrà quod fert taxa aut consuetudo (a) non accipiatur, nisi liberaliter et non ex errore substantiali datum, aut nisi suscipiatur onus celebrationi extrinsecum.

Ergò illicitum pro celebratione missæ facere pacta quæ turpem quæstum redoleant aut sint contrà decentiam et Ecclesiæ leges (b). Vide Trid. Ses. 22, in decreto, etc.

Et celebrare per anticipationem pro stipendio futuro, nisi prævideatur dandum pro tali defuncto; tunc enim nota foret ejus indigentia, et fructus posset ei applicari. Vide Bened. XIV de Syn. diœc., lib. 5. cap. 8.

(a) Si nullum neque per Episcopum, neque per consuetudinem stipendium constitutum sit, aiunt quidam accipi posse stipendium sufficiens ad sustentationem unius diei. Saltem ad bonam partem sustentationis. *Collet.*

(b) Vetitum sub pœnâ interdicti accipere sine Episcopi licentiâ onera missarum perpetua, ex decisione S. congregationis. *P. Jos. Ant.*

901. Ergò iterùm graviter injustum esset accipere stipendium, et missæ fructum non applicare (*a*).

Et pro eâdem missâ duplicatum;

Et, accepto pinguiori, alium sacerdotem pro minori de celebratione onerare; nisi fortè talis sit dantis intentio (*b*), aut nisi qui per alium sic celebrat, sit beneficiarius cui alia incumbunt onera (*c*);

Et numerum missarum ad taxam reducere ob minus acceptum stipendium. Sed si numerus missarum non sit determinatus, ad taxam reducendus est (*d*);

Et accipere stipendia pro missis nonnisi longo post tempore celebrandis (*e*), nisi adsit consensus dantis saltem prudenter præsumptus;

Et differre missas pro urgenti causâ, pro muliere in partu, v. gr., pro lite judicandâ, si pro iis stipendium acceptum sit, aut promissæ sint.

Undè obligatio damna reparandi si ob dilationem missa non profuerit ad specialem dantis intentionem (*f*).

Nota: Ex Benedicto XIV, et rescripto S. Congregationis, si missæ quæ acceptæ sunt in tali ecclesiâ celebrandæ aut in tali ecclesiæ sacello, ibi celebrari nequeant, possunt ex indulto Episcopi in aliâ ecclesiâ aut alio ejusdem ecclesiæ sacello celebrari.

Nota iterùm: Missæ *de requiem* satisfit per missam diei currentis, etiam in altari privilegiato. Ex declaratione Clementis IX.

Si tamen missa *de requiem* promissa fuerit (quod non facilè promittendum) dicenda, quantùm fieri poterit.

(*a*) Alii contrà alios probabilius censent peccatum esse mortale aliquem vel unicâ missâ fraudare, etsi stipendium, quod acceptum est, non sit quid in se notabile; quia contractus violatur in re ob damnum emergens gravi.

Idem dicunt multi, si missa quæ celebrari debebat in altari privilegiato, in eo celebrata non sit. Si hoc sæpè evenerit, consulendus foret Episcopus.

Attamen quandò sodalitatis alicujus membra simul conferunt ad unum et idem missæ stipendium, sacerdos eorum intentioni satisfacit per unam missam. Item si plures personæ summam pro multis stipendiis sufficientem offerant, et unicam missam petant. *Theol. Pict.*

Juxtà eumdem, quandò mos est ut missa confraternitatis diè de præcepto,

festivo celebretur, etsi dentur stipendia, potest Episcopus permittere ut hæc missa sit parochialis. Satius tamen est sacerdotem alium advocare.

Ex Benedicto XIV, constitutione *quod expensis*, consultius est non accipere stipendium, sed pro omnibus defunctis celebrare die commemorationis omnium defunctorum. Tamen si pro certâ animâ celebrandum sit, celebrari potest etiam accepto stipendio, ex rescripto S. congreg. 4 augusti 1661. *P. Ant. à Goritiâ.*

Hoc avaritiam redolet si die alterâ pro hâc animâ celebrari queat; mos est celebrandi pro omnibus defunctis. Attamen nollem damnare usum quarumdam ecclesiarum ubi æditui intrà missam oblationem recipiunt pro hujus missæ stipendio, si ut quoddam casuale habeatur.

(*b*) Undè damnata est ab Alexandro VII sequens propositio : « Post decretum Urbani VIII (quo id prohibitum) potest sacerdos cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte sibi retentâ. » Et Benedictus XIV, constitutione *quanta cura* 30 junii 1741, hoc vetuit sub pœnâ suspensionis ipso facto in clericum, et excommunicationis in laicum S. P. reservatarum : quod intelligi debet, ait idem S. P. etiam pro casu quo sic distribuens indicaret acceptanti majus stipendium esse illis taxatum, hicque minori esset contentus.

Sed supponitur, inquit Billuart, accipientem contentum esse non omninò liberè.

Ob periculum non fiat, nisi saltem certò sciatur talem esse dantis intentionem, ob gratiam priùs accipientis. Nec tunc facerem.

(*c*) Supponitur missas esse onera beneficii. Item si missæ fundatæ sint et perpetuæ.

Nota : Ex rescripto S. congreg. anni 1726, administratores ecclesiarum pauperum, etc., distribuendo missarum retributiones quæ ad suas ecclesias offeruntur, possunt aliquid retinere pro cerâ, vino, etc.. modò curent numerum missarum distribui.

Secùs, si habeant reditus quos his sumptibus applicare possent.

(*d*) Monenda persona quæ indicans numerum missarum, sufficiens non dedit stipendium, vel onus ad alium, qui acceptet, transferendum.

Et hìc nota eum qui missarum stipendia accipit distribuenda, eligere debere sacerdotes, quantùm fieri potest, pios, etc., ob fructum ex opere operantis.

(*e*) Non sunt accipiendæ missæ novæ, nisi jam antè acceptæ dici possint, secundùm aliquos intrà mensem, secundùm alios intrà bimestre. Quidquid sit, vetuit Urbanus VIII ne accipiantur quæ intrà duos menses celebrari nequirent. Advertendum tamen 1° eos qui dant missas communitatibus sacerdotum, sperare eas citiùs fore celebrandas. 2° Tutâ esse conscientiâ qui monuerunt se non posse missas antè tale tempus celebrare.

(*f*) Impossibile hæc damna determinare, nisi secundùm spem judicio prudentùm æstimatum.

CAPUT III.

DE CIRCUMSTANTIIS AD SACRIFICIUM MISSÆ SPECTANTIBUS.

SECTIO I.

De tempore celebrationis missæ.

902. Excepta feriâ sextâ in Parasceve, in quâ, nequidem die festo de præcepto tunc occurrente, aut ad dandum viaticum moribundo, celebrandum, omni die missa celebrari postest.

Sed in feriâ quintâ, sabbatoque S. Hebdomadis unica missa, hæcque solemnis in eâdem ecclesiâ celebrari potest ubi viget decretum Clementis XI (*a*).

Quòd si dies de præcepto festivus incidat tunc, curabit Episcopus ut aliæ præter solemnem celebrentur in sufficienti numero ut populus missam audire possit.

Die Nativitatis, tres missæ ab unoquoque sacerdote, sed non plures, etsi in diversis ecclesiis, celebrari possunt (*b*).

Unica, aliis diebus, nisi necessitas, judice episcopo, aliud exigat (*c*).

(*a*) Non viget Parisiis. In diœcesi Bisuntinâ, ex more, præcepto ceremonialis et statuto anni 1778 sola missa solemnis celebrari potest.

Cujus missæ, in sabbato sancto, pars sunt vesperæ. *P. Gervais.*

(*b*) Qui hâc die unicam celebrat, juxtà alios primam, juxtà alios ultimam, sed verisimiliùs missam horæ quâ celebrat correspondentem celebrare debet.

Ex declaratione S. congreg., 7 decembris 1641, primam in mediâ nocte celebrans non potest alias dicere immediatè, ob horam non congruentem de quâ mox. *P. Ant. à Goriiâ.* Exciperem, si usus sit contrarius, ut in diœcesi Bisuntinâ.

(*c*) Nequidem ad dandum viaticum, aut in adventu Episcopi vel principis. Ex Benedicto XIV, constit. *quod expensis.*

In diœcesi Bisuntinâ, qui præsunt duplici parochiæ vel ecclesiæ, bis, ex facultate D. Archiepiscopi, celebrant diebus dominicis, et de præcepto festivis, et in commemoratione omnium defunctorum. Item, qui supplent vices parochi ægrotantis aut vacantis in seminario exercitiis spiritualis recessùs.

Nota : Ubi permittitur bis feriâ quintâ aut sabbato S. hebdomadis, celebrare, aut si his diebus festum sit de præcepto, unica hostia in unâ ex ecclesiis est feriâ quintâ reservanda, quia feriâ sextâ unicam sumere licebit.

903. Quâcumque horâ ab aurorâ ad meridiem, moraliter hæc sumendo, celebrare licet (*a*) jure ordinario.

(*a*) Aurora est prima irradiatio luminis quæ plùs minùsve, pro variis regionibus aut anni temporibus solis ortum antecedit. Sufficit ut missa finiatur illucescente crepusculo, imò antè, si rationabilis sit necessitas, ut iter agendum, juxtà aliquos. Ast extrà hanc rationabilem necessitatem, ut mortale sat communiter habent unâ antè auroram, et unâ post meridiem horâ celebrare.

Sed, inquit Billuart, in Galliâ, Belgio et Germaniâ celebratur hyeme horâ quintâ, imò pluribus antè diluculum horis, juxtà alios, ad satisfaciendum devotioni artificum.

In diœcesi Bisuntinâ, ex statuto anni 1750, renovato anno 1780, præcipitur sub pœnis arbitrandis, missam inchoare antè meridiem, nisi agatur de missâ privatâ quæ dici solita sit post solemnem, quæ ratione processionis aut concionis longioris, post meridiem fuerit protracta.

Idem dicunt si sacerdos ratione itineris fuerit impeditus hucusquè à missâ celebrandâ vel audiendâ die de præcepto festivâ.

Iterùm in eâdem diœcesi ex statuto 9, titulo 19, nulla missa privata incipi potest nisi finiri queat antè ultimum pulsum campanæ missæ parochialis, nec incipi antè peractam ejusdem missæ consecrationem.

SECTIO II.

De loco celebrationis missæ.

904. Jure communi non licet, sub gravi, missam celebrare nisi in locis ab Episcopo consecratis, vel ab eodem, aut sacerdote, de ejus licentiâ benedictis, et quæ nec execrata, nec polluta sint, nec interdicta (*a*). Vide infrà.

Attamen in casu necessitatis, ut dirutâ subitò aut combustâ ecclesiâ, licet sub dio celebrare, modò super altare decens (*b*).

Et in navibus de licentiâ Papæ celebratur, modò mare sit tranquillum, et sacerdos præter celebrantem adsit, vel diaconus qui calicem teneat.

(*a*) Exceptis Cardinalibus, Episcopis et Regularibus, in suis monasteriis, nullus potest celebrare in oratorio privato (sine speciali indulto sedis apostolicæ). Trid. Ses. 22.

Et ex Benedicto XIV constitutione *Cùm magno animi*, Episcopi ampliùs non possunt concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis, saltem per modum privilegii, excepto pro aliquo casu ex justâ causâ.

Indè concludit P. Ant. à Goritiâ quòd quandò ex indulto pontificio hæc permittuntur, non nominati in indulto non possint in his oratoriis audire

missam ad satisfaciendum præcepto, et hoc sat clarè innuit Benedictus XIV, de Synodo diœcesanâ, lib. 11, cap. 14, N° 10.

In diœcesi Bisuntinâ, statutis annorum 1748 et 1750, prohibetur ne in capellis domesticis ad alicujus personæ aut familiæ commodum destinatis missa celebretur festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, omnium Sanctorum, et patroni parochiæ, et ne fidelium confessiones ibi excipiantur, sub pœnâ interdicti ipso facto in dictas capellas.

Ex statuto tertio anni 1757, prohibetur ne ibi detur communio et ne missa, quæ unica ibi celebrari potest, celebretur nisi in præsentiâ domini aut dominæ aut alicujus ex eorum filiis, et ne ad eam ullus admittatur de parochiâ præter unum aut alterum domesticum.

Juxtà Collet, graviter delinquunt qui celebrant in capellâ domesticâ adeò brevi, ut in loco profano missam incipere cogantur.

(*b*) Et etiam in concursu magni populi. *P. Ant. à Goritiâ.*

Et communiter docent missam in ecclesiâ pollutâ celebrari posse in necessitate, v. gr., ad viaticum dandum moribundo, et juxtà alios in die festo, etiam sine Episcopi licentiâ, si adiri nequeat.

SECTIO III.

De altari et rebus quibus instrui debet.

905. Altare duplex : fixum, quod alicui basi stabiliter affixum unum totum cum eâ efficit ;

Et portatile, quod super mensam collocatur, nec ei, sive majus, sive minus sit, stabiliter affixum est (*a*).

Planities altaris fixi uno solo lapide constare debet. A fortiori altare portatile.

Adeo ad sacrificium necessarium est altare ut à lapideo habendo solus Papa dispenset [916] (*b*).

(*a*) Sufficit absolutè quòd altare portatile hostiam et partem calicis continere possit. Sed multò major sit et ob commoditatem et ob hostias minores consecrandas.

(*b*) Tempore persecutionis Gallicanæ, noluit Papa ab altari lapideo nobiscum dispensare.

Nota : Sunt quædam altaria in quibus non licet sacerdotibus celebrare sine Papæ indulto. Hic dicere sufficiat talia esse ea in quibus eâ die Episcopus celebravit. Ex canone *in altari*, et ex Benedicto XIV, constitutione *in postremo*. Alii aliter sentiunt.

---

906. Altare instrui debet.

1° Tribus mappis lineis, aut saltem cannabinis, ab Episcopo aut habente potestatem benedictis, quæ mundæ sint (*a*).

Inferior duplicata duarum locum tenet.

2° Cruce (*b*) imaginem Christi cœlatam ferente, ni tabella major altaris sit ejus imago.

3° Lumine sub gravi (*c*).

4° Missali, etsi sacerdos missam teneat memoriter, quia errare posset (*d*), vel etsi ob cæcitatem, ex dispensatione, missam celebraret; quia sic decet.

Quisque autem uti debet missali in suâ diœcesi vigente (*e*).

Nec licet missam ex pluribus componere.

5° Tabulis secretarum, ut quæ memoriter dici solent, legi possint, si necesse.

(*a*) Quarti a mortali non excusaret qui uteretur mappis sericis, aut enormiter immundis. Idem à fortiori de corporali dici posset, nisi adsit necessitas.

Sed in necessitate, inquit Ruffeus, sufficit una mappa, etsi non benedicta, quia hoc non est ità rigorosum. Fatentur omnes, in magnâ necessitate, v. gr., viatici moribundo administrandi, licere missam celebrare absque mappis benedictis, cruce et candelis cereis, modò sit aliud lumen.

(*b*) Non sub gravi. *Benedictus XIV*, *Collet*. Etsi ex devotione celebretur. *Ruffeus*. Nec sub veniali, si haberi nequeat, sufficit enim tunc crux picta in tabulâ secretarum. *Merati*.

Ex decisione congregationis rituum 1603, non sufficit crux parva super tabernaculum posita. Sed cùm crux sub gravi non requiratur, nollem usum damnare contrarium, modò in parvâ cruce sit imago Christi cælata, saltem si sit aliqua necessitas, et celebretur in altari minori.

Crux amovenda est cùm expositum est SS. Sacramentum, ubi non viget decretum S. congregationis (16 Junii 1703), hoc vetantis, et ubi sic usus. Amovetur in diœcesi Bisuntinâ.

(*c*) Saltem uno lumine. Sed sub veniali sint duo cerei hinc et indè accensi.

Juxtà communem, à sacro foret desistendùm, si antè consecrationem omne lumen deficeret. Secùs, si vel hostia sit consecrata.

(*d*) Ex statuto 10, tituli 9, Bisuntinæ diœcesis, sacerdos debet legere in missali.

Alii mortale dicunt celebrare sine missali, ob periculum errandi. Alii dicunt sufficere quòd missale canonem contineat, et addunt eum qui missam haberet scriptam, et certò sciret se non erraturum, in gravi necessitate celebrare posset.

(*e*) Vel romano, vel diœcesis per quam transit. *Theol. Pict.*

SECTIO IV.

De vestimentis ad celebrandum requisitis.

907. Ex consuetudine vim legis habente, celebrans indui debet amictu, albâ, cingulo, manipulo (quem supplere potest stola duplicata), stolâ (quam itidem suppleret manipulus oblongus), et casulâ seu planetâ.

Singula, si fortè minora excipias (*a*), requiruntur sub gravi, ni excuset necessitas (*b*).

Quæ ab Episcopo vel simplici sacerdote potestatem habente, benedicta sint necesse est, nec benedictionem amiserint (*c*).

Quæ mundâ sint et integrâ (*d*),

Colorisque convenientis (*e*).

Nota : Vestes sacræ usu detritæ, quæ ineptæ sunt ad sacrificium, igne sunt comburendæ (*f*).

Nota iterùm : Juxtà communem, celebrans sit pedibus calceatus.

(*a*) Juxta plures enim veniale solùm esset non cingi cingulo. Saltem eo deficiente, alio modo, stolâ præsertim cingendum se. Plures idem dicunt de manipulo. Collet ut mortale dubium habet unum de minoribus non sumere. Sed si inter celebrandum sacerdos advertat unum ex his deesse, pergat si multos habeat observatores qui ex ejus assumptione fabulare debeant. Hoc rarò eveniret, pro manipulo saltem. Petat ergò illud.

(*b*) Ut si viaticum consecrandum sit pro moribundo, aut celebrandum sit coràm populo die de præcepto.

Ast in nullo casu, inquit Suarez, celebrare licet si omnia vestimenta sacra desint. Alii idem dicunt si desit alba aut casula. Addit Collet : vel stola.

Secùs si solùm unum ex aliis; aut non habeantur benedicta.

Pensanda est ratio celebrandi, pensanda rumor populi et scandalum etc. comparandaque cum qualitate ornamenti deficientis.

Ex statuto anni 1737 Bisuntinæ diœcesis, sacerdos celebrans indui debet veste talari nigrâ gestareque coronam et quidem sub gravi, inquiunt aliqui; quia hæc severè præcipiuntur. Æditui, etc., non permitterent celebrare sine veste talari. Ex usu minùs attendunt ad defectum tonsuræ.

Eodem statuto vetatur ne sine D. Archiepiscopi licentiâ ullus sacerdos extraneus in diœcesi celebret, sub pœnâ suspensionis ipso facto, ni aliundè pastori notus sit.

Anno 1824 iterùm prohibitum est ne ignoti, etc., ad celebrandum admittantur, nisi licentiam, etc.

Quod spectat ad vestem talarem, usu in eâdem diœcesi receptum videtur quòd extraneus qui vestem talarem non habet, eâ induatur quæ sine ma-

nicis est, aut solùm ab renibus pendet. Sed hoc ultimum mihi difficiliùs permitterem.

Nota : Venialiter solum peccare videtur qui extrà missarum solemnia Eucharistiam sine stolà ministrat.

Nota iterùm : Ex decreto S. congreg., solis Cardinalibus et Episcopis licitum sumere vestes sacras super altare, ni adsit necessitas, ut ubi non est sacrarium. Tunc sumuntur ad cornu dextrum altaris.

Idem habet statutum 21 Bisunt. diœc., titulo 19.

(c) Vestes sacræ benedictionem amittunt cùm per fractionem ineptæ fiunt ad usum suum, ut si manica ab albà totaliter separetur; si cingulum ità rumpatur ut nulla pars remaneat sola apta ad cingendum. Si verò sufficiens remaneat, potest innodari ad commoditatem.

Posset item (et idem dic de albæ manicà) filò refici antè totalem separationem.

Manipulus verò, stola et planeta benedictionem amittunt cùm novis, eâdem vice, reficiuntur partibus quæ veteres superent.

Sed si planeta sit duplex, pars una ab alterà separari potest quin amittat suam benedictionem.

Ex Benedicto XIV, tractatu de sacrificio missæ, pluviale benedici debet. Idem dicit Merari de purificatorio et velo calicis. In diœc. Bis. non præscribitur benedictio pluvialis, nec superpellicei, imò nec purificatorii.

(d) Juxtà Ruffeum et alios mortale est uti indumentis enormiter immundis aut indecenter laceris.

(e) Hoc ut sub veniali solùm præscriptum habetur, absente gravi scandalo, quale foret si die Paschæ color niger adhiberetur.

Sed quisque (imò aliquandò præscribitur) sumere potest vestimenta coloris adhibiti in ecclesià in quâ celebrat, etsi missa quam dicit alium requirat.

Aurum æquivalet albo, rubro et viridi. Non violaceo et nigro. *Murati.*

Quòd si paramentum colores plures habeat, et nullus prævaleat, pro nullo valet, nisi adsit necessitas aut contrarius sit usus. (Contrarius est in diœcesi Bisunt.)

Si unus color prævaleat, valet pro hoc colore. *Idem.*

Nota : Juxtà Natalem Alexandrum non debent esse in sacris vestibus nobilium insignia. Contrà sentiunt Collet et alii. In diœcesi Bisunt. sæpè videbantur.

(f) Juxtà alios contrà alios non decet in vestes sacras convertere vestes profanas, etsi benedictione purificentur. Sæpè factum est apud nos in *sacristiarum* nuperà restauratione.

SECTIO V.

De instrumentis ad sacramentum necessariis.

Sub gravi requiruntur

908. 1° Calix et patena, quæ ab Episcopo, aut, ex concessione Papæ, à sacerdote cum chrismate consecrata sint.

Quæque aurea sint vel argentea, nisi ob paupertatem stanneis uti toleretur (*a*).

Nota : Hæc violarentur sicut altaria, et consecrationem amittunt cùm ità franguntur aut immutantur ut fiant inepta ad sacrificium (*b*).

Sed, cùm postquàm fracta sunt, non remaneant eadem, possunt in usus profanos cedere, quia igne transmutantur.

(*a*) Non permittuntur ullatenùs ærea, lignea, vitreave.

Ex statuto 14 Bisunt. diœc. de sacrificio missæ saltem cuppa calicis sit argentea, et ex rubricâ missalis, intùs deaurata : quæ nuper iterùm præcepit D. de Villefrancon, Archiepiscopus Bisunt.

Ex consuetudine, ciborium et lunula quæ in ostensorio Corpus Christi tangit aurea sint etiam vel argentea et ab Episcopo aut sacerdote ab eo deputato sine chrismate benedicta.

(*b*) Ut si in fundo calicis fiat vel exiguum foramen, aut si pes, qui non sit tornatilis à cuppâ separetur. Si enim pes sit tornatilis, inquit P. Gab. Ant., cùm sola cuppa consecrata sit, quamvis calix in quâcumque parte infrà frangeretur, non opus esset novâ consecratione.

Nec eâ opus esset, si in calice contingeret gibbus, etsi malleo aut igne auferendus, vel si inauratio destrueretur, quia semper aptus remaneret; non auramentum enim, sed cuppa consecrata est.

Sed si calix, patenave vel primùm vel denuò inaurentur, dubium est an novâ indigeant consecratione. Mos est denuò consecrari.

---

909. Sub gravi itidem requiruntur corporale et palla quæ linea sint (*a*) et, ut suprà, benedicta.

Sed unum aliud supplere, et si sat amplum (ut apud Carthusianos corporale) prò ambobus inservire potest.

Corporale scissum suam non amittit benedictionem, si antè integram scissionem reparetur.

Imò si pars una sufficiens remaneat ad continendum decenter calicem et patenam, pars hæc conservaret benedictionem (*b*).

Nota generalis : Vasa sacra quæ jam fuerunt usui applicata, et corporalia, pallæ, purificatoriaque, nondùm post usum lavata, tangi non possunt licitè nisi à sacris jam initiatis aut licentiam habentibus (*c*). Sed secluso contemptu vel gravi scandalo, non vident ibi nisi veniale, excepto si ab alio quam sacerdote aut diacono tangantur tempore quo actu adest in eis corpus vel sanguis Christi.

Vacua tangi possunt à quocumque mediante velamine.

Ergò antequàm lintea sacra lavanda tradantur laicis, priùs

lavari debent ab habente potestatem ea tangendi (*d*), ablutioque in piscinam projicienda.

(*a*) Mortale est uti pallâ non lineâ. *Quarti*. Veniale solùm, juxtà alios. Sed sufficit partem inferiorem esse lineam.

Examinanda corporalia, ne ullum uspiam, præsertìm autem circa medium, et eas partes quibus hostia sacra in missâ imponitur, foramen habeant; et statìm reficienda, si sint etiam minima foramina, ne micæ sacræ indè labantur. *Rituale Bisunt.*

(*b*) Quandò palla dissueretur à parte superiori, videretur conservare suam benedictionem, quia pars superior non est nisi ad ornamentum, et carta interior ad commoditatem, et si sit ex utrâque parte linea, utraque videtur benedictionem suam servare.

(*c*) Juxtà plures, inter quos Theol. Pictaviensis, simplex sacerdos potest concedere hanc licentiam. Et juxtà alios, tangi possunt ab eis qui ea reficiunt.

(*d*) Bis et iterùm laventur aquâ calidâ. *Rit. Bisunt.*

SECTIO VI.

De ministro celebrantis.

910. Excepto casu necessitatis (*a*), minister, qui masculus sit, sub gravi requiritur in celebratione missæ (*b*).

Et si ignarus, potest celebrans preces ei lentè suggerere (*c*).

(*a*) Ut ad conficiendum viaticum pro moribundo, aut si post inceptam notabiliter missam, minister recedat, nec alius haberi possit.

Suarez tamen nec laudaret nec damnaret eum qui ne missa deesset die de præcepto, celebraret sine ministro. Cùm hìc duo sint præcepta, nec videatur quodnam sit alteri præferendum, agendum, ut dictum est ubi de conscientiâ perplexâ.

(*b*) Imò in casu necessitatis celebrandum esset potiùs sine ministro, quàm ministrante fœminâ, nisi hæc à longè respondeat, monitis adstantibus. Sed tunc sacerdos propriis manibus sumat vinum et aquam.

(*c*) Cùm minister accuratè non recitat, videtur necesse celebrantem supplere. *Collet.*

Quàm zelo dignum, ne ampliùs dicam, pastorem curare ut juvenes ritè et accuratè missæ serviant!

APPENDIX

DE ALIIS PRÆCIPUIS AD CULTUM DIVINUM SPECTANTIBUS.

Hic consulat et sequatur unusquisque rituale diœcesanum pro omni supellectili ecclesiæ et *sacristiæ*.

SECTIO I.

De ecclesiis, altaribus et cœmeteriis.

911. Pro his, partim etiam ædificandis vel destruendis, requiritur Episcopi consensus et licentia nominatim data (*a*), observandaque omnia quæ in Rituali præscribuntur.

(*a*) In statutis Bisuntinis anni 1778, prohibetur ne ulla fiat in altaribus et cœmeteriis immutatio, sine Episcopi licentiâ, quæ non conceditur nisi prævià de commodo et incommodo inquisitione. Hæc jam in jure pro altaribus, Cap. *nullus*.

Nota insuper

CIRCA ECCLESIAS.

912. Cum SS. Sacramentum in ecclesiâ asservatur, in pixide aureâ vel argenteâ servandum est (*a*) ; et ex consuetudine vim legis habente, die noctuque debet esse in ecclesiâ lumen (*b*).

(*a*) Requiritur licentia ut SS. Sacramentum asservetur, præterquàm in parochialibus, etc., ecclesiis; et ex rituali Bisuntino quinque saltem formulæ consecratæ debent esse in pixide, quæ sint ex hostiis non antè dies 20 confectis, quæque octavo quoque die renoventur.

Ex eodem rituali hostiæ consecrandæ nec à laicis nec à fortiori à fœminis conficiantur. Cui utinàm contrarius non esset usus vel potiùs abusus!

Ibidem legitur : Sacra pixis non adhibeatur ad arcendas tempestates, sed aperiri potest tabernaculum ut preces recitentur.

(*b*) Ni aliter exigat locorum egestas, inquiunt quidam. Hæc egestas sæpè mera negligentia est.

Quarti censet peccare mortaliter ministrum aut rectorem curam habentem ecclesiæ, cùm ex gravi ipsius negligentiâ, per notabile tempus, v. gr., per diem integram, lampas non est accensa.

913. Nec divina celebrari, nec mortui sepeliri possunt (*a*) in ecclesiâ execratâ aut pollutâ.

Quòd si diruatur ecclesia dedicata, ligna ejus vel sunt comburenda vel ad aliam ecclesiam aut profectum monasterii adhibenda (ex cap. *Autem*), quia semel usibus sacris deputata ad profana converti non debent (*b*).

Execrata dicitur ecclesia cùm simpliciter amittit suam consecrationem aut benedictionem, undè iterùm consecranda est aut benedicenda;

Polluta autem cùm simpliciter fœdatur ejus consecratio aut benedictio, undè indiget solùm reconciliatione.

Sed nota 1° ecclesiam consecratam non præsumi, nisi aliquo signo probetur. Aliter solùm benedicta censetur (*c*).

2° Execratâ ecclesiâ non ideò execrari altaria, et vicissìm; sed pollutâ ecclesiâ, pollui altaria fixa, et vice versâ.

Itidem pollutâ ecclesiâ, pollui cœmeterium contiguum, sed non vice versâ.

(*a*) Non quivis, sed cum personarum delectu, in ecclesiis sepeliantur. *Rituale Bisunt.*

(*b*) Hinc comburenda altaris palla, cathedra, candelabrum et velum, si fuerint vetustate consumpta, et cineres in baptisterium inferendæ, aut in fossis pavimentoque, etc. Ex cap. 39, de consecratione, dist. 1.

(*c*) Si altaria ipsa consecrata sint (et sunt verisimiliter quandò grandis est tabula totam superficiem obtinens, eoque certiùs quod sepulcrum reliquiarum sit infrà tabulam) indicium videtur consecratam esse ecclesiam. Cruces in parietibus depictæ mihi videntur signa non certa, quia ut ipse vidi, quandò speratur ecclesiam fore consecrandam, jam cruces depinguntur, et non delentur, etsi non consecretur ecclesia. Sed juxtà Cabassutium inde præsumitur Ecclesiam fuisse consecratam si de contrario non constet. Can. *solemnitates* junctâ glossà in verb. *scriptura* de consecr. dist. 1, etc.; sufficitque ad hoc semiplena probatio, si nemini nascatur inde præjudicium, Innocentius in cap 1 *de Consecratione ecclesiæ.*

---

914. Execratur autem ecclesia cùm parietes destruuntur, etiam solùm quoàd majorem partem, etsi ex eâdem materiâ reficerentur;

Et cùm in longitudinem, latitudinem aut altitudinem ità ampliatur, ut partes additæ molem antiquam superent;

Secùs si per partes successivè destruatur et reparetur, quamvis demùm vetus novo supersit;

Vel si solùm tectum destruatur (*a*) aut parietes dealbentur.

Cùm partes minores adduntur, ab Episcopo, aut à sacerdote ab eo deputato benedici debent.

(*a*) Juxtà Theol. Pictaviensem, Dens et Billuart qui dicit sententiam suam esse communem, ecclesia simpliciter benedicta non amittit suam benedictionem per destructionem parietum, quia benedictio inhæret pavimento. In diœcesi Bisuntinâ parietes solum asperguntur in benedictione ecclesiæ. Ergò reparatis in majori parte parietibus, ecclesia de novo benedicenda videtur.
Si ecclesia sit consecrata, execratur etiamsi solùm parietes interiùs decrustentur. *P. Ant. à Goritiâ.*

---

915. Polluitur verò ecclesia (*a*).

1° Per notabilem (aliter quàm per nares), et graviter injuriosam sanguinis humani effusionem, etiam extrà ecclesiam, et per ferrum chirurgi factam, modò vulnus fuerit in ecclesiâ inflictum.

2° Per homicidium voluntarium lethaliter injuriosum sive occiso sive loco sacro (ut si judicialiter), et etsi sanguis non fuerit effusus, ut si per venenum (*b*).

Nec necesse est percussum mori in loco sacro, modò in eo, etiam ab extrà, ictum lethalem acceperit (*c*).

Secùs, si extrà existens, ab intrà fuerit percussus, etsi locum sacrum ingressus in eo mortuus fuerit.

Secùs adhùc si fortuitò, aut, v. gr., ad defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ quis eum occiderit.

3° Per voluntariam, etiam in legitimâ copulâ, seminis humani effusionem (*d*).

Sed non, si hoc et duo præcedentia committuntur super fornicem ecclesiæ.

4° Per sepulturam, etiam bonâ fide factam, excommunicati denunciati, infidelis (*e*) et hæretici saltem sectæ denunciatæ (*f*).

Et hi omnes, si secerni ueant, exhumandi sunt antequàm ecclesia reconcilietur.

Excipe excommunicatum denunciatum qui dederit, antè mortem, pœnitentiæ signa. Hic enim, etsi sepultus, absolvitur.

Nota 1° Ut per quatuor hæc Ecclesia polluatur, requiritur probabiliùs ut publica sint publicitate juris aut facti. Sed si nota solùm paucis, duobus, v. gr., vel tribus, posteà publica evadant, ex tunc polluitur (g).

Nota 2° Sunt casus in jure non expressi, in quibus convenit ecclesiam à sacerdote, de licentiâ Episcopi, aspergi aquâ benedictâ, v. gr., si diù hæreticis servierit, si fuerit sine tecto et januis, si usibus profanis mancipata, si spurcitiis plena.

Nota 3°. Nec censuram, nec irregularitatem ullam incurri à celebrante in ecclesiâ execratâ vel pollutâ.

(a) Non capellæ domesticæ, quia de iis jus non loquitur.

(b) Nisi forsan mors sequatur extrà ecclesiam, post aliquot dies. *Theol. Pict.*

(c) Tempore intermedio inter vulnus et mortem locus non est reconciliandus, quia nondùm pollutus est. Non tamen, inquiunt multi contrà Gibert, in eo intereà celebrandum, nisi urgeat necessitas, ut in die festo. Sentirem cum Gibert, si res in se attendatur; ecclesia enim nondùm polluta est. Ast si attendantur circumstantiæ, et horror incutiendus, consulerem ad minùs non celebrare in tali ecclesiâ.

(d) Juxtà multos, voluntaria, in sensu juris, non esset pollutio, si solùm in causâ; nec si mera distillatio aut aliquantula pollutio.

(e) Etiam infantis non baptizati, juxtà alios contrà alios, qui tamen fatetur mortaliter peccare qui eum in loco sacro sepelit.

In diœcesi Bisuntinâ, ut pollutus habetur tunc locus sacer, nisi 1°, infans non fuerit ex utero extractus, quia esset pars matris : si autem sectâ matre infans fuerit extractus, et in sinu matris repositus, locus sacer pollueretur. Nisi 2°, dubitetur de valore baptismatis, quia tunc in favorem infantis præsumitur.

Excipe adhùc si infidelis sepultus sit catechumenus, quia præsumitur habuisse baptismum flaminis.

(f) Ità Collator Andeg., d'Héricourt, Collet, quibus consentaneum est rituale Bisunt.

Ast ignotus qui reperitur mortuus in medio regionis catholicæ, sepelitur christianè, etsi nulla super se ferat fidei signa. Si reperiatur in loco parùm ab hæreticis distante, consulendus Episcopus.

(g) Ex Benedicto XIV (de Synodo diœcesanâ, lib. 5, cap. V, N° 2), nulla requiritur licentia ut simplex sacerdos reconciliet ecclesiam pollutam, si fuerit solùm benedicta, et sufficit aqua benedicta communis. Ast Rituale Bisuntinum requirit commissionem episcopi vel ejus vicarii generalis, præscribitque ritus tunc observandos. Sequere tuum rituale.

Sed si ecclesia fuerit ab Episcopo consecrata, reconciliari nequit nisi ab Episcopo aut simplici sacerdote de licentiâ Papæ, cum aquâ ab Episcopo benedictâ vino mixtâ et cinere. Ex cap. *aqua* et *proposuisti*. Ità rituale Bisunt. Sed in Galliâ simplices sacerdotes hoc faciunt de licentiâ Episcopi, cum aquâ benedictâ ut moris est. Saltem, juxtà multos, Episcopus dispensare potest

ad tempus ut missa celebretur in dictâ ecclesiâ, donec possit ab Episcopo reconciliari. Priùs tamen, de ejus licentiâ aspergatur aquâ benedictâ cum ceremoniis in Pontificali præscriptis.

Nota; Usus non est in Galliâ ut antè reconciliationem parietes radantur, ut jus præscribit. Saltem ab hâc ceremoniâ dispensare potest Episcopus.

Nota iterùm; Ecclesia non censetur reconciliata per missam in eâ ex necessitate celebratam, nisi, aiunt aliqui, missa fuerit celebrata antequàm pollutio nota fieret.

Nota tandem: Reconciliatâ ecclesiâ, reconciliatur cœmeterium contiguum per pollutionem ecclesiæ pollutum. *Billuart.*

CIRCA ALTARIA.

916. Cum altare fixum construitur, ossa mortuorum, præterquàm sanctorum, amoveri debent.

Altaria à simplici sacerdote consecrari, sub gravi, nequeunt, nisi ex commissione solius Papæ. Item etsi solùm dubitaretur de eorum consecratione (*a*).

(*a*) Si detegatur altare fuisse sine reliquiis consecratum, non est in eo celebrandum, donec superponatur altare portatile, nisi aliud exigat populi multi necessitas. *Collet.*

---

917. Altare fixum suam amittit consecrationem,

1° Cùm mensa, licèt integra remanens, à basi separatur.

Secùs, si cum basi, per modum unius, de loco in locum transferatur, etsi aliqui lapides à basi deciderent (*a*).

2° Cùm mensa enormiter judicio Episcopi frangitur (*b*).

Portatile verò cùm ità frangitur ut nulla pars apta remaneat ad sacrificium seù ut hostiam et calicem contineat (*c*).

Vel si per sepulcrum frangatur in duas partes, quamvis utraque sufficiens remaneret.

Nota: Altaria polluuntur modo possibili quo ecclesiæ, et debent ab Episcopo reconciliari sicut ecclesiæ consecratæ pollutæ.

Sed per ecclesiæ reconciliationem altaria censentur reconciliata.

Si aliter profanarentur, forent, pro decentiâ, aspergenda aquâ benedictâ.

(*a*) Imò, etsi inferiores deciderent et reficerentur, etiam non translato altari, modò non tangant immediatè tabulam superiorem. *Collet.*

(*b*) Ut si frangeretur sepulcrum juxtà multos; sed magis dubitant in casu

in quo frangeretur solùm loculus seu sigillum reliquias continens. Saltem si reliquiæ amotæ sint, non est super illud celebrandum, aiunt Theol. Pict. et Collet. Alii volunt sufficere tunc apponere novum sigillum reliquias continens. Rituale Bisunt. dicit execrari altare si extrahantur reliquiæ.

In dubio non foret in tali altari celebrandum, nisi in necessitate, ut in die festo, et quidem petito, si per tempus liceret, Episcopi consensu.

Sunt qui autument execrari altare cùm fracta sunt omnia ejus cornua.

(e) Si autem pars una sat ampla remaneat, juxtà plerosque suam consecrationem servat, nisi per sepulcrum, etc.

Nota : Probabilior est sententia negans altaria (idem de ecclesiis) consecrari per celebrationem super iis bonâ fide factam.

CIRCA COEMETERIA.

918. Cœmeteriorum benedictiones Episcopis reservantur, sed dant simplicibus sacerdotibus licentiam in casibus particularibus ea benedicendi.

Debent esse clausa muris altitudinis sufficientis (a) habereque crucem in medio firmiter fixam (b).

Nec permittatur cœmeterium usibus profanis deputari, in iis crescere arbores, merces vendendas exponi, nec à fortiori in atriis ecclesiæ, etc.

Cœmeterium polluitur sicut ecclesia.

(a) Septem circiter cubitorum. *Rituale Bisuntinum.*

(b) Cœmeterium non debet esse sine altari si sit procul ab Ecclesiâ. Extruatur ergò in eo capella parva versus Orientem, in quâ preces pro mortuis aliquandò fiant, ut verè religiosus locus esse possit.

Sit etiam vas aquæ benedictæ cum aspersorio. *Rituale Bisunt.*

SECTIO II.

De sacris reliquiis, imaginibus et miraculis.

919. Ex Tridentino, Sess. 25, nemini licet « in ullo loco » vel ecclesiâ quomodolibet exemptâ, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo » approbata fuerit ; nulla etiam admittenda esse nova miracula nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente (a) et approbante Episcopo, qui simul atque de iis » aliquid compertum habuerit, adhibitis in concilium Theologis et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati consentanea judicaverit » (b).

Mos est ut agni cerei et reliquiæ non tangantur nudâ manu, nisi à viris Deo sacris, aut à sanctis monialibus dùm eas in vasis collocant et exornant.

(*a*) Licèt Romæ approbatæ, saltem in diœcesi Bisuntinâ.

(*b*) « Non exponantur sacræ reliquiæ super idem altare ubi SS. Sacra» mentum est in evidentiâ. »

« Nec licet earum particulam aliquam alicui concedi, tradi donarive, » propositâ excommunicationis pœnâ quam subeat tum is qui dederit, con» cesseritve, tum ille qui acceperit vel asportaverit, etiam ecclesiæ suæ » nomine. »

« Cùm populo pietatis causâ ostenduntur, lumina accendantur et rursùs » idem præstetur dum reconduntur... Hymni proprii cantentur et ultimo » loco oratio de sanctis illis. »

« Qui eas defert vel de loco distrahit, superpelliceo et stolâ indutus sit. » Candelæ saltem duæ grandiores accensæ eluceant ubi exponuntur, etc. »

« Nullo autem modo unquàm illæ ab operimentis aut velis nudæ osten» dantur exponanturve osculandæ. »

» Nec patiantur Episcopi, causâ à se non cognitâ et scripto probatâ, altare » propterea erigi aut imagines ullas extrà morem ornari, votave vel obla» tiones suspendi. »

« Si quæ tabulæ imaginesve pictæ nimis vetustate, carie, situ aut sordi» bus penè deletæ, indecenti aspectu sunt, eas Episcopus renovari jubeat, » aut si id non potest, omninò deleri. »

« Votorum item tabulæ donariæ quæ ad memoriam recuperatæ valetu» dinis, etc., ex antiquo more suspendi solent, cùm sæpè falsò... supersti» tiosè effingantur, in iis exprimendis cautio sit suprà præscripta. » *Rituale Bisunt.*, *etc.*

SECTIO III.

De processionibus.

920. Hic sequere tuum rituale (*a*).

(*a*) Ex Bisuntino : Processiones aliæ sunt ordinariæ, nempè quæ fiunt in festo corporis Christi, purificationis B. V. M., etc., vel quæ in quâlibet ecclesiâ diebus dominicis aut aliis certis diebus ab antiquo fieri consueverunt.

Aliæ extraordinariæ, quæ sine episcopi licentiâ fieri non licet, nisi gravi de causâ, et urgenti publicâ necessitate.

Nunquàm processio in translatione reliquiarum fieri debet quin priùs dictæ reliquiæ ab ordinario recognitæ fuerint et approbatæ. Imò nihil in hoc tentandum est, sine expresso ejus mandato.

Servandus in processionibus ordo in rituali præscriptus.

Nota : Statutum ejusdem diœcesis anni circiter 1760 prohibuit processiones extrà parochiam quæ ex usu fiebant ad quasdam imagines B. V., et reliquias sanctorum.

SECTIO IV.

De benedictionibus.

§ I

De Benedictionibus in genere.

921. Noverint sacerdotes quæ ad ipsos, quæ ad Episcopos pertineant.

Ex iis quæ ad Episcopos pertinent, aliæ ab ordine episcopali pendent, eæ ordinariè scilicèt in quibus chrismatio adhibetur, consecrationesque vocantur.

Aliæ ab ordine presbyterali, ipsis reservatæ tamen ob earum magnum momentum (*a*).

Priores non solùm illicitè, sed nulliter à simplicibus sacerdotibus, sine legitimâ deputatione fierent.

Posteriores verò validè, licèt illicitè (*b*).

In omni benedictione extrà missam, superpelliceo et stolâ coloris temporis, ni aliter notetur, sacerdos indui debet.

Benedictiones fiunt semper stando et aperto capite.

(*a*) Ratio præcipua cur certæ benedictiones quæ ab ordine presbyterali pendent, Episcopis tamen reserventur, videtur esse quòd recognosci oporteat rei benedicendæ status, nùm nempè apta sit ad usum sacrum cui destinatur.

(*b*) Hinc ritualia Telonense, Lingonense, Bisuntinum, temeritatis quidem et imperitiæ accusant sacerdotes qui benedictiones Episcopis reservatas faciunt, sed non dicunt eas esse iterandas.

§ II.

De benedictionibus in particulari.

922. Aliæ in rituali continentur, et aliæ non continentur in eo, seu non habent formulam præscriptam.

Pro prioribus servandus est adamussim ritus præscriptus.

Pro posterioribus utendum est formulâ generali (pro re quâcumque usuali) aut aliâ magis accommodatâ.

Pro expositione SS. Sacramenti et benedictione cum eo dandâ, servare quisque debet diœcesis suæ præscripta (*a*).

Benedictiones super populum quæ levatâ manu fiunt cum signo crucis et precibus, ad solos Episcopos pertinent. Sacerdotes simplices dare non possunt benedictiones hoc modo, nisi in missæ celebratione, in precibus solemnibus, et sacramentorum administratione; quin et tunc omittere debent formulam : *Sit nomen Domini benedictum, etc.; humiliate vos ad benedictionem.* Hæ formulæ Episcopis reservatæ sunt.

Et regula est quòd qui in ordine est inferiori, populum non benedicat præsente alio in gradu sublimiori constituto.

(*a*) SS. Sacramentum exponi debet solummodò in festo corporis Christi et per ejus octavam et non alios. Nec etiam pro libito licet benedictionem facere cum eo, nisi consulto super hoc ordinario et de licentiâ superiorum, aut urgente publicâ necessitate, aut ex consuetudine ab ipso ordinario approbatâ.

Cerei sex ad minùs debent accendi. *Rit. Bisunt.*

FINIS.

INDEX RERUM.

Character arithmeticus numerum; littera notam numeri indicat.
Quæ infrà numerum 412, in priori tomo; quæ suprà, in posteriori continentur.

A

B

C

D

F

G

H

I

J

L

M



P

Q

R

S

T

U

V

FINIS INDICIS RERUM.



